R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA

COMPLECTENS

PANEGYRICAS

ORATIONES SANCTORUM.

TOMUS TERTIUS,

IN QUO CONTINENTUR

PANEGYRICI

SANCTORUM DIVERSI ORDINIS,
& Characteris,

E Gallico sermone in Latinum translati.

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLXXVI.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIONATORUM BIBLIOTHECA,

CONTINENS

PANEGYRICOS SANCTORUM.

PRO SANCTI FRANCISCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI PANEGYRICO.

MONITUM.

POst Sanctos, quorum meminit Scriptura, & præcipuos Ordinum Regularium institutores, de quibus superioribus Tomis sermo fuit, primus inter alios Sanctos varii characteris, qui tertium hoc volumen replebunt; primus, inquam, qui secundum anni Ecclesiastici ordinem nobis occurrat, est Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius adeo celebris propter indefessum salutis animarum zelum, propter novi mundi conversionem, propter miraculorum multitudinem, & denique propter Apostolicos labores, heroicasque actiones suas. Quin rerum supellex in illius extruendo Panegyrico deficiat, non mediocris laudum ejus pars erit omittenda, ut argumentum adeo late patens arctetur inter cancellos elogii communis, de suggestu recitandi.

Ut his collectaneis Orator utatur, qui Sancti hujus laudes prædicandas susceperit, non tantum conari debet, ne quid prætermittat, quantum ut rite aliquot actiones insigniores amplificet, vel aliquos locos vitæ magis spectabiles; hoc enim magis audientium mentes movebit, ac ampliorem astruet conceptum meritorum Sancti hujus, quam multitudo factorum, quam agre tenet Auditor: quod non prohibet, quominus referri possint, & debeant actiones aliæ sive ejusdem generis, sive diversi, sed minus spectabiles, quod facere consuevit Orator, cui non vacat singulis immorari.

Quemadmodum Ecclesia Sanctum Franciscum Xaverium colit sub nomine, & qualitate Apostoli, monitum Lectorem volo, quamquam satis magnam collegerim rerum copiam, quæ pluribus Panegyricis sufficere valeat, me tamen pluribus in Paragraphis addidisse ea, quæ illi sunt cum aliis Apostolis, Apostolicisque viris communia; ut qui elogium alterius cujuslibet Sancti ejusdem characteris elucubrari voluerint, his uti possint, substituentes actiones peculiares, quibus distinguetur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei. Ad Rom. 1.

I. CUm hodierna luce vobis exhibendum aggrediar Apostolum, per vos mihi liceat inde hujus Panegyricæ Orationis exordium desumere, ubi Sanctus Chrysostomus Sancti Pauli elogium absolvit; videlicet, satis esse dicere Apostolum, ut liqueat magnum esse Sanctum; sed sublimem gloriæ illius apicem esse, quod inter ipsos Apostolos magni nomen promeritus est, videlicet quod sublimem hanc dignitatem actionibus suis sustinuit, & perfunctus est omnibus officiis ministerii adeo insignis; quia quicumque infra munus hoc non moratur, hic est supra laudes quascumque. Sanctus hic Doctor paucis hisce verbis complectitur id, quod vix eloquentissimis orationibus dici potest. Si enim Apostolus homo est a Deo vocatus, ut hominum salutem operetur; si Nuncius est ab illo missus, ut fidei facem afferat gentibus maxime barbaris, quin pericula laboresque reformidet illustri huic muneri inhærentia; si denique est Præco Salvatoris mundi, electus ad annuntiandum Verbum ejus, atque illud probandum exemplo suo, immo etiam prodigiis, atque miraculis; quinam ille esse debet, qui plusquam cæteri adeo fideliter omnibus hujus ministerii muneribus perfunctus est, & denique qui remotissimis nationibus cum felicissimo eventu prædicavit? Hoc probaturus sum in secundo hoc S. Paulo, æque ac in primo. Agnoscetis jam, Sancte, ex hoc nomine, & elogio, quod si cui paulo magnificentius videtur, meum erit ostendere, nequaquam esse meritis tuis majus. Heu! quis egre ferre potest, quin quidquam laudis imminuam Gentium Apostolo, ostendam ipsum absolutissimum habuisse imitatorem in Sancto nostro, qui novissimis hisce temporibus ostendit, quid adhuc valeat homo eodem spiritu Dei animatus in sanctissimo, ac divinissimo ministerio, cui Deus ipse mortales socios admittere dignatus est? Ad id autem animadverto tria omnino esse necessaria, ut fiat Apostolus, eaque in textus mei verbis continentur: *Paulus vocatus Apostolus segregatus in Evangelium Dei.* Videlicet.

1. Vocatio, *Paulus vocatus*; etenim nisi quis vocatus fuerit a Deo peculiari vocatione, quomodo adeo præstans, tantique momenti munus obibit?

2. Missio, *vocatus Apostolus*; quæ conditio ita necessaria est, ut hinc Apostoli nomen extiterit; quod Dei nuntium significat, electum, ut quocumque nomen illius, & gloriam annuntiet.

3. Denique Evangelii prædicatio, per quam novæ instituuntur Ecclesiæ, & quæ est universale conversionis peccatorum instrumentum: *Segregatus in Evangelium Dei.* Hoc Sancto nostro commune fuit cum Apostolis omnibus, potissimum vero cum S. Paulo. Vocatio sua illum a mundo segregavit, ut totus vacaret Deo invicta constantia, tanquam Apostolus Gentium. Missio ejus illum a mundo divulsit, effecitque, ut omnes terrarum plagas peragraret Dei nomine, cum zelo S. Pauli; ejusque prædicatio obtinuit, ut ad ipsius Pauli exemplum Deo integrum lucraretur Orbem prorsus simili fidelitate, & eventu. Hoc erit argumentum Elogii celeberrimi Sancti hujus, & sermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

II. Tria, ex D. Gregorio, sunt necessaria, ut quis Apostolicum ministerium ingrediatur, ac digne sublimibus status hujus muneribus perfungatur.

Digitized by Google

1. Opus est eligi.
2. Opus est probari.
3. Opus est laborem amare, & officii sui gloriam vereri. Eligi, ut obedientiæ necessitas, non cupiditas nos agat. Probari, quia sese objicit periculo præceps ruendi, qui ambulat per angusta virarum, quas nondum emensus est. Amare laborem, & gloriam vereri, quia abusus potestatis est, illam tantum ad oblectationem, & utilitatem quæ in ea invenitur, retinere, eamque per laxamentum, ac metum temperare. Sanctus Xaverius cum hujusmodi animi præparationibus munus Apostolicum ingressus est. Electus fuit a Sancto Ignatio, cujus electiones omnes, & consilia Spiritus Dei moderabatur, & missus fuit a Summo Pontifice, qui centrum est Communionis Ecclesiæ. Xaverius sui periculum fecerat antequam Apostolicum susciperet ministerium, mortificationibus, pœnitentiis, jejuniis, vigiliis, ut statu adeo sublimi se dignum præberet. Laborem dilexit, quia jam in Verbi ministerio sese exercuerat, cum jam prædicasset, pauperibus catechismum tradidisset in xenodochiis, publicisque plateis in Italia, Gallia, & Lusitania. *Ex Panegyricis Flechier hujus argumenti.*

III. *Ite, Angeli veloces*, in semotas terras; extremasque mundi plagas. Hæc Scripturæ verba erant imperium Apostolis, qui a Deo sæculorum decursu mittendi erant ad Evangelium in regiones semotissimas prædicandum. *Genebrardus & alii.* Nuperi Scripturarum Interpretes hanc Prophetiam explicant de Indiis, & Japonia. Creditur profecto hosce Angelos videlicet Apostolos, ut ita dicam, volasse super alas ventorum, ut in terras longissime dissitas Evangelii lucem afferrent. Hac imagine post Spiritum Sanctum non verebor uti ad extendum Sancti Francisci Xaverii elogium, atque vobis ostendendam magnitudinem laborum, meritorum, & sanctitatis ejus; & quin singulis nubium proprietatibus immorer, & in usibus omnibus, in quos illas adhibuit Deus in Bibliis, quod omnibus Apostolis convenire potest; audeo dicere Indiarum Apostolum, incomparabilem Sanctum Franciscum Xaverium instar nubis fuisse actæ a Spiritu Sancto, quæ terra, marique volavit incessanter per nives & glacies, per ardores & ariditates, modo in regiones, quæ nimio calore torrentur; modo in eas, ubi natura præ frigore languere videbatur, inter agrestes homines, & barbaros æque libenter ac per ædes Principum. Ad exornandum igitur magni hujus Apostoli elogium intra tres me contineo considerationes, in quibus videbimus, ea quæ sol naturæ facit in nube, Solem gratiæ in Sancto hoc facere. Sol nubem attollit super terram, sublatam penetrat, ac fovet purissimis radiis; denique sublatam, ac penetratam, in pluviam ad terram uberem efficiendam resolvit. Per hæc tria Xaverii merita, sanctitatem, & gloriam detegemus.

1. Videbimus perfectissimam illius a terrenis omnibus abalienationem; hæc nubes est in aerem sublata.

2. Videbimus insignes, & admirabiles qualitates, quibus Sol gratiæ, videlicet Spiritus Sanctus, illum ornavit, & magnum amorem, quem in illo succendit. Hæc nubes est divinis purissimi zeli ardoribus penetrata.

3. Denique considerabimus Apostolicos illius labores, magnas conversiones, quas operatus est, & bona, quæ attulit immensis regionibus, quas peragravit. Hæc nubes est in pluviam conversa pro gentium plurimarum fecunditate.

IV. Pro themate sumendo verba hæc: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus &c.* Act. 9.

Hic effectus est divinæ Providentiæ, ut eo calamitoso sæculo, quo tot schismatibus laniabatur Ecclesia, atque tanta Hæresiarcarum multitudine oppugnabatur, qui nihil inausum relinquebant, ut illam everterent, & simul in Christianorum corde omnem Religionis sensum extinguerent: Hæc Providentia, quæ incessanter ad illius custodiam invigilat, non permissura, ut portæ inferi adversus illam prævalerent, suscitaverit simul Sanctum Franciscum Xaverium zelo vere Apostolico animatum, qui

1. Honori fuit Ecclesiæ virtutibus suis, quæ in veteri, novoque mundo ostenderat quamdam imaginem sanctitatis temporum primorum, idque iis in locis, ubi Ecclesia omnem fere amiserat formam propter malorum Fidelium vitia, & mala, quæ invexerat hæresis.

2. Illius fines latius extendit laboribus suis Apostolicis, & prædicatione Evangelii usque in extremas terrarum plagas.

3. Illius confirmavit veritatem miraculis numero carentibus, quæ totidem fuerunt certissima argumenta; quandoquidem converterunt plura regna, & effecerunt, ut complures populi superstitionibus suis abrenuntiarent ad Jesu Christi fidem amplectendam.

V. *Positus sum ego prædicator, & Apostolus in Christo.* 1. ad Timoth. 2. Apostoli dignitas tanta est, & adeo magnifica, ut non dubitet Sanctus Paulus illam cæteris præferre, quæ sunt in Ecclesia, illam præponens dignitati Prophetæ, atque Thaumaturgi; ita ut qui illa fuere præditi, semper habiti fuerint Principes Ecclesiæ. Et profecto quinam sunt Apostoli, nisi Præcones, & visibiles Angeli, per quorum ora Deus sua nobis mandata declarat? Nisi Tubæ quæ Dei spiritu animatæ, gloriam illius in omnes terras diffundunt? Sunt præfecti copiarum Dei exercituum, qui cum omnes dæmonum conatus in illos ipsos converterint, illos in ipso imperii eorum propugnaculo lacessunt, & superant. Sunt coadjutores Jesu Christi in magno opere Redemptionis hominum, cum quibus Mundi Salvator suas curas partitur, simulque quidquid in illis gloriosius est. Denique sunt Mundi Salvatores, qui hanc sustinent dignitatem æquius & gloriosius, quam olim Joseph, & Josue, qui nihilominus hac in re fuerunt Jesu Christi figuræ. Ideo mundi Salvator de illis verba faciens, qui secum operantur ad conversionem animarum, ait, non defuturam illis in cælo peculiarem gloriam, qua inter ceteros effulgebunt: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*; & licet in hoc Regno nihil sit exiguum, ubi nonnisi Reges videntur, illos tamen in aliorum comparatione magnos futuros: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Ita Sanctus Gregorius ait, nullum Deo acceptius esse sacrificium, quam zelum animarum: *Divinorum omnium divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum*, Sanctus Dionysius inquit. Numquid hoc mirabimur? quandoquidem hic finis est omnium operum Dei, qui in mundi creatione nihil sibi proposuit, nisi æternam hominis felicitatem, cum ceteras creaturas produxerit, ut illi subsidio essent, quo sustultus ad beatum hunc finem perveniret, in quo maxima illius gloria sita est; quandoquidem hoc Deum ipsum de cælorum vertice detraxit, eumque adegit, ut in cruce moreretur potius ardore zeli consummatus, quam vi tormentorum. Sed quamvis Apostoli nomen illis peculiariter concessum sit, qui ore ipsius Jesu Christi edocti, primi fuerunt Ecclesiæ fundatores; hoc non prohibet tamen, quominus Ecclesia eodem Spiritu Sancto afflata illud ipsum tribuerit iis, qui eorum vestigiis insistentes, primi fidem, ac Religionem in Regnum aliquod invexerunt, vel qui eam semel everſam, iterum restituerunt. Hinc S. Franciscum Xaverium Indiarum, & Japoniæ Apostolum appellare non vereor, quo nomine Summus quoque Pontifex, omnesque Orientis populi eum vocarunt, illum tanquam parentem, ac Institutorem suum respicientes. Duo vero necessario quæruntur in Apostolo; zelus fervens, per quem se cum Dei Filio conjungens, huic cooperatur ad Idolorum cultum evertendum, & restituendum ubique veri Dei imperium; & successus, qui laboribus suis respondeat, videlicet populorum conversio. Facile in magno Xaverio duas hasce eximias Apostolatus sui notas deprehendemus, si consideraverimus,

1. Zelum suum feciſſe illum vere Apostolum in oculis Dei, a quo evocatus est ad glorioſum hoc munus cooperandi in proximorum salutem.

2. Eventum, quem largitus est Deus zelo ipsius, illum vere Apostolum effeciſſe apud homines, qui illum sub hoc dignitatis nomine venerantur. Prior est nota Apostolatus sui, quam illi Deo præbet: altera ea est, quam præbet hominibus. Si zelus illi defuiſſet, caruiſſet ille quidem ea qualitate, quæ Apostolis est maxime essentialis, & quæ illorum quodammodo proprium characterem constituit. Sed si successum zelo suo non respondiſſet, a Deo quidem Apostoli mercedem obtinuiſſet, sed Apostolatus gloriam coram hominibus nunquam fuiſſet consecutus.

Est minimus sum omnium Apostolorum, plus tamen omnibus laboravi. 1. Corinth. 15. Ostendi potest Franciscum Xaverium noviſſimis sæculis instauraſſe quidquid admirabilius factum est in ipso Ecclesiæ principio; ob oculos ponendo novum mundum prædicatione, & miraculis hominis unius Spiritu Sancto animati conversum; Reges Orientis Idolorum cultores cum regnis suis sub Evangelii obedientiam redactos; fidem in ipso barbariæ centro florentem, & Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in remotiſſimas terras prolatam. VI.

1. Quamobrem veriſſime dici potest, post primorum Apostolorum tempora, qui primitias Spiritus habuerunt, neminem eorum, qui Apostolicis inſtiterunt vestigiis, testatum esse zelum ardentiorem, minus cupidum, & ut ita dicam, magis inſatiabilem extendendi latius Filii Dei triumphos animarum salutem procurando. Ut de hoc nobis persuaſum sit, satis est cogitare magnitudinem consiliorum ejus, operum susceptorum multitudinem, heroicamque constantiam in superandis omnibus obicibus, qui ejusdem consiliis adverſati sunt.

2. Facile est probare, illum nemini inferiorem fuiſſe, & etiam neminem illi extitiſſe parem laborum magnitudine, pro tam nobili causa, neque longorum itinerum laboribus, neque passionibus, perſecutionibus, assiduiſque vitæ periculis, ita ut nemo sit, cui melius aptari possint ea, quæ S. Paulus dixit de se ipso referens labores, pericula; & omnia incommoda, quæ propter Deum passus est.

3. Neminem uberioribus cæli benedictionibus fuiſſe cumulatiorem, neque ampliores nactum esse glorioſorum facinorum suorum successus; nam mirum est, quod ex vitæ ipsius hiſtoria intelligimus, bis mille terrarum leucas nonnisi partem fuiſſe victoriarum ejus; hominem unum decies centena, & ultra, infidelium millia convertiſſe,

manu

manu propria octodecim centena millia animarum luſtrali aqua expiaſſe, quas inter non mediocris eſt Regum, Reginarum, Principum aliorumque Potentatuum nomenclatura. Nonne ſingulare eſt, quod plurima Idololatrarum delubra, & Fana ſolo æquaverit, ultra quadraginta millia Idolorum confregerit, magnumque Templorum numerum ædificaverit, ubi verus Deus adoratur? Quod primus nomen & cognitionem Jeſu Chriſti invexerit apud populos, qui nunquam de illo verbum audiverant; ac inter ceteros ad ingentem illam Japoniæ inſulam, ſex & ſexaginta regna continentem, & quod tunc e vivis exceſſit, cum jam in Sinarum imperium Evangelii facem ferre meditaretur.

VII. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum, &c.* Actor 9. In S. Franciſco Xaverio conſiderari poteſt:

1. Vocatio illius omnino particularis; quoniam Deus ex homine nihil niſi mundi gloriam appetente fecit Apoſtolum idoneum, ad nomen gloriamque ſuam perferendam apud barbaras gentes, eaſque ad veri Dei cognitionem perferendam.

2. Curſus ejuſdem Apoſtolici, & labores inexcogitabiles; quos in glorioſo hoc munere pertulit.

3. Fructus, & ſucceſſus laborum eorumdem in converſione plurimorum populorum, qui illum in veteri, novoque mundo celebrem effecerunt.

VIII. *Ecce ego dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Iſai. 49. Cum Deus per infinitam miſericordiam ſuam novum orbem fidei luminibus illuſtrare voluerit, ac idololatriæ tenebras diſſipare, quæ tandiu illuc incubuerant; ad novum hunc Apoſtolatum Franciſcum Xaverium elegit, utque illum ad id parem faceret, iiſdem uſus eſt adminiculis, quibus uſi ſunt primi Apoſtoli ut tantum opus ipſis e voto contingeret. 1. Immiſit illi zelum eundem, quem Spiritus Sanctus Apoſtolis inſpiravit, cum eos miſit ad prædicandum ad omnes Gentes Evangelium, zelum illuminatum, zelum ſtrenuum, zelum parem rebus omnibus aggrediendis; quin illum aliqua difficultas deterreat. 2. Illi communicavit donum linguarum, ut olim iiſdem Apoſtolis, ita ut ab omnibus populis adeo diverſis & regionibus, & linguis exaudiretur, & intelligeretur. 3. Illi communicavit poteſtatem efficiendi miracula, omneſque naturæ leges ſubvertendi, ut probationibus adeo manifeſtis eas veritates probaret, quas iis annuntiabat.

S. Xaverius curſibus, laboribuſque ſuis omnia obiit munera Apoſtolatus, ad quem illum deſtinaverat Deus, & vocatione prorſus particulari vocaverat. 1. Incredibili celeritate plurimas regiones peragravit quocumque ferens lumina Evangelii. 2. Fidei veritates aſſeruit, & confudit omnes falſarum Religionum doctores, diſputans adverſus illos, illis eorum cæcitatem oſtendit, & fecit ut fides ſemper triumpharet quotieſcumque cum Bonzis, & Bracmanibus diſceptavit. 3. Denique per miracula plurimas fecit converſiones Ethnicorum, Idololatrarum, peccatorum pertinacium; verbo, fidem in centum ferme Regnis conſtituit.

IX. 1. S. Xaverius multa & magna aggreſſus eſt facere pro Dei gloria & ſalute animarum quin in ſe confideret, ſed juſſu Dei ipſius, & particulari vocatione.

2. Omnia executus eſt ſumma cum integritate, nihil quærens niſi animarum ſalutem.

3. Vidit admirabiles effectus zeli ſui, quin ullo vanitatis ſenſu moveretur.

X. *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſalm. 68. S. Franciſci Zelus immenſus fuit in deſideriis, in conſiliis, & factis.

2. Zelus ejus omnes ſuſtinuit labores, omnia obiit pericula, omnes ſuperavit obices, qui adverſati ſunt ejuſdem cogitationibus cooperandi ad ſalutem animarum.

3. Zelus inſatiabilis, quem omnes ſucceſſus, omneſque fructus, quos ex laboribus ſuis percepit, non valuerunt explere, ſed qui ſemper magis, magiſque ſuos protendit triumphos, quin aliquos ſibi fines præſcriberet.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poſſit ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores, qui hoc argumentum pertractant.

PAter Turſellinus omnium primus vitam ſcripſit S. Xaverii latine.

Orlandinus in hiſtoria Societatis Jeſu.

Lucena, Auctor Luſitanus, qui præ manibus habuit Authentica Exempla informationum, quæ juſſu Joannis III. Luſitaniæ Regis collectæ fuerunt.

Bartoli Italus Auctor celebris propter Operum ſuorum nitorem; qui quidquid ſcripſit, deprompſit ex Actis Canonizationis Sancti hujus.

Hiſtoria Indiarum P. Maffei.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ a P. Solier edita.

Hiſtoria Luſitana itinerum Ferdinandi Mendez Pinto.

P. Bouhours extremus eſt, qui Sancti hujus vitam Gallice ediderit tanta cum ſolertia & elegantia, ut habeatur opus abſolutiſſimum.

Proteſtantes, qui ſe Reformatos appellant.

Baldeus ab Epiſcopo Caſtorienſi citatus in Paſtorali Epiſtola ad Catholicos fœderatarum Provinciarum, & quæ præponitur tractatui de lectione Scripturæ Sanctæ; hæreticus ille licet variam profiteatur Religionem; ita cum laude loquitur de illo, ut Jeſuita ſuæ Societatis amantiſſimus nihil præterea dicere poſſit. Teſtimonium hoc de verbo ad verbum Gallice redditum refertur ad calcem vitæ S. Xaverii a P. Bouhours.

Perhibent zeli & Sanctitatis Franciſci Xaverii.

Ricardus Hakluit, & ipſe ex numero Proteſtantium, & præterea in Anglia miniſter, Xaverium magnifice laudat, & narrat mortem illius in Sanciano Inſula cum deſcriptione laborum ejus, qui vere digni ſunt Evangelico operario.

Nuperi Indiarum rerum Scriptores pleni ſunt egregiis virtutibus, ac mirabilibus operibus Sancti hujus.

Tavernier, qui omnem habet probitatem, quæ extra veram religionem haberi poteſt, plura quam alii de Xaverio narrat, de quo tanquam Catholicus loquitur.

Quin de plurimis multorum Concionatorum manuſcriptis ſermonibus verba faciamus, hi ſunt, quos Gallice typis editos habemus. Sacri Oratores.

Biroat Tomo primo Panegyricorum.

Flechier in eximiis ſuis Panegyricis unum habet hujus argumenti.

P. Texier in Tomo primo Panegyricorum.

P. Bourdalove in primo Tomo Sermonum in dies feſtos.

P. Duneau in Panegyricis Sanctorum Tomo Tertio.

P. Odet d'Allier in Primo Panegyricorum tres habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia argumenta, Tomo primo Panegyricorum.

P. Andreas Caſtillon in Sanctorum Panegyricis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui convenire poſſunt Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris generatim.

IN omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſalm. 18.

Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Pſalm. 44.

Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſalm. 138.

Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Iſaiæ 58.

Vivit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 3. Reg. 22.

Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Matth. 4.

Vos eſtis lux mundi. Matth. 5.

Mitto vos ſicut oves in medio luporum. Matth. 10.

Cavete ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & Synagogis ſuis flagellabunt vos. Idem.

Ad præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Ibidem.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Ibidem.

Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ibidem.

Euntes ergo prædicate .... infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date. Ibidem.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Luc. 21.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Joann. 20.

Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Matth. 16.

Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Marc. 16.

In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Joann. 15.

Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ibidem.

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis. Ibidem.

Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Ibidem.

Memento ſermonis mei, quem ego dixi vobis: non eſt ſervus major Domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Ibidem.

Loci, qui potiſſimum conveniunt S. Xaverio, ejuſque laboribus, miraculis, & actionibus Heroicis.

GLorificavit illum in conſpectu Regum. Eccli. 45.

Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus. Act. 9.

Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis. 1. Cor. c. 2.

Zelus domus tuæ comedit me. Pſalm. 68.

Arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum &c. 2. Cor. c. 10.

Et ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam. Ibidem.

Miniſtri Chriſti ſunt, ut minus ſapiens dico, plus ego,

ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Ibid. cap. 11.

Nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari. Ibidem.

In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in jejuniis multis. Ibidem.

Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Ibid.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Ibidem.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Ibidem. cap. 12.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in angustiis pro Chriſto; cum enim infirmor, tunc potens ſum. Ibidem.

Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos, neque enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ibidem.

Ego enim libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Ibidem.

Miniſter Chriſti Jeſu in gentibus; ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto. Ad Roman. 15.

Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum: non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus, in obedientiam gentium, verbo, & factis in virtute ſignorum, & prodigiorum in virtute Spiritus Sancti. Ibidem.

Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem. Ibidem.

Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Corinth. 11.

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia. 2. Cor. c. 6.

Ecce ego dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Iſai. 49.

Exempla, & Figuræ ex Bibliis depromptæ.

S. Franciſcus Xaverius melius comparari non potuit, quam cum S. Paulo.

INter ea, quorum videndorum cupiditate flagraſſe dicitur S. Auguſtinus dum viveret, unum ex præcipuis fuit, videre S. Paulum qui antonomaſtice meruit nomen Apoſtoli, lumen Evangelii nationibus afferentem. Hoc ſpectaculum illi adeo pulchrum videbatur, ut poſt Verbum hominem factum, & cum hominibus converſantem, exiſtimabat nihil eſſe viſu dignius, & quod ſuum aſpectum, atque admirationem potiſſimum mereretur. Neque mirum hoc eſſe debet, quoniam S. Chryſoſtomus addit, Deum, cum ſolem crearet, & ſydera, nihil admirabilius feciſſe. *Laudarunt te ſimul*, ait ille, *omnes Angeli, tum aſtra creatæ, & ſolem: verum non ita, quam tum Paulum tota orbe conſpectum faceres.* Hoc ipſum ſpectaculum hodierna die exhibere ſert animus vobis ob oculos ſubjiciendo alterum Paulum in perſona S. Franciſci Xaverii, qui eodem zelo, eodemque Spiritu animatus nobis videnda propoſuit, quæ poſt S. Paulum Eccleſia non viderat, videlicet mundi totius converſionem, per Apoſtolicos ejuſdem labores: mihi enim ſuadeo, quando quidem ille gloriosum hunc titulum poſſidet, quo Sancta Sedes poſt ejus mortem illum decoravit, quo tot populi adhuc viventem donarunt, & quod inſignibus actionibus ſuis adeo glorioſe ſuſtinuit, me invenire non poſſe elogium æquius ſimul, & ornatius, quam ſi vobis oſtendero, illum ardenti igneoque zelo ſuo factum ſuiſſe Apoſtolum, & S. Paulum ſæculi ſui. Et profecto cum hic ſit aptiſſimus Sancti hujus character, nullus dubito, quominus illum agnoſcatis ſub hoc titulo, qui nomen illius non mutat, niſi ut melius cognoſcatur, neque utrumque hunc magnum Apoſtolum conſert, niſi ut poſteriori gloriæ tribuatur, prioris veſtigia legiſſe.

Non dicimus Xaverium Apoſtolio parem, ſed vere aſſerere poſſumus, illum non minus operarium fuiſſe quam quemquam.

Haud equidem hoc in loco S. Franciſcum Xaverium cum primis Apoſtolis auſim conferre, ſcio quænam fuere prærogativæ duodecim illorum Eccleſiæ Principum, & quamnam ſuperioritatem illis cælum conceſſit, ſeu propter vocationis eorum privilegium, ſeu propter poteſtatis extenſionem, ſeu propter plenitudinem ſcientiæ. Verum poſt omnia, ut Sanctus Auguſtinus animadvertit, non erat dignitati J. C. derogare aſſerere, S. Petrum majora operatum fuiſſe præ illo miracula: itaque nihil puto de Apoſtolorum præeminentia minuere, cum dico Deum ad Eccleſiam ſuam amplificandam adhibuiſſe Sanctum Franciſcum Xaverium ad efficiendum miraculum non minus admirabile, neque minus divinum iis omnibus, quæ ſuſpicimus in glorioſis Fundatoribus Chriſtianæ Religionis. Quod enim miraculum eſt, maxime admirabile ex omnibus, quæ in Eccleſiæ inſtitutione facta ſunt? Nonne, ut Sanctus Ambroſius ait, hæc eadem eſt inſtitutio? At nonne hoc fecit Xaverius ſola virtute divini Verbi, mundum integrum imperio veri Dei ſubjiciens? nonne per tria leucarum millia, & ultra Evangelicum lumen effudit? Nonne numerum numero carentem Eccleſiarum conſtituit in Oriente? Adiit poſſeſſionem duorum, & quinquaginta regnorum, ubi Jeſus Chriſtus regnaret. Ille manu ſua ultra decies centena animarum millia ſacro abluit baptiſmate. Ecce miraculum fidei noſtræ, miraculum, quod longe ſuperat quidquid legimus de illis Heroibus ſeu veris, ſeu fictis, quos tantum profana jactat hiſtoria: miraculum, ubi dicere poſſum cum S. Ambroſio, Franciſcum re ipſa feciſſe, quod humana Philoſophia excogitare non potuit: *Minus eſt, quod illa finxit, quam quod iſte geſſit.* P. Bourdaloue.

S. Franciſcus Xaverius Aaroni comparatus.

Videtur Deus in maximis operibus ſuis, ut favores ſuos impertiret, vel ut faciliorem efficeret executionem æternorum conſiliorum ſuorum, ſemper duos diverſos homines elegiſſe, qui eſſent vel ſuæ miſericordiæ, vel ſuæ porentiæ miniſtri. Cum legem ſuam conſtituere voluit, & ſibi populum facere, qui peculiari jure, ac titulo ad ipſum ſpectaret, ut inquit Scriptura, elegit Moyſen, qui legislator eſſet, & Aaronem, qui eſſet tanquam Orator populi ſui. Alteri quidem dedit regimen Iſrael, alteri vero verba ſua ad Pharaonem, Sanctus Auguſtinus ait. Voluit ut in uno Principatus eſſet, in altero Verbi miniſterium. Cum Eccleſiam ſuam fundare voluit, elegit Petrum, qui illius Caput eſſet, & Paulum, ut eſſet concionator, uti loquitur S. Chryſoſtomus; unum qui ad ipſum adduceret eos, qui erant ex Circumciſione, alterum, qui Gentes converteret. Primus eſt lapis ſuſtinens ædificium, & qui congregat filios in domo; alter eſt vas electionis, ut portet Jeſu Chriſti nomen ad Populos, & Reges, uſque ad extremas terrarum plagas. Ita cum Deus noviſſimis hiſce temporibus voluit mores Chriſtianorum corrigere in Europa, ſibique creare novum populum in Aſia, elegit Ignatium, & Xaverium, ut illis ſua divideret miniſteria. Alteri quidem dedit Spiritum, & Sapientiam Patriarchæ, alteri vero cor, & zelum Apoſtoli. Uni quidem dixit: Hic mane ad efformandum corpus, quod ſeſe debet in omnes mundi partes extendere, ad confirmandum Ordinem tuum naſcentem regulis tuæ diſciplinæ, ut temet objicias erroribus, & laxamentis, quæ in Eccleſia mea ſuboriuntur, ut opereris ad ædificationem filiorum tuorum, & fratrum tuorum converſionem. Alteri dixit: Vade in regiones illas idolorum cultui ſubjectas, ubi nomen meum ignoratur; per vias, quæ nondum apertæ fuerunt Miniſtris Evangelicis, diſruptis cancellis, ac ſepibus, quas ipſe inter utrumque Mundum poſueram. Vade, & affer verbum, & veritatem meam illis, quos prædeſtinavi, & demete eis ſegetes, quas mea tibi præparavit Providentia. *Flechier.*

Et Apoſtolo gentium.

S. Franciſcus Xaverius in aliquo comparatus poteſt cum Moyſe & Elia.

Si conſideratur indefeſſus iſte Zelus, quo Xaverius Apoſtolicos ſuos curſus inchoavit, & quos eadem rapiditate perſecutus eſt, & abſolvit: Si attenditur, magnum Sanctum hunc ſolo tactu curaſſe teterrimas infirmitates; ad nutum, ac imperium ejus ignem de Cælo deſcendiſſe ſuper indevotas corruptaſque urbes, nonne confitendum eſt, huic Eliæ ſpiritum fuiſſe? & ſicuti laudatus Prophetа in cælum adductus fuit igneo curru, quem Angeli geſtabant, Xaverium ſimiliter in omnibus Apoſtolicis itineribus cucurriſſe, ac volaſſe perinde ac ſuper ventorum alas deferretur, Dei ſpiritu animatus, & ſemper progrediens, quin aliquando retro reſpiceret. Si Xaverii potentiam reſpexerimus, nonne dicemus, illum exercitus deleviſſe manibus in cælum ſublatis, tanquam Moyſen alterum; illum ad conſpectum ſibi invidentium mortuos ad vitam ſuſcitaſſe, & quotidie doctrinam ſuam ſignaſſe, & confirmaſſe miraculis, præbentem inſignia Miſſionis ſuæ teſtimonia? Ille etiam procul dubio comparabilis eſt cum Martyribus, ne una quidem inter venas illius fluebat gutta ſanguinis, quam pro tuenda fide ſe non deſtinaverat effuſurum: ſaltem ille fuit victima ſuæ charitatis, & martyr zeli ſui hoc pacto noſtram inſimulans ignaviam, teporem, atque molliriem.

Similitudo S. Xaverii cum S. Paulo.

Præter ſimilitudinem S. Xaverii cum Apoſtolo Gentium, de qua verba fecimus, comparare poſſumus etiam utriuſque hujus Apoſtoli paſſiones, atque labores; quorum prior fuit prototypus, alter vero exemplar adeo perfectum, ut facile ſit eadem in utroque legere lineamenta. Satis eſſet ea conferre, quæ de ſe ipſo narrat S. Paulus, & quæ de illo S. Lucas teſtatur, cum hiſtoria vitæ S. Xaverii, & iis, quæ colligi poſſunt ex ejuſdem epiſtolis, ut tanta utrinque appareat ſimilitudo, ut unus pro altero valeat deſumi. Verum unum illud conſiderabo, quod ad hanc uſque diem in Xaverii oppido videtur, Crucifixum manantem guttis ſanguinis, quotieſcumque Sanctus in aliquo gravi periculo vitæ verſabatur, vel apud Barbaros, vel in itineribus ſuis, vel cum laboribus fatigatus erat: quaſi Salvator ipſe in partem vellet accedere cruciatuum, ac paſſionum Servi ſui. Nunc conjicite, utrum tot curæ, tot labores, tot navigationes pro animarum ſalute ſuſceptæ, utrum tot glorioſæ res geſtæ ad Evangelii propagationem, poſt miſſionem Cælo, terraque probatiſſimam Sancto huic mereantur nomen Apoſtoli, quod illi tribuit Eccleſia, ita ut tanquam alter Paulus habeatur.

Xaverius facit quod Jonas in Ninive.

Xaverio ſtatim non longe quærendum fuit charitatis exercitium. Cum Goam acceſſit, veram ibi nactus eſt Sodomam, Babylonem, urbem, quæ vitiorum omnium ſentina vocari poterat, æque ac omnium mundi nationum. Illic profecto laborum non deerat materia centum operariis; verum ubi Deo placet, homo unus centum millia-

millibus præſtat. Jonas pœnitentiam inclamans ſtuporem Ineuſſit magnæ Ninive, ita ut Princeps, ac Populus ſacco indueretur; Xaverius autem intra ſex menſes, in altera hac Ninive, Orientalium Indiarum metropoli, tantam peperit mutationem, ut non amplius agnoſceretur. Tunc facta eſt Roma recens, Sion Sancta, Eccleſia primitiva. Unus hæc omnia præſtitit, & hoc adhuc eſt primum virtutis ejus ſpecimen.

Ex omnibus miraculis, quæ facta fuere in Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutione, unum ex maximis fuit Eccleſiæ inſtitutio per Apoſtolorum miniſterium. Xaverius autem noviſſimo hoc ſæculo portentum hoc inſtauravit. Ille quippe propter fidei propagationem, ut olim Apoſtoli, ea præſtitit, quæ toto cælo ſupra vires humanas ſita erant, & hæc edidit zeli prodigia per ea, quæ neque prudentiæ, neque humanæ ſapientiæ credebantur eſſe conſilia. Et hæc illa ſunt, quæ Evangelii miraculum nuncupari poſſunt.

Mundi converſio prodigium eſt Eccleſiæ Inſtitutioni comparabile.

Et ſane a Luſitaniæ Rege accerſitur in Indias mittendus: navim conſcendit; ac brevi pervenit Comariam, ac ſtatim viginti Idololatrarum millia eum veri Dei legatum agnoſcunt. Japonia illum expectat, ibi pſeudoſacerdotes confundit, Reges baptizat, populos ſanctificat, & multas inſtituit Eccleſias. Verum quidem eſt eodem tempore Lutherum, atque Calvinum pervertiſſe, ac ad ſe pertraxiſſe Orientem, ac Septentrionem? Sed hi duo Hæreſiarchæ Religionem naturæ commodam prædicabant, & ad inſtituendam Religionem in ſenſibus fundatam, nullis opus erat miraculis: cum interim Xaverius prædicabat Religionem ſenſibus naturæ prorſus oppoſitam. Quænam erit magni hujus Sancti gloria Judicii die producere poſſe tot fructus miſſionis, ac victoriarum ſuarum? ſed quodnam nobis dedecus erit adeo parum fructus referre ex Dei Verbo, quod a tot Evangelicis Præconibus nobis nuntiatur? *P. Bourdalove.*

Sacra Scriptura narrat, inſigne illud Salomonis Templum ornatum fuiſſe auro, lapilliſque pretioſis, qui a remotiſſimis regionibus illuc allati fuere; ſed dicere non vereor ædificium cæleſtis Jeroſolymæ, cujus nonniſi figura Templum illud erat, decorandum eſſe animabus, quæ in ſemotiſſimis terrarum plagis conquiruntur. Licet enim omnes æque pretioſæ ſint coram Deo, quippe univerſæ pretioſo illius ſanguine redemptæ ſunt; earum tamen raritas pretium commendat, ac tot labores, ac ærumnæ, quæ exantlandæ ſunt, ut conquirantur, eas ſpectabiliores efficiunt. Hac de cauſa magnus iſte Sanctus credidiſſet ſe fidelitati miniſterii ſui deeſſe, niſi Dei Verbum in deſertiſſimas terras Invexiſſet; Goam, Mozambicam, Caſros, Moluccas, ac tot barbara nomina, quæ nunc ideo cognita ſunt, quia novimus regiones, ubi Apoſtolus hic prædicavit Evangelium, earumque nomina in Mundi recentis Tabula leguntur, cum ea loca percurrimus, quæ illo prædicante divino Verbo perſonuerunt.

Applicationes quarundam locorum Scripturæ Sacræ huic argumento.

Miſerere animæ tuæ placens Deo. Eccli. 30. S. Xaverius miſertus animarum Barbarorum, & Idololatrarum fecit magna, & cum zelo indefeſſo pro illarum ſalute operatus eſt; & de hac re ipſe ſcribens ad Luſitaniæ Regem, a quo miſſus fuerat, credidit, ſe non ſatis dignas gratias huic principi agere poſſe, quam eum precando, & obteſtando, ut quotidie vellet ſerio meMatth. 16. ditari hæc Jeſu Chriſti Verba: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima vero ſuæ detrimentum patiatur?* Sanctum hunc melius honorare non poſſumus, quam recipiendo nobilem hunc, divinumque ſenſum ex ore ejus, qui illum ab ore hauſit Jeſu Chriſti. Senſus hic erit ſalutis noſtræ fundamentum, ſi noſmet ſalvare velimus; & ubi de hoc nobis erit perſuaſum, facile terrena omnia negligemus, & chriſtianas virtutes in praxim redigemus.

Xaverius Orientis Apoſtolus deſtinatur.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Iſai. 9. Cum Deus, ad quem unum pertinet opus humanæ ſalutis, revelare vult in terris veritatem, juſtitiamque ſuam, & mundum adducere ad ſecretos fines ſuos, per ea media, per quæ deſtinavit; electionem facit miſericordiæ, eligens illos, quos illuſtrare vult luminibus Evangelicis; & electionem miniſterii, ſibi eligens operarios idoneos ad nomen ſuum prædicandum, & ad Religionem ſuam inter Populos maxime barbaros inſtituendam. Quemadmodum verbum Dei operatur in illis, qui credunt, ut loquitur Apoſtolus, & fides nonniſi per auditum ſtatuitur, horum vocatio ſupponit miſſionem aliorum. Cum Deus in conſiliis ſuis decrevit Nationem aliquam luminibus Evangelii ſui illuſtrare, ille ipſe hoc format lumen, & illud mittit ad gentes in mortis umbra ſepultas: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quis ſtupor! cum homines illi ignorantiæ, ac feritati ſuæ traditi loquentem audierunt Sanctum Franciſcum Xaverium ſibi novum vivendi genus proponentem, ſenſibus rectæ rationis & Evangelicis inſtitutis conformem: cum viderunt Apoſtolum, quem neque ſpes lucri, neque commercii amor, neque

que inanis curioſitas illuc perduxerat, ſed zelus illis prædicandi Jeſum Chriſtum, eoſque de Satanæ, & peccati ſervitute liberandi? Tunc neſcio quædam humanitatis reliquiæ illos ad reverentiam compoſuere erga Xaverium, ipſis documenta præbentem ſinceræ dilectionis. Tunc aliqua naturalis rectitudinis ſcintilla, quam nondum extinxerant, accedente lumini, quod Xaverius illis præferebat, ſuſceperunt ſenſus rationi, & Religioni conſentaneos, & gaviſi ſunt, quod dignaretur Deus illos ab alto viſitare.

Eximiæ Franciſci Xaverii qualitates.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Iſaiæ 49. Cum tempus acceſſit divina Providentia præſtitutum, & Orientis extrema audire debebant verbum Dei, novuſque orbis recepturus erat Evangelium, ſuſcitavit Xaverium, ut Auctor eſſet, & Caput operis Sancti quidem, ſed difficilliml: *Ecce dedi te in lucem gentium.* In illum contulit omnes qualitates huic muneri congruentes, nobilitatem, ut ſenſus ejus attolleret; fortitudinem, ut laborem perferret; ſuavitatem, ut ſibi animos conciliaret, acrem ingenii vim, ut operaretur; Sapientiam, ut bonum inquireret, conſtantiam, ut reſiſteret malo, generoſitatem, ut magna quælibet aggrederetur, patientiam, ut illa ſuſtineret, & Dei nomen ad extremas uſque terrarum plagas perduceret; *ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Deus reddidit Franciſcum Xaverium parem voluntatibus ſuis exequendis per ſcientiam, quam illi inſudit, ut humanam rationem veritatibus Evangelicis reluctantem evinceret: per charitatem ſuam illum aptum fecit ad omnes difficultates ſuperandas, ac ſeſe martyrio objiciendum; per potentiam ſuam, ut fidem confirmaret, ſuamque doctrinam miraculis tueretur. Cum adeo egregiis qualitatibus, vocatione adeo legitima, talentis adeo bene excultis, quinam ſucceſſus expectandus non eſt a Sancti Franciſci Xaverii miſſione? Nonne videbimus *Satanam cadentem de cælo ſicut fulgur* ad Sancti hujus prædicationem, non ſecus ac ad illam diſcipulorum Luc. 10. Domini?

S. Xaverius verbi miniſterio mortificationes addebat.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Corinth. 9. Ideo Franciſcus adjiciebat mortificationes labori prædicationis, ut benedictiones Domini ſuper Evangelium deſcenderent, & ut ille hoc annuntians fieret particeps fructuum prædicationis: *Ut particeps ejus efficiar.* 2. Cor. 9. In fervore pœnitentiæ ſuæ ſæpe dies plures traducebat, quin aliquid cibi carperet. Nullum habuit aſylum niſi xenodochia: vult poſſe dicere cum Apoſtolo; *ſcio eſurire, & penuriam pati.* Si ardenti, ac pertinaci febre correptus colligens parum illud virium, quæ ſuperſunt, ſeſe per publicas plateas trahens, hortatur tranſeuntes, ut vitæ rationem immutent, hoc agit, ut tanquam Joannes Baptiſta mortificationi addat pœnitentiam. Si deficiente voce prædicat Jeſum Chriſtum ſuſpiriis, & corporis ſui languoribus; hoc ſpecimen eorum eſt, quæ in remotis regionibus ſibi facienda ſunt, hoc eſt ſe ipſum gerere tanquam S. Pauli Diſcipulum, & corpus ſuum caſtigare annuntiando Evangelium, ut huic annexos colligat fructus, ideoque non ſit in numero reproborum, aliis ſalutis viam oſtendendo. Quot Miniſtri Domini ab hac praxi recedunt. Quot prædicant Evangelium, non ut amarulenta illius placita ſentiant, ſed ut ſibi honori vertant, cum Salvatori dicent; in nomine tuo prædicavimus; reddet enim ille verba hæc amariſſima, *neſcio vos.* Ad Philip. 4.

S. Franciſcus miſſionem, & Apoſtolatum innumeris comprobavit miraculis.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. Ad Corinth. 2. Ecce argumentum, quo S. Paulus ſuum probat Apoſtolatum, & quo ipſe utar ad illum Franciſci Xaverii probandum: Si enim in illo nanciſcar ſigna, & portenta numero carentia, non deerit mihi locus probandi dignitatem Apoſtoli, quam cognita cauſa illi Oriens, & Occidens deferunt. Niſi me premeret inſignium factorum multitudo, quam uberem laudum materiam invenirem! Vobis oſtenderem pacatas tempeſtates, fluctus, ac furens mare ad malaciam reſtitutum, aeris intemperiem, & morborum contagionem brevi curatas. Admiraremini audientes ea, quæ narrantur Summo Pontifici in informatione proceſſus Sancti hujus cum illi dictum fuit: Sancte Pater, *cæci vident, ſurdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt.* Surdis auditum, mutis loquelam redderem, *ſurdi audiunt, muti loquuntur*; efficerem ut cæci viderent, & claudi recti ambularent; *cæci vident, claudi ambulant*; leproſos curarem & paralyſi, morbiſque maxime conclamatis nomen incurabilium auferrem; *leproſi mundantur.* Mox ſepulcreta aperirem, & larvas nudis oſſibus cohærentes animarem, ac efficerem ut inter vivos incederent, qui in umbra mortis requieſcunt; adeo ſtupenda miracula operarer, ut paria; & æque multa vix in celeberrimorum Thaumaturgorum vita invenirentur. De mortuorum regione in terram reverſus, ſine metu, infinito barbarorum exercitui irruenti in Chriſtianos Travancorii, unum objicerem Franciſcum Xaverium, qui procul dubio furentes in regionem ſuam coget reverti. Nec ſatis, parum eſt homines viciſſe, conjicerem etiam in fugam de obſeſſis corporibus legiones Dæmonum. Recede modo a terra, & in aerem te attolle; oſtendam tibi

Eliæ prodigium in pluvia flammarum, cinerumque ardentium, quos Xaverius immisit in urbem Tholam, ut ejus puniret apostasiam. Postquam implevero cælum, Terramque prodigiis nostri Taumaturgi, ut historiæ ipsius fidelitatem sequar, dicam te unam dumtaxat eorum partem vidisse, sed satis vidisse, me nequaquam illi adulatum fuisse, cum eidem hæc tribui verba quæ de se ipso dixit Paulus: *Signa Apostolatus mei facta sunt in signis, & prodigiis.*

Labores, & insignis patientia S. Xaverii.

Signa Apostolatus mei facta sunt in multa patientia. Ad Cor. a. Confiteri cogor, me id tentaturum esse, quod fieri nullo modo potest, si fidei narratione omnes persequi vellem S. Xaverii passiones. Dicere satis est, S. Paulum labores suos, & pericula numerantem, simul ea narrasse, quæ Xaverio acciderunt. Audiamus Apostolum, & inde feramus judicium: *Ter naufragium feci,* 2. Cor. 11. inquit, *nocte, & die in profundo maris fui.* Itinera vero quæ terra aggressus sum, non minoribus mihi steterunt laboribus: nam sicuti mari Piratas offendi, ita terra in latrones incidi; *periculis fluminum, periculis latronum,* Judæi, quos amicos meos credebam, ethnici, qui mei erant inimici, æque in interitum conspirarunt: *periculis ex genere, periculis ex gentibus.* Majorem securitatem in sylvis non inveni, quam in urbibus; *periculis in civitate, periculis in solitudine.* Requies mea fuerunt vigiliæ; *in vigiliis multis.* Labores, & paupertas quocumque secuti sunt me. Indumenta mea vix corpus meum tegebant, tantum aberat, ut me ab aeris inclementia, & hyemali frigore protegerent: *In frigore, & nuditate.* Ceterum *sollicitudo omnium Ecclesiarum,* non minimum mihi negotium facessebat. Denique omnibus corporalibus, & spiritualibus omnium fidelium ærumnis angebar: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Fatendum mihi fane est, non mediocri me affici voluptate, ubi intueor fidelitatem, qua S. Paulus suos nobis labores, & pericula referens, simul locupletissimam nobis exornavit descriptionem passionum S. Francisci Xaverii. Hic naufragium fecit, non secus ac magnus Apostolus, & tres dies noctesque furentibus ventis, atque procellis expositus fuit, cum navis, qua ad Moluccas vehebatur, in scopulum allisa fuit: *Ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui,* Nonne cum Apostolo dicere poterat, *periculis fluminum, periculis latronum,* cum post evitatos in Oceano Prædones, zelo actus fuit ad Antropophagos, ubi magno in discrimine fuit, ut a barbaris illis voraretur? Ullamne cepit requiem in ignotis illis regionibus, cum omnia ad victum necessaria illi deessent; *in labore, & ærumna?* Sæpe tertium diem, noctemque traduxit audiendis confessionibus, & Sacramentis administrandis, & nonnumquam septimus accessit dies quin ullo cibo reficeretur: *In fame, & siti, & jejuniis multis.* Magnus hic vir plerumque nudis pedibus incedebat; male sarta talari tunica tectus, quæ temporum injurias arcere non poterat; *in frigore, & nuditate.* Nonne in periculo fuit in civitate æque ac in agro, cum idolorum cultores, ut ulciscerentur Idola ab ipso eversa, Sancti hujus habitaculo ignem conjecerunt? *periculis in civitate, periculis in solitudine.* Quam gerebat ille sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quas ipse fundaverat; & quo illius Charitas non processit sese crudelibus cruentans flagellis, ut alienorum scelerum ageret pœnitentiam? *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Palam & locis omnibus insignioribus vitæ Sancti hujus liquet S. Paulum nobis præbere cupientem vera sui Apostolatus argumenta, ad vivum nobis exhibuisse S. Francisci Xaveri Apostolatum: *Signa Apostolatus mei facta sunt in multa patientia.*

Zelus Domus tuæ comedit me. Psalm. 68. Ullusne fuit, qui majori animarum zelo flagraret, quam S. Franciscus Xaverius? Eamus spiritu in magna illa regna, & vasta Orientis imperia, videlicet in Indias; ibi invenietis barbariem ad humanitatis sensum redactam, impietatem ad religionem conversam, vitium in contemptu, virtutem vero in honore positam. Quis hæc miracula operatus est? Xaverii zelus. Loquimini inanium deorum delubra sexcentis in locis diruta, loquimini aræ profanæ sexcentis in locis eversæ; & vos Idola attrita, etsi ad magni hujus Viri aspectum obmutuistis, vocem resumite, & fatemini, silentio vestro immensitatem zeli Xaverii prædicari. Accedite Nationes ignotæ, & testes adeste: Accedite Paranenses, Acenenses, Mindanenses, Sinenses, Japonli, & sexcentæ hujusmodi Gentes, quarum nomina propter multitudinem memoriam meam fefellerunt: Accedite, ac fatemini, si lumen Evangelii recepistis, vos hoc zelo S. Xaverii debere. Vos autem, Ecclesiæ Malabariæ, quis constituit? Comaria, quis te convertit? Ora Piscariæ, quis te ad veri Dei cognitionem pertraxit? Quis Cælum aperuit decem millibus puerorum, qui postquam aqua lustrali abluti sunt, e vita abierunt? Quis octodecim mortalium myriades baptizavit? immensus Xaverii zelus. Profecto si zeli magnitudo Apostolum facit, quem usque ad gradum Franciscus zelum suum protulit? Si secundum S. Gregorii sententiam extremo judicii die prodibunt Apostoli victoriis suis circumdati, quænam erit Xaverio gloria offerre posse Deo tantum numerum animarum, quas ipse convertit, & manu propria baptizavit? Dici poterit secundum acta Canonizationis Sancti nostri, a Summo Pontifice missum fuisse in Orientem hominem Apostolicum, & Apostolum factum fuisse.

Aliqua insignia Sancti hujus miracula.

Quis potest similiter gloriari tibi, qui mortuum suscitasti ab inferis! Eccli. 28. Accede, Orientis Apostole, accede in partem honoris hujus cum magno Elia, cujus zelum egregie imitatus es, tu qui tot mortuos in vitam revocasti. Admirabile fuit spectaculum in urbe quadam Orientalis Indiæ, cui nomen Mutan; efferebatur puer mortuus insutus in linteo, cum jam ante quatuor & viginti horas decessisset. Occurrit Sancto nostro funebris pompa, qui adstantium lacrymis commotus in genua procubuit, & a Deo illius adolescentuli petiit resurrectionem. Surrexit Xaverius, Crucis signo defunctum signavit, qui cum omnium circumstantium admiratione vitæ plenus apparuit. Sed longe alia fuit admiratio Comariæ. Xaverius enim jussit ex tumulo auferri mortuum, qui ante aliquot horas sepultus fuerat, eumque in vitam revocans hoc miraculo convertit ultra sexcentos testes prodigii. Proficiscamur in Oram Piscariæ, ibique videbimus puerum ipsum in puteum, & aquis submersum; inde mortuus educitur. Xaverius, cui videtur Deus commisisse claves vitæ & mortis, opportunus advenit, & ab eo jussus puer in Jesu Christi nomine in vitam reverti, paret, & omnibus stupor incessit. Sed hoc fortasse vestra abuti esset patientia, si hic referre vellemus omnia miracula a Sancto nostro patrata. Apud vitæ illius Historicos videre potestis alios vigintiquinque mortuos, qui apud Deum reddituri sunt testimonium potestatis ejusdem.

Celeritas qua S. Xaverius omnes orientis regiones peragravit cum solli citudine comparatur.

Exultavit ut gigas ad currendam viam. Psalm. 18. Si Spiritus Sanctus in Bibliis comparat Solem giganti, propter spatium, quod adeo brevi tempore percurrit; possumus nos quoque Xaverium conferre cum hoc Sydere propter immensas regiones, & vasta regna, quæ annuntians Evangelium peragravit. Apostolici cursus illius tot regiones varias complectuntur, ut nonnisi Angelus custos, qui illum Roma Ulissiponem, hinc Goam, ac inde Comariam, Travancorium, Malabariam, Ambinam, Ceylanum, Calaminam, Malacam, insulam Mauricam & mox in Japoniam, & inde iterum Goam, ac tandem in portum Imperii Sinensis deduxit, ut nonnisi spiritualis hæc intelligentia, quæ illum secuta est in hos omnes longissimos tractus, nos erudire valeat de hac multitudine cursus Apostoli nostri; quem si narrare vellem, sermonis mei finem nunquam invenirem. Eos imiter, oportet qui Geographicas Tabulas describunt, & qui nobis pictas exhibent his ipsas regiones, quibus S. Xaverius lumen attulit Evangelii. Cum enim debeant tanta hæc brevi in spatio exhibere, magnas urbes punctis repræsentant; montes altos, parvulis elationibus, saltus tercentum leucarum, paucis foliis; longa, & profunda flumina sinuosis lineis; & nihilo secius omnia ita bene disponunt, ut facile intelligamus maximum illud intervallum, quod inter locos adeo longe distantes intercedit. Impossibile esset Apostolum nostrum pedetentim sequi: satis est præcipuas designare cursus ejusdem stationes; & ubi nominavero Goam, Malabariam, Travancorium, Japoniam, Moluccas, regnum Sinense, hanc mihi facultatem concedite, ut reliqua menti vestræ supplenda relinquam. Esset enim patientia vestra abuti, & meum prævaricari ministerium, uti Geographum agerem, si vellem singillatim omnes persequi regiones, quas Xaverius lustravit. Ita enim mihi loquendum esset: Videte; hæ lineæ Oceanum indigitant, qua in Indias profectus est; illæ designant mare Japonicum; punctum hoc repræsentat oram Piscariæ, illud Comariam, & congeries hæc lineolarum accumulatarum, & confusarum Moluccas Insulas, & Mauricam exhibent. Dicendum esset, in hoc mari Piratis servit, in hac insula infideles erudit, in hac alia Ethnicos baptismate abluit. Tunc etiam aliqui essent loci, qui nostros fallerent oculos, quamvis zelum illius non fefellerint. Vobis quoque dicere possumus illum usque ad insulas desertissimas transisse, quo homines pervenire non poterant, in loca remotissima, & ignotissima penetrasse, & Evangelico lumine illustrasse Provincias maxime dissitas, & attulisse fidei radios in regiones obscurissimas, quo ipsi Solares radii penetrare non possunt. Vos solæ, sublimes Intelligentiæ, ad magnum hunc hominem deducendum destinatæ, Angeli earum regionum, quas peragravit, custodes, vos soli nobis ostendere potestis, quot regna convertit, quot populos docuit, quot infideles in Ecclesiæ sinum adduxit.

Admirabiles victoriæ Xaverii de Idololatria & infidelitate.

In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Psalm. 18. Hæc verba, quæ Spiritus Sanctus olim de Apostolis dixit, non minus quadrant Francisco Xaverio, qui per solam divini Verbi virtutem, mundum integrum veri Dei imperio subjecit; in tribus mille terrarum leucis Evangelicum lumen effudit, innumerabilem fere numerum Ecclesiarum in Oriente fundavit, possessionem adiit duorum, & quinquaginta regnorum, ut ibi Jesus Christus regnaret; ubique domuit Ethnicæ superstitionis infidelitatem, hæresis pertinaciam, impietatis licentiam, manu sua baptisma contulit decies centenis Idololatrarum millibus, eosque Deo obtulit tanquam fideles Sancti nomi-

nis

nis ejus cultores. Hoc eſt fidei noſtræ miraculum. Miraculum, quod ſuperat quidquid legimus de Heroibus ſeu veris, ſeu commentitiis, quos tantopere profana celebrat hiſtoria. Miraculum, ubi dicere poſſum, cum S. Ambroſio, Franciſcum Xaverium reapſe feciſſe, quod humana Philoſophia excogitare non potuit: *Minus eſt quod iſta finxit; quam quod ille geſſit. P. Bourdaloue.*

Vir memoria retineri poſſunt locorum nomina, ubi ille Dei verbum prædicavit.

In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſalm. 18. Ne putetis me iſtic colligere velle omnia magni Xaverii præclare facta, quorum bona pars fere incredibilis eſt; vel me proferre omnia eorum locorum nomina, quos ille luſtravit, & me ſatigare velle attentionem veſtram prolixe barbarorum nominum ſerie: ad id mea non ſufficeret memoria, & mens veſtra obrueretur. Expandite Geographicas Indiarum Tabulas; hujus Gigantis curſus emenſi ſunt magnas illas Provincias. Videte has Japoniæ inſulas, quæ tot regna complectuntur; hæc nonniſi pars eſt Apoſtolicorum ejus triumphorum, & Regio illa, quæ ſatis eſt ambitioni Regum quinquaginta, & ultra, Apoſtoli noſtri zelo ſatis non eſt. Oculos conjicite in Travancorium & Moluccas; ſexcentæ itineris leucæ in laboribus miſſionis ejus pedeſtri itinere emenſæ, nonniſi illius conſtantiam excitaverunt. Si mentis veſtræ falluntur oculi, citra adulationem dicere poteſtis, per quot freta non tranſiit, ut illuc ſancta afferret Myſteria? Quænam eſt ex barbaris illis regionibus, ubi Evangelici Verbi ſemen non jecerit? Quam ex inſulis illis intra Eccleſiaſticæ ditionis fines complexus non eſt? Quænam ex illis rupibus Salvatoris nomine non perſonuit? Quem videmus locum, ubi aliquod pietatis, charitatis, zeli, integritatis, vel miraculorum ſuorum non reliquerit monumentum? *Flechier.*

S. Xaverius omnibus omnia factus eſt pro ſalute proximi.

Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. 1. ad Corith. 9. Apoſtolicæ Perſonæ omnium ingeniis & moribus ſeſe debent accommodare, ſi velint animas Jeſu Chriſto lucrificere. Opus eſt, ut Evangelii Miniſter fiat infirmus cum infirmis, imbecillus cum imbecillis; gaudeat, opus eſt, cum gaudentibus, & cum flentibus fleat, cum pueris repueraſcat, & ſapiens ſit cum ſapientibus, ac ſpiritualibus. Verbo, cum unum dumtaxat ſpiritum habeat, quod tamen in plura dona dividitur, opus eſt etiam, ut vir Apoſtolicus quodammodo multiplex fiat, ut pluribus æquivaleat, & tot induat figuras, atque temperamenta, quot ſunt illi regendi. Veritatem hanc S. Xaverius agnoverat; ſua prævidens munera, labores, & pericula ſibi ſubeunda, prævidebat, ſibi opus futurum hac charitate, quæ ſeſe omnibus accommodat. Nonne myſticum habuit ſomnium, quo omnes eventus illi portendebantur? Dormiens ſibi Indum geſtare viſus eſt ſummo cum labore, & ſub ejuſdem onere ingemiſcere. Navis, qua Sanctus hic vir vehebatur, zelo ipſius præbuit argumentum, quod fuit loco præparationis ad ea, quæ ipſi in miſſionum ſuarum curſu erant peragenda. Inter piſcatores, qui eadem vehebantur navi, orditur miniſterium ſuum. Magiſtratibus oſtendit, ipſos mitti ad exercendam juſtitiam Dei in populos barbaros, & eorum intereſſe illos ad pietatem præparare exemplis ſuis. Modo ad inſtitores ſermonem convertit, eis ſuadens ut cælum ſuis redimant eleemoſynis, ac ſua in commerciis fidelitate. Modo milites alloquitur, edocens ora eorum blaſphemiis manantia, Creatorem vereri &c.

Magnus hic Apoſtolus nemini cedit laborum ſuorum magnitudine.

Abundantius omnibus laboravit. 1. ad Cor. 15. Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius fidenter cum S. Paulo dicere poteſt, *Abundantius omnibus laboravi.* Quinam illi hanc zeli præeminentiam præripere poteſt? Omnes ſuſtinet injurias, omnium ſtudiis ſe accommodat; diſcit ſermonem barbarorum, quos cupit convertere, ſeſe ad pueritiæ ſtatum redigens, ac devorans laborem adeo ingratum, atque moleſtum. Nec timet balbutire ut Moyſes coram Pharaone; non cauſatur, ut Jeremias, quod loqui neſciat: ſeſe puerorum cachinnis objicit irridendum, quoad voluerint, dummodo illis utilis eſſe poſſit; illis relinquens pravum ſermonem eorum, dummodo eos ad bonos mores perducat, non abnuens per crucis contumelias tranſire, dummodo hanc illis præceptis, & exemplis ſuis præbeat adorandam. Viſus eſt, verbis deficientibus, per nutus & ſigna ſenſus ſuos illis aperire; manus in cælum attollere, tradere modum orandi, plorandi, pœnitendi; cumque non haberet, quid illorum auribus inſtillaret, corda eorum movere oris habitu, atque ſilentio. *Flechier.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, quæ huic inſervire poſſunt argumento.

Loci qui conveniunt Apoſtolis generatim inveniuntur in quarto Bibliothecæ Concionatorum Moralis tomo ſub *zeli* titulo, paragrapho Quarto, quibus addi poſſunt ii, qui ſequuntur.

Multi ſunt ſpirituales Magiſtratus, porro major omnibus eſt dignitas Apoſtolorum. S. Chryſoſt. ſerm. de Apoſtolis.

Vides faſtigium dignitatum? Vides Apoſtolum ſublimem ſedere, nec ullum ipſum præcedere, aut ſublimiorem illo eſſe? primum enim Apoſtolos nominat Paulus, deinde Prophetas, & Doctores &c. neque vero principatus eſt tantarum dignitatum Apoſtolatus; ſed etiam radix, & fundamentum. Idem ibidem.

Diſce reliquarum gratiarum copiam omnem tamquam in capite, in Apoſtolatu reſidere. Idem ibid.

Merito ſpiritualem conſulatum appellavimus Apoſtolatum. Sunt enim a Deo deſignati magiſtratus Apoſtoli. Idem ibidem.

Apoſtoli veluti alii cæli enarraverunt gloriam Dei; per hos enim cælos ille cælorum fabricator, & inhabitator innotuit, quo tonitruo mundus tremuit. S. Auguſtinus ſerm. 30. de tempore.

Quæ ſunt nubes Dei? Apoſtoli ejus, Prædicatores ejus, de quibus intonabat præceptis, coruſcabat miraculis. Idem in Pſalm. 96.

Miſſi Apoſtoli orbem terrarum Evangelio repleverunt. Idem l. 10. de Civit. c. 30.

Ipſi Apoſtoli, qui ignobilia & contemptibilia hujus mundi fuerunt, iſti teſte Chriſto Judices erunt noſtri. Idem ſerm. 11. de Verbis Domini.

Dedit Dominus poteſtatem Apoſtolis ſupernaturam, ut eam curarent, ſuper Dæmones, ut eos expellerent, ſuper elementa, ut ipſa immutarent, ſuper mortem, ut eam contemnerent. Idem Serm. de Apoſtolis.

Iſti ſunt lux mundi, quia per ipſos lumen fidei, & veræ ſcientiæ primum Dominus huic mundo tradidit, & ab errorum, ac peccatorum tenebris gentes, & populos eruit. Idem ſerm. 43.

Iſti ſunt ſal terræ, quia per eos terrigenæ condimentum ſaporis vitæ æternæ perceperunt, ut reſtringerent carnis laſciviam, & a putredine peccatorum ſervarentur. Idem ibidem.

Manent uſque hodie in nobis Apoſtolorum veſtigia, & eorum religio, quia ex Deo eſt, & non poteſt diſſolvi, per Evangelium ipſi nos genuerunt, non ſibi, ſed Chriſto. S. Bernardus ſerm. 3. de Apoſtol. Petro & Paulo.

Iſti ſunt lapides pretioſi, quos in fundamento cæleſtis ædificii poſitos Joannes in Apocalypſi ſua deſcribit, quia Prædicatio eorum Eccleſiæ fundamenta locavit. Idem ibidem.

Erant Apoſtoli columnæ, & Medici, & Duces, & Doctores, & Portus, & Gubernatores, & Paſtores, & Athletæ, & pugnatores, & coronas geſtantes. S. Chryſoſtomus homil. de Pentec.

Loci, qui magis præcipue S. Xaverio conveniunt.

Zelum tuum inflammet Charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia; ſit fervidus, ſit circumſpectus, ſit Invictus: nec ſoporem habeat, nec diſcretione careat, nec timidus ſit. S. Bernardus ſerm. 57. in Cantic.

Ille in Charitate Dei eſt perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit: gratiſſimumque Deo ſacrificium zelus eſt animarum. S. Auguſtinus in Joan. cap. 3.

Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum, & hoc propter imaginem Dei impreſſam animabus. S. Gregorius homil. 12. in Job.

Omnium divinorum diviniſſimum cooperari Deo in ſalute animarum. S. Dionyſius de cæleſti Hierarchia c. 3.

Et ſi ingentes pecunias erogaveris pauperibus, plus tamen effeceris, ſi converteris animam. S. Chryſoſtomus homil. 3. in Geneſ.

Quomodo quis poteſt dicere ſe diligere Deum, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt in ſtercuilinio jacere, & non curat? aut ſi cogitat, quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus eſt, & ipſe pro animabus mori non cupit? Sanctus Bonaventura in Pharetra div. amor.

Planta, riga, ſer curam; tuas expleviſti partes; ſane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu; ubi forte noluerit, tibi deperit nihil. S. Bernardus l. 4. de Conſideratione.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc argumentum poteſt adferri.

Vocatio neceſſaria eſt, ut quis digne miniſterium Apoſtolicis perfungatur.

VOcatio procul dubio eſt primum neceſſarium Apoſtolo; ad id enim opus eſt hominibus eximiis, & fortitudine, nec non heroica conſtantia præſtantibus, ut dici poſſit hoc eſſe miraculum gratiæ illos vocantis, & opus Dei, qui illos ad hoc munus effinxit. Ita videmus illos a Deo quæri, cum ne cogitant quidem, & ſæpe cum longiſſime abſunt, conſilia agitantes prorſus contraria, vel cum magis inhærent mundo nexibus vincti, qui difficillime frangi poſſunt, & nonnunquam etiam cum ſunt infeſtiſſimi illius inimici, qualis fuit S. Paulus. Quapropter S. Auguſtinus dixit, Dei ſupremam poteſtatem in hoc potiſſimum enituiſſe, & gratiam illius præcipue triumphaſſe, cum perſecutorem in Apoſtolum convertit; quod ipſum dici poteſt de homine, qui mundi impedimentis implicitus eſt. Attamen citra erroris metum affirmare poſſumus, per admirabile ſupernaturalis providentiæ ſecretum ſcire gratias ſuas accommodare eorum

Digitized by Google

rum ingenio, quos ad hoc miniſterium evocat, ut cum generoſa reperiunt corda, & animos probatos, hi objectum tantum immutant, quin ſuum characterem abjiciant, ac ſervant magnanimum ardorem omnium actionum. Quapropter non unius tantum generis ſunt heroes, & tota heroica virtus nequaquam in eo ſita eſt, ut quis armorum vi regna adipiſcatur. Chriſtiana Religio plurimos peperit, qui prioribus fortitudine non cedunt; & in hac claſſe recenſeri poſſunt viri Apoſtolici, ac inter principes *S. Xaverius*.

Reſpondetur objectioni Ethnicorum de ceſſatione miraculorum apud Chriſtianos.

Una ex maxime communibus difficultatibus, quas olim objiciebant Ethnici contra Religionem, hæc erat, quod non videbantur amplius ea miracula, de quibus Chriſtiani loquebantur, & quæ ab illis afferebantur tamquam certa ejuſdem divinitatis argumenta. Unde hi Religionis Chriſtianæ inimici arguebant, vel illam degeneraſſe ab ea, quæ erat, vel illam nunquam fuiſſe, qualem jactitabant. Verum eſt, S. Gregorius Papa dicebat, hoc miraculorum donum hodierna die non eſſe ita familiare ut olim in primitiva Eccleſia; ſed modo non eſſe adeo neceſſarium, ut olim. Fides enim adhuc oriens primis illis temporibus erat arbuſculum, quod, ut adoleſceret, ac roboraretur, irrigandum erat, & non communibus gratiis alendum; nunc autem cum altas radices jecerit, & per ſe ſtare poſſit, externo non eget amplius ſubſidio. Reſponſio hæc ſolida eſt, ſed illa S. Auguſtini ad perſuadendum aptior videtur; qui cum Infidelibus diſputans dicebat: vel creditis miracula, quibus Chriſtianæ Religionis veritatem comprobamus, vel minime creditis. Si illa creditis; næ fruſtra vos nova requiritis; Deus enim ſatis ſe prodidit per ea, quæ in Chriſtianiſmi inſtitutione re adhuc integra operatus eſt: ſi minime creditis, ſaltem opus eſt, ut unum fateamini ſatis authenticum, & cæterorum ſortiſſimum, videlicet, quod ſine miraculis mundus ad Jeſu Chriſti fidem fuerit converſus: *Si Chriſti miraculis non creditis, ſaltem huic miraculo credentium eſt, mundum ſine miraculis fuiſſe converſum.* Er ſane quid hac converſione miraculoſius? Recogitate quo pacto Chriſtiana lex ſeſe in mundum effudit; ſublimitatem myſteriorum ejus incomprehenſibilium, & in ſpeciem oppoſitorum humanæ rationi, ſeveritatem diſciplinæ humanis ſtudiis, ſenſibuſque penitus adverſantem; violentos impetus, & prælia, quæ illi fuere ſuſtinenda; infirmitatem Apoſtolorum, quibus uſus eſt Deus ad illam prædicandam, & nihilominus admirabiles ſucceſſus prædicationis eorum in Regnis, in imperiis, in omnibus terris. Nullus eſt ſpiritus rectus, & æquus, qui hæc omnia ponderans, non deprehendat viſibile miraculum, & non fateatur, extremam inſaniam eſſe non credere Evangelio. Tenetur autem, S. Franciſcum hoc inſtauraſſe miraculum, ac illud inſtauraſſe per eadem media, quæ Apoſtoli Jeſu Chriſti adhibuerunt. *P. Bourdaloue.*

De nomine, dignitate, ac muneribus Apoſtolatus.

Fatendum eſt, dignitatem, atque extenſionem nominis Apoſtolici nimis magnam eſſe, ut perfecte adimplearur ab hominibus zelo quidem, & virtute præditis; ſed quorum munus ad exiguum ſpatium coarctatus eſt, & quorum zelus ad paucos exrenditur homines, & quorum auctoritas intra Juriſdictionis eorum limites continetur. Hoc Apoſtoli nomen, hoc eſt, Apoſtolatus qualitas eſt ſupereminens in Eccleſia, cui adhæret plenitudo poteſtatis, & commiſſionis, ſed multo magis plenitudo ſcientiæ, & chariratis; quarum altera vincere poteſt conatus omnes humanæ rationis evangelicæ veritati adverſantis; altera vero ſuperat omnes difficultates, omnia contemnit pericula, gloriæ ſibi vertit martyria, paſſiones, perſecutiones, dummodo nomen Dei glorificetur, Regnum illius extendatur, doctrina illius omnibus terræ populis annuntietur. Horum autem virorum pauci inveniuntur poſt duodecim, qui peculiari Jeſu Chriſti electione conſtituti ſunt primi Fundatores Eccleſiarum, univerſales Chriſtianæ Religionis doctores, & tamquam Capita, & duces ſpiritualis hujus exercitus, qui pugnat ſuper terram, ut regnum cælorum adipiſcatur: pauci, inquam, qualitatem hanc meriti ſunt, & geſſerunt titulum adeo glorioſum ſecundum omnem ſignificationis ſuæ latitudinem. Et profecto quævis Provincia unum dumtaxat habuit, qui antonomaſtice hoc nomine valeat appellari; & ſi non deſuerunt Doctores aliqui, Religioſi, Epiſcopi, paſtores, qui fidei lumen invexerint, & Evangelium prædicaverint in Indiis Orientalibus, unus tamen Xaverius obtinuit nomen Apoſtoli Indiarum, & eminenter poſſedit qualitates omnes, quæ deprehendi poſſunt in primis illis Apoſtolicis viris, qui nos doctrinam ſalutis edocuerunt.

De vocatione ad Apoſtolatum.

Apoſtolatus tria præcipua complectitur, auctoritatem gubernandi, facultatem docendi, & poteſtatem miracula patrandi. Auctoritas gubernandi reliquis præcedit, tanquam altiſſimum Apoſtolicæ dignitatis faſtigium, cui alia duo ſubordinata ſunt, tamquam gradus, ut ad illud perveniatur. Et ſane miraculorum poteſtas Apoſtolis collata fuit ad confirmationem doctrinæ, quæ conſtituta non eſt ſuper humanis rationibus, ſed auctoritate divina: *Deo ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Doctrina vero illis data fuit, ut pares fierent huic regimini, quod præſertim conſiſtit in eruliendis populis in recta fide, ſanctaque morum diſciplina. Verum cum duæ vocationes omnem præcedant miſſionem, interior videlicet, & exterior, quarum una ſine altera fere inutilis eſt, affirmare poſſumus, S. Franciſcum Xaverium utramque obtinuiſſe, utrique paruiſſe, & ſublimi hoc miniſterio, ad quod vocabatur, incredibili zelo, & ardore fuiſſe perfunctum.

Marc. ult.

De miſſione Apoſtolorum, deque viris Apoſtolicis.

Neceſſe non eſt hoc loco oſtendere neceſſitatem Miſſionis, quæ Apoſtolo nomen tribuit, & quæ potiſſima eſt conditio, ſi propriam nominis ſignificationem ſectamur, videlicet pro poteſtate annuntiandi fidem, quæ conferenda eſt ab auctoritate legitima; quod nos monet S. Paulus: *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Sed ſciendum eſt, duplex eſſe miſſionum genus, alteram ordinariam, quam confert Summus Pontifex, vel Epiſcopi, cum privato, aut pluribus tribuunt facultatem prædicandi Evangelium, & annuntiandi fidem per provincias, & regna, & hoc miſſionis genus commune eſt; alteram vero extraordinariam, quæ præterquamquod a Superioribus Eccleſiaſticis confertur, palam conſtat eſſe a Deo per poteſtatem patrandi miracula; de quo miſſionis genere loquitur S. Paulus, cum de ſe ipſo dicit: *Signa Apoſtolatus mei in ſignis, & prodigiis*, & quod Salvator ipſe deſignat Judæis exprobrans eorum incredulitatem, per hæc verba: *Si mihi non creditis, operibus meis credite.* Liquido patet S. Franciſcum Xaverium ſuam habuiſſe miſſionem non ſolum a Summo Pontifice, & Eccleſiaſticis Superioribus, ſed ab ipſo Deo, quoniam probavit illum omnibus populis infinito miraculorum numero, quemadmodum Salvator fecerat Judæis.

Deus ſæpe utitur hominibus ad majora conſilia ſua exequenda. Ita & uſus eſt Xaverio, ut per hunc a nationibus maxime barbaris cognoſceretur.

Quamvis Deus a nemine pendeat, & operari poſſit ſine inſtrumentis, quemadmodum ſine labore operatur; tamen certum eſt, illum ſæpe uti miniſterio creatarum rerum, ut ſua conſilia perficiat. Propheta nobis aſſerit ſupremam hanc Majeſtatem officia puris conferre Spiritibus, qui hominum regimini addicuntur; & non ne patet ab ea electum fuiſſe Moyſen, ut præeſſet populo illius? Quin antiqua repetamus, immoremur conſiderantes ea, quæ fecit Salvator, cum erat ſuper terram, quemadmodum dicit S. Paulus, ut ibi Apoſtoli munere perfungererur: *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum*; videbimus illum ſibi elegiſſe Vicarios, duodecim præcipue Apoſtolos, quorum opera jaceret prima Chriſtianiſmi fundamenta; illos penitus rudes elegiſſe, ut faceret Doctores Eccleſiæ, & Duces ſpiritualis exercitus ſuper terram. Quæ cum ita ſint, cumque Dei Filius eamdem ſemper gerat curam gregis ſui, dans illi viros neceſſarios ad illius regimen, ac præſidium, dubitare non poſſumus, quo minus Franciſcus Xaverius ex hoc numero ſit. Electio ejus eſt adeo inſignis, & admirabilis, ut ſe ipſum excæcare velit, qui non videt Deum oculorum ſuorum aciem, ut ita dicam, in illum intendiſſe, tamquam in vas proprium ad ferendum nomen ſuum in Regna, quorum victoria erat difficillima. Mundus enim in Xaverio proſpiciens tam pulchras qualitates & corporis, & mentis, in illo deprehendens non vulgarem animi magnitudinem, ingenium acre, & igneum ſolidumque judicium, illum reſpiciebat tamquam virum idoneum ad ſuſtinendum nitorem, & decus familiæ, quæ in Regno Navarræ maxime florebat. Verum Deus, qui abſolutum habet jus in omnia creata, de illo dixit, quod olim de Gentium Apoſtolo, *vas electionis eſt mihi iſte &c.* & eodem uti voluit, ut ſuſcitaret nomen Chriſtianum iis in regionibus, ubi ejus jam pridem nulla fiebat mentio; quare omnem adhibuit curam, ut cum zelo, ac fortitudine, quæ cogitari poteſt, id exequeretur.

Xaverius evitavit duplicem eorum prærerum, qui ad proximi ſalutem reuuunt operari.

Duo ſunt mala illis communia, qui ſacro initiati ſunt miniſterio, quæ prohibent Eccleſiæ gloriam, & proceſſum. Alii falſa verecundia timent ſe ſe animabus regendis immiſcere, & cauſantes curam, quam gerere debent ſalutis ſuæ, & periculum eorum, qui ſaluris alienæ rationem reddituri ſunt, deſunt Charitatis officio, ac in ſua manent inertia. Alii vero imprudenti facilitate, eaque ut plurimum ambitioſa, vel cupida, temere ſe ſe in miniſterium obtrudunt, & in functiones Apoſtolicas, & deſtituri prudentia & virture, quæ ad ſublime hoc munus eſt neceſſaria, perdunt animas ſuas, in ſpeciem alias lucrari velle oſtendentes. Franciſcus Xaverius æque utrumque ſcopulum evitavit. Nequaquam obdormiit in inerti contemplatione; nunquam otioſus fuit; cumque occuparus fuit, nuſquam ſine diſcretione, & cognitione, & ſemper ad majorem Dei quidem gloriam, proximi vero ſalutem fuit occupatus.

Poteſtas Dei patet in converſione mundi generatim quod uſus eſt Apoſtolis præſertim & rudibus & S. Xaverio ad Indiarū converſionem, quin ratione haberet naturalium ejus talentorum.

Magna facere, illud proprie non eſt, in quo ſita ſit Dei omnipotentia: ſed ex nihilo magna facere, hoc proprium eſt divinæ virtutis, & peculiaris character, qui illam diſtinguit. Ita egit Deus in Creatione, & Incarnatione, quæ antonomaſtice ſunt duo eximia manuum ejus opera. In Creatione entia quælibet ex nihilo eduxit, & in nihilo operatus eſt; & quia tamquam Deus operabatur, nihilo huic infinitam præbuit fecunditatem. In Incarnatione, naturam omnem reparavit, reformavit, inſtauravit; & ideo opus fuit homine Deo: ſed opus fuit, ut hic homo Deus ſe ſe annihilaret, ut illo Deus uti poſſet ad perficiendum ingens myſterium humanæ redemptionis. Ecce igitur ideam, quam Dei Filius ſecutus eſt in inſtitutione Evangelii. Oſtendere

voluit

voluit univerſo terrarum orbi, hoc eſſe opus Dei, & Deum unum ejuſdem auctorem eſſe. Quid igitur fecit? Elegit humiles, abjectoſque homines, contemptibiles ſine nomine, ſine doctrina, penitus rudes; Diſcipulos, qui eadem fuerunt infirmitas; Apoſtolos, qui non alia geſſerunt arma, niſi patientiam, non alios habuerunt theſauros, niſi paupertatem, neque alia conſilia, niſi ſimplicitatem: *Non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus.* Eamdem rationem ſecutus eſt Dei Filius, cum S. Franciſcum ad Apoſtolatum vocavit. Magnus hic Sanctus omnibus ornatus erat prærogativis: Erat nobilis, non vulgaribus prædictus erat talentis, neque deerant illi ex qualitates, quæ aptiſſimæ ſunt, ut quis niteat in ſæculo. Sed nihil horum quidquam contulit Miraculo, quod per illum operatus eſt Deus. Opus fuit, ut Xaverius has omnes prærogativas abjiceret, iiſque exueretur, operam daturus propugnationi Evangelii; opus fuit, ut renuntiaret quidquid erat, quidquid ſciebat, & fieret propria voluntate id, quod fuerant Apoſtoli in prima eorum conditione, ut ſe ſe non ſecus ac illi diſponeret obeundis Apoſtolicis officiis, ad hoc ut poſſet feliciter Dei ſui Regnum extendere.

1 Ad Cor. 1.

Quiſpiam fortaſſe cuperet, vitam adeo inſignem, ac tot coruſcantem miraculis, qualis Xaverii fuit, martyrii gloria fuiſſe coronatam. Non ſum ita audax, ac temerarius, ut quidquam mutare velim in Elogiis, quæ Sanctis ſuis tribuit Eccleſia; & illud Apoſtoli, quo dignata eſt hunc Virum, eminet adeo, ut nullus ſciam, utrum illi addere quidquam poſſit titulus Martyris. Tamen ſi vetus Eccleſia pro veris, ac legitimis Martyribus eos coluit, qui inſigne aliquid probrum pro Jeſu Chriſto pertulerunt, qui in carceribus fuerant, aut aliquot vulnera in ſuis corporibus receperant: Si Tertullianus eos conſolatus, qui ferreis adſtricti erant vinculis pro Jeſu Chriſti cauſa, illos Martyres vocat; Si S. Cyprianus Martyr hoc titulo dignatur eos, qui ad metalla damnati erant, eo quod Idolis thus adolere noluiſſent, nullam video cauſam, propter quam hoc nomine fraudetur Xaverius. Num quis plures pertulit injurias, & contumelias pro Chriſti nomine? Num quis plures ſuſtinuit labores, obiit pericula, ut Evangelium annuntiaret? Num quis vitam ſuam accuratius ſervavit, quam Sanctus hic objecit ſuam periculis, ſuppliciis, certiſque mortibus propter Deum? Quo alio nomine præterquam martyrii, vocare poſſumus glorioſum eum finem, quo e vita deceſſit? Mortem invenire non valuit inter latrones Malabariæ; illam nancifci non valuit in agreſtium populorum ſævitia, in Bonzorum inſidiis; credidit illam in Sinenſi imperio ſibi reſervari. Novit quantum ea natio Evangelium horreat; nihil intentatum reliquit, ut illuc ingrediatur, & ſicut priſci Martyres tortoribus pecuniam erogabant in præmium gratiſſimi officii, quod ſibi ab iis præſtabatur; emit a Sinenſe Mercatore hoc ſolatium, ut noctu objiceretur januæ unius ex præcipuis urbibus, & certæ mortis periculo. Nonne hoc ſatis eſt, ut glorioſum Martyris titulum mereatur? Si intentionum noſtrarum rectitudo, & finis, quem nobis proponimus, totum meritum noſtrum conſtituit, aſſerere poſſumus Sanctum hunc ſi re ipſa Martyrium paſſus non eſt, voluntate tamen Martyrem fuiſſe, & ipſum Martyrio non defuiſſe, licet defuerit illi Martyrium.

Utrum Apoſtolici viri, qui mortem pro J. C. non fubiere, ſint martyres?

Neque prætermittendum eſt in obeundis Apoſtolicis officiis, unionem cum Deo, & orationem admirabilem opem afferre, & omnino requiri ad converſionem animarum. Ratio eſt, quod non ſolum cor Regum eſt in manu Dei, verum etiam cor omnium hominum generatim; quia Dei gratia illud movet & inclinat, quocumque vult, quin tamen libertati illius vim afferat. Unde Theologi docent eos, qui hujuſmodi in occaſionibus confugiunt ad Deum, ab illius bonitate obtinere, quod pertinaciſſimus quiſque detrectat; quamobrem hoc illud adminiculum eſt, quo uſi ſunt omnes Apoſtolici viri, & præſertim S. Franciſcus Xaverius, qui nunquam a Deo petiit peccatoris alicujus converſionem, quin voti reus factus fuerit.

Oratio Apoſtolico viro neceſſaria, ut optatum eventū conſequatur.

Quamvis omnes animæ æque jucundæ ſint Deo, & eſſe debeant; tamen plures ſimul lucratur, qui ad fidem convertit viros aliquo amplitudinis genere præſtantes. Diceris Principibus, ac præſtantiſſimis viris alios tamquam plures annulos adnecti, quorum ſi unum trahas, reliqui neceſſario ſequuntur, quod in catena videmus. Illorum purpura, vetus quidam auctor dicebat, occultas habet qualitates, quibus plures attrahit poſt ſe; & conſtat, utram illi partem ſequantur, maximum huic pondus accedere. Ita cum illi damnantur, principem rebellium Angelorum imitantur; ubi vero ad virtutem contendunt, recta in Cælum pergunt ingenti comitante caterva, ut ita dicam; quia eorum exemplum longe pluribus ſternit viam.

Utilius eſt ad gloriam Dei lucrari eos, qui inter cæteros eminent, quam vulgo homines e cnvio.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Converſio & vocatio S. Francici Xaverii.

FRanciſcus Xaverius nobilis erat adoleſcens ingenio fervido, & magnæ ſpei, qui cum indolis ſuæ vi, accedente generis amplitudine, procul dubio in re militari exæquaſſet gloriam fratrum, majorumque ſuorum bello partam, niſi amor ſcientiarum tenuiſſet cor illius, vel melius dicam, niſi Deus illi ſenſus longe ſublimiores afflaſſet, ut ex eo electum ſibi vas effingeret, tamquam alterum Paulum, ut portaret nomen ejus apud Gentes. Sæpe ac illud Deo lucratus eſt S. Ignatius, ipſe iniit conſilium eidem mundum univerſum lucrandi, juxta cujuſdam ſororis ſuæ prophetiam. Sed ut prima intueamur hujus magnitudinis animi præſagia; illa nobis conſideranda ſunt in Monte Pariſiis proximo, ubi tumulus eſt Apoſtoli Galliarum, & ubi fuit olim theatrum tot Martyrum, cujus adhuc retinet nomen. Ibi enim cum primum ſe ſe devoviſſet Deo, ſuaque vota quotannis inſtauraſſet, zelum Apoſtolorum, & Martyrum fortitudinem adeptus eſt, ita ut mirum non ſit, ſi natus inter primorum Chriſtianorum Religionis Heroum cineres, hæres fuerit eorum conſtantiæ; & pro ſtemmate illa aſſumpſerit verba, quæ Deus olim Moyſi dixit: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Et profecto ex pretioſis illis cineribus prodiit ignis ille, quo novus terrarum orbis conflagravit, & quem omnia maria non potuerunt extinguere. Tot Martyrum ſanguis accendit zelum hunc, quo percitus in penitiores barbariæ plagas penetravit, novas ibi terras quæſiturus, ac in terris illis novas animas, quas converteret Deo. Super tumulum primorum Eccleſiæ militum orta ſunt ignita illa deſideria proferendi fines imperii Filii Dei, quæ validiſſimi quicumque obices cohibere minime potuerunt. Id autem eo tempore contigit, quo Charitatis ignis adeo extinctus erat, ut ad aliquam ejus ſcintillam reperiendam, ipſa Martyrum ſepulchra eſſent adeunda. Quod ſi olim audaciſſima quævis conſilia ſuſcipiebantur ante magnorum Ducum ſepulchra, quorum cineres videbantur animos inflammare illorum, qui ſe ſe ad eorum exempla conformare adnitebantur; Sacri tumuli, auguſtæ reliquiæ fidei primorum fidelium! non ne credendi mihi locus eſt intuendi zelum, ardoremque Xaverii, Martyres omnes, qui in ſinu veſtro depoſiti fuerunt, in illum ſuam fortitudinem, & charitatem tranſtuliſſe? *Inſpice; & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Perge ergo, quo te Deus advocat, nihil tibi opus eſt niſi ſequi, quandoquidem tibi ſtratam ſub oculis oſtendit viam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Xaverius ſe præparavit ut exequeretur divina de ſe conſilia.

S. Franciſcus Xaverius in Europa poſuit quaſi univerſale tyrocinium eorum omnium, quæ ipſi in Orientalibus miſſionibus erant vel facienda, vel perferenda. Cum in pœnitentiæ ardore jejunium producebat uſque ad virium exinanitionem, utque in ſe ipſo levem puniret oblectationem, inclementer vinciens corpus ſuum, illud non ad ſervitutem modo, verum etiam ad mortem redigebat, ne judicium feras de piis hiſce, nobilibuſque exceſſibus humana prudentia. In ſanctorum actionibus adſunt quædam indiſcretionis ſpecies, quas zelus producit, quas charitas purificat, & quæ tua principia, tuaſque regulas excedunt. Oportebat, ut Xaverius aſſueſceret ferendo in ſe Jeſu Chriſti mortificationem, ac ſemper eſſet præſto vitam effundendi. Omnia ſibi denegat bona, omniaque commoda; ſi oſtiatim emendicato pane vivit, ſi non allam habet domum niſi noſocomia, vulr poſſe dicere cum Apoſtolo: *Scio eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Si ardenti, & pertinaci febre correptus colligens parum illud virium, quæ ſupererant, ſe ſe per publicas plateas trahens hortatur tranſeuntes, ut vitæ rationem immutent; & ſi deficiente voce prædicat Jeſum Chriſtum ſuſpiriis & languoribus corporis ſui, non ne hoc ſpecimen eorum eſt, quæ in remotiſſimis regionibus facturus eſt, quarum neſcit conſuetudinem, & linguam ignorat? Si in Regis Luſitaniæ aulam videtur Chriſtianas virtutes invehere, ubi graſſabatur licentia; affectiones vincire inter objecta, quibus excitari conſueverunt; Aulicos cogere, ut octavo die quoque ſacra ſe Synaxi reficiant, & magis de conſcientiæ puritate, quam de fortunarum incremento ſolliciti ſint; ſincere cum amicis in gratiam redire iis in locis, ubi odia diſſimulantur, & nunquam relinquuntur; & ubi tantum abeſt, ut læſi parcant, ut potius ne lædentes quidem læſis parcere velint; ſi Regi perſuadet, ut ipſe prior præbeat exemplum, & regia domus æque reformata videtur, ac Cœnobium, & Aula ſimilior religioſæ Societati, quam aulicorum conventui; hoc non aliud erat, quam tyrocinium eorum; quæ facturus erat in Converſione Regis Maldivarum, vel in aula Regis Ternatæ? *Flechier.*

Sequitur vocem Dei vocantis, & vocationi ſe ponder.

Neque ſatis eſt Xaverium hos ſanctos motus, & ardores Apoſtolo dignos ſentire, opus eſt, ut ex ſemet ſe præparet, ac reſpondeat huic vocationi per abnegationem terrenarum rerum omnium, & extremum vale dicat

dicat negotiis omnibus humanis, honori, exiſtimationi, commodiſque perfecta omnium ſuarum cupiditatum victoria. Ad id autem parum eſt bona, cognatos, amicos relinquere; omnes infringere nexus, quibus mundo hæret, omnemque fortunæ ſpem abjicere; niſi domuerit etiam corpus ſuum, ac illud in ſervitutem redegerit, tamquam Paulus alter: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Hoc ille re adhuc integra fecit miro ſane mortificationis genere, videlicet fidiculis cruta ſua vinciendo, ita ut jugi motui longi, & pedeſtris itineris alte adeo carnem penetraverint, & totidem vulnera evaſerint; quod malum cum agitatione corporis magis, magiſque irritaretur, moleſtiſſimis ac violentiſſimis remediis fuit opus. Dicerem libenter, hunc illum eſſe nodum adeo celebrem apud Ethnicos; & divinæ Sapientiæ oraculum totius orientis victoriam pollicitum fuiſſe illi, qui tanta polleret induſtria, vel cui tanta contingeret felicitas, ut illum vel ſolveret, vel ſecaret. Ita quidquid Chirurgi conarentur, ipſe unus per miraculoſam curationem finem optatum precibus obtinuit; ita ut craſtina die par fuerit itineri perſequendo, vel potius currendo, quo a Domino evocabatur. Illud autem longe majus fuit generoſitatis, & virtutis remedium, quod ſimul ſe liberum vidit a ſervitute corporis ſui, quaſi omnia perfregiſſet vincula, quibus illi alligabatur; & remanſit perfecte dominus ſui, victor de omnibus cupiditatibus ſuis, deque omnibus ſenſuum voluptatibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

1. Cor. 9.

Scientia S. Xaverii effecit, ut zelum ejus magis admiremur.

Eminens erat S. Franciſci Xaverii ſcientia: celeberrimæ urbes Italiæ ejus eloquentia, & doctrina illectæ fuerant. Summus Pontifex non ſine admiratione illum audiverat de præcipuis Religionis noſtræ myſteriis diſcepantem; tamen actus ardore zeli ſui ſcientia utitur ad erudiendos rudes, & agreſtes in primis Chriſtianæ doctrinæ rudimentis! Quam raro hodierna die videntur adeo profundæ humilitatis exempla! Videmus modo eruditos homines omnia ſua ſtudia ad utilitatem, vel nominis ſui gloriam conferre; nullo habent in pretio talenta, quæ illorum utilitati non proſunt, & nolunt ſcire loqui de Deo, niſi ut de ſe alii bene loquantur. Faſtidiunt miniſterium, ſi minus reſpondet opinioni, quam de ſemet ipſis fovent. Queruntur ſe inter barbaros relegatos eſſe: (hoc nomine vocantur ruricolæ quantumvis dociles ſint.) Xaverius melius novit, quanti momenti ſit ſalus animarum: credit ſe præclarum eloquentiæ ſuæ fructum obtinuiſſe, ubi eadem uſus eſt ad pauperis alicujus Ethnici converſionem, in quocumque remotiſſimo Indiæ telluris angulo. Amplius, & honorificentius quæritur theatrum ſui nominis celebritati, & gloriæ. Conantur ſe in eos locos inferre, ubi tanti ſint, quanti ſe eſſe putant, & ſuæ velificantur ambitioni, & avaritiæ prætexentes ſcientiam, quæ plerumque inanis eſt, & commentitia. *Auctor Recens.*

Magna Providentiæ Conſilia de Xaverio, & magna talenta, quibus illum ornavit, ut illa exequeretur.

Glorioſum ſacinus eſt iis animabus conquirendis operam dare, quæ in ſceleribus, & barbarie immerſæ ſunt; illas perſuadere de falſitate Religionis, quam hauſerunt cum lacte, eaſque impellere ad amandum quod oderunt, & fugiendum quod amaverunt; efficere, ut mundi bona reſpiciant, tamquam umbram pertranſeuntem, & in Salvatoris Cruce ſuis delicias inveniant. Hoc tamen opus eſt Xaverii. Evocaverat illum Deus ad artem hanc, quæ eſt omnium difficillima; ſed illi etiam cum magno laboris amore magnam ſcientiam contulerat. Ad officia hæc obeunda oportet virtutes omnes in gradu heroico poſſidere; & omnibus affluenter illum ornaverat Deus. Conſummatam illi ſapientiam largitus fuerat. Virtutes ejus ſemper auream ſervabant mediocritatem; humilis erat ſine dejectione, auſterus ſine moroſitate, lenis ſine molli indulgentia. Solitudinem amabat, non otium, in proximo unum quærebat Jeſum Chriſtum. Semper ſe ſe colligebat etiam in Mundi tumultu. Verbo, eas omnes poſſidebat dotes, quæ viros magnos efficiunt. Magnum erat munus illius; ingenium adhuc majus. In illo omnia erant magna. Studium ejus infinitum erat, & zelus ſine limite. Cor illius omnibus regionibus latius patens plures in ſe mundos fuiſſet complexus. Cupiebat omnia Dei magnitudini congruere, & ſicut divinam Majeſtatem infinito amore proſequebatur, quantum in ipſo erat, gloriam quoque nullis arctatam finibus procurare cupiebat. *Auctor recens.*

S. Xaverius non ultro ſe Apoſtolicis immiſcet officiis: ſed peculiari vocatione per obedientiam ſignificata vocatur.

Neque enim inquietum, turbidumque ingenium impulit S. Franciſcum Xaverium, ut adeo longa, & moleſta itinera ingrederetur; quippe nonnunquam uſuvenit, ut Mundi ſpiritus divinis etiam feſe inſerat miniſteriis. Cupiunt homines facto quopiam non vulgari enitescere, præſertim vero cum agitur de peccatorum converſione, deque animarum ſalute. Suorum pertæſi munerum, ac obedientiæ, quæ regulari in communitate ſervanda eſt, nimis fortaſſe auſtera, ſub charitatis exercenda colore, obedientiæ jugum excutiunt. Haud ægre patria, conſanguinei, amici relinquuntur, ut liberiorem ſpiritum ducant, & in requie, licet inter Prædicationis curas, & labores, propriæ indulgeant voluntati. Non abnuunt quidem in Domini vinea operari, immo & Apoſtolicum obire munus; ſed zeli ſui Domini eſſe volunt, ſibique ſeorſim Apoſtolatum facere, ſuique juris eſſe. Non ita Xaverius. Cuicumque miniſterio applicetur, quocumque mittatur, quodcumque facere jubeatur; illi videtur magnum. Nullius nationis eſt, immo vero omnium; cæca eſt illius obedientia, & charitas univerſalis. Numquid illum vobis exhibeam Italiam, Hiſpaniamque peragrantem, cum ſub patriæ ſuæ mœnibus pertranſiret, eam nullo in diſcrimine habuiſſe, neque oculorum quidem aciem in illam convertiſſe, reputantem eam ſibi tantum patriam eſſe, quo Dei voluntate arceſſebatur, & ubi Jeſu Chriſto operam ſuam magna cum utilitate locaturus erat? Illumne vobis oſtendam conſanguineorum ſuorum precibus, lacrymiſque inexorabilem, a quibus tamquam victima morti devota reſpiciebatur? Numquid illum vobis deſcribam in navi Indiarum tabulam manu tenentem, illic delineaturum curſum ſpiritualium triumphorum referendorum, & animaturum objecti hujus aſpectu zelum ſuum, quod tot ſumptibus, ac laboribus ſibi ſtatutum erat? Quidnam in ipſo gignebat tantum ardorem, ac motum? Unicum videlicet S. Ignatii verbum eidem voluntates, & mandata Domini ſignificantis. *Flechier.*

Virtutes, quibus præditus eſſe debet Xaverius, ut illi munus ſuum benevertat.

Ad explendum opus tam difficile, & arduum, quo S. Xaverius implicitus erat, neceſſe certe erat, ut virtutibus omnibus ornaretur; omnimoda rerum omnium abnegatione, humilitate ſumma, ardenti deſiderio contemptus, patientia, quæ omnes poſſet exhaurire contumelias. Neceſſe erat, ut rigidiſſimam ſervaret paupertatem, ut efflictim cruces, & paſſiones diligeret; & ut verbo me expediam, ut generatim extremum vale diceret iis omnibus, quæ vocantur commoda, ſolatia, deliciæ, lucra, & utilitates. Ita ſibi in animo aperuit aditum, & hæc ſunt illa automata, quibus movit corda, ut illa verſus Deum converteret. Molli erat temperamento, & ſolus vulneris cujuſpiam aſpectus horrorem illi incutiebat. Sed Apoſtolus nihil horrere debet; mollities hæc illi ſuperanda eſt, & ante dicendus illi eſt modus de ſenſibus ſuis triumphum referendi, antequam in aciem deſcendat contra Dei ſui inimicos pugnaturus. In hoc autem, quid illi ſuus zelus inſpirat? In xenodochium ingreſſus, & ægris curandis implicitus, quodnam objectum intuetur? Nonne illis opus eſt omni fortitudine, & ſuperanda eſt naturæ rebellio, & omnis ſervor, atque conſtantia adhibenda? Æger aderat, dicam melius, cadaver erat, cujus lues, ac tabum heroicam quantumlibet virtutem avertiſſet. Quid autem Xaverius? Ad primum intuitum ipſo invito cor ejus deterritum fuit, ſed repentinæ huic perturbationi ſtatim ſancta indignatio ſucceſſit contra ſeipſum. Heu! quid, inquit ille? num oculi mei prodent cor meum; & intueri fugient, quod Deus jubet amare? Hac exprobratione commotus, amplectitur cadaver illud, quod fides illi inſpiciendum tradit tamquam membrum myſticum Salvatoris, ac millies ejus vulnera deoſculatur eadem reverentia & amore, quo Magdalena oſculata eſt pedes Filii Dei, & quod vobis horrorem ciet poſt centum annos, & procul ab hinc leucas trecentum, illud eſt, quod voce exprimere non audeo, ne aures veſtras offendam; exſugit tabum illud venenatum, cujus rei S. Catharina Senenſis exemplum præbuerat, & quæ talem in magno hoc Apoſtolo effectum obtinuit, ut deinceps nullas unquam res, licet ſordidiſſimas, ei nauſeam creaverit. Adeo verum eſt, ſatis eſſe aliquando factum generoſum ad obtinendam de ſe ipſo perfectam victoriam, & ad ſanctitatem repente acquirendam. *P. Bourdaloue, & aliquis alius.*

Xaverius in Europa vires ſuas experitur ut ſe Apoſtolatu dignum gerat in Asia.

Cor iſtud ita a mundo avulſum, & quod de omnibus ſtudiis ſuis retulit victoriam, & unice Dei vocantis vocem ſequitur, aptum ne vobis videtur, ut Apoſtolicum munus aggrediatur? Hoc nondum ſatis eſt; nam ſicut officium, ad quod arceſſitur, arduum eſt, & in eo ſuſtinendi ſunt labores, obices ſuperandi, perſecutiones ferendæ, pericula ſubeunda: experire vires tuas, Apoſtole, & vide utrum animus tuus his omnibus perferendis ſit par. Omnia officia habent tyrocinia ſua, ne quis temere illis ſe immiſceat; ſed Apoſtolicum inter cætera omnibus eget virtutibus; arcta unione cum Deo, profunda humilitate, labore indefeſſo, invicta patientia, conſtantia vero tanta, ut omnibus contradictionibus reluctetur. Non latent hæc Xaverio, ideoque hic omnibus parem ſe facit in Europa, antequam migret in Aſiam; & mundi recentis Apoſtolus in antiquo virium, & fortitudinis ſuæ periculum facit. Totum illud intervallum, quod a vocatione ad diſceſſum intercedere debebat, in hac re abſumitur. Deo ſe ſe frequenti oratione, & ſolitudine jungit, & aſceticis utitur exercitiis, quibus uſus erat S. Ignatius, ut illum ad Dei ſervitutem vocaret. Frænat ſuam gloriæ cupiditatem prædicans in pagis, & qui antea in primo terrarum orbis gymnaſio enituerat, ubi multa cum laude docuerat, gaudet populos maxime rudes erudire. Se ſe adeo auſtero vivendi generi aſſuefacit, ut ita nequaquam vivere poſſe videatur. Quid dicam de perfecta ſui ipſius abnegatione, quam ex eo tempore præſtitit? Emendicato pane vivebat; in noſcomiis habitabat; apud ægrotantes noctem tranſigebat; cumque in Luſitaniæ Regis aula verſaretur, ita ſe geſſit, ut Sancti nomen acquiſierit, quod illi deinceps adhæſit. Hoc æquiſſimo jure appellari poteſt Apoſtolatus ſui tyrocinium; ita enim ſe exercuit, vires ſuas expertus eſt, ſe ſe præparavit, & Apoſtolicis laboribus aſſuefecit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

En

Digitized by Google

Ut olim Paulo, ita Xaverio ostendit Deus quanta ipsi erant perferenda.

En Xaverium, quod ad ipsum pertinet satis dispositum ad omnia Apostolatus sui munera peragenda; sed Deus ipse illius periculum facere vult, & cum eodem ita se gerere, ut olim cum S. Paulo per maximam omniumque probationum difficillimam virtutis ejus, pro qua non minor, quam ipsius constantia requirebatur. Fuit autem, ob oculos ejus subjicere quidquid in molesto hoc munere ipsi erat perferendum: *Act. 9.* *Ostendam illi, quanta illum oporteat pro nomine meo pati.* Cum enim corpus ejus nimis esset gracile, ac imbecillum ad spiritus sui fervorem sustinendum, Vincentiæ in Nosocomio incidit in morbum, ubi magnus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus, quem præcipuo cultu prosequebatur, apparuit illi, eumque consolaturus, aperuit quæ ipsi erant perferenda, quandoquidem Deus illum longe aliter exercituras erat, simulque Xaverius tamquam in tabula sibi proposuit horribilem imaginem omnium laborum, qui sibi erant exhauriendi toto vitæ suæ spatio, & qui veluti catervatim sese oculis ejus obtulerunt. Verum magna illius constantia, quin hoc deterreretur spectaculo, hoc forti animo conspexit, & ipse secutus impetum zeli sui exclamavit: *Amplius, Domine, amplius.* At nostin' Xaveri, multum interesse discriminis inter imaginem horum dolorum, eorumque passionem. Non deest in hac, unde audacissimus quisque expaveseat, & contremiscat; tibi enim variis in itineribus emetienda erunt duodecim, vel quindecim leucarum millia mari, eaque semper cum mortis periculo, & sine ullis vitæ commodis. Immo hoc volo, ait ille, & aliquid præterea: *Amplius.* Quid Mare Atlanticum? non ne habet satis multos scopulos, ac naufragiorum reliquias, quæ passim occurrunt; hæc te minime terrent? Japonicum Mare non ne Piratis, & Prædonibus infestum satis est? Miraculi habetur loco, ubi aliquis inde redit incolumis. Sinense autem nonne infame est propter procellas, atque tempestates? Ferunt illas ibi nunquam cessare: *Amplius, Domine, amplius.* Ubique propter amorem tui hæc, & his pejora patiar. At rite ne cogitasti tibi curam esse gerendam infirmorum, licet eris ipse viribus attritus, quin tamen ideo cesses prædicare, erudire, catechizare? Tanta uni tibi facienda erunt, quanta decem millibus. Utique ea faciam, & alia plura: *Amplius.* Iterum tibi cave; neque enim ullum in vastis illis solitudinibus florem demetere poteris, quin manus tuæ cruententur; nullam perages messem, quam sudoribus tuis non irrigaveris; ne unam quidem animam fortasse lucraberis, quin periculo objicias tuam, & quin cum tuæ periculo illam conquiras. Heu! animam? ait ille: ne una quidem est, pro qua Dei Filius totum non effuderit sanguinem: nimis heu! nimis beatus ero si pro hac tam gloriosa causa vitam meam effudero: *Amplius Domine.* Quid ergo invicta constantia, nihil ne deterrere te poterit? Assidue, ut olim S. Paulo, omnia tibi obeunda erunt pericula, vivendum inter barbarorum insidias; erisque tamquam scopus omnibus telis eorum: *In periculis fluminum, periculis latronum.* Verbo omnia facienda erunt, omnia suscipienda, omnia perferenda. Ita sane. Omnia faciam, omnia perferam: *Amplius.* Magnus hic Sanctus cupiebat, sicuti olim S. Bernardus, ut omnes omnium labores in illum irruerent, ut omnes illorum humeros haberet ad omnes omnium cruces bajulandas; & certus sum, si Deus Xaverium votis damnasset, illum adhuc dicturum fuisse: *Amplius, Domine, amplius. Idem.*

Quid expectandum fit ab homine ita disposito.

Ecce hominis vocationem; ecce illum dispositum, & ad omnia agenda, & sustinenda paratum, quid ab illo expectandum est? Heu! quanta faci: Deus ubi invenit cor, quod impressionibus ejus obsecundat, & quod nullam nectit moram consiliis suis! Confiteor equidem, ubi magnum hunc Virum cogito, qui vix se Deo addixit, cum præsto est, ut omnia propter illum aggrediatur; abstinere non posse, quin simul cogitem ignaviam nostram, cui adeo pauca sufficiunt, cum Deus nos ad gloriam adeo sublimem destinet in Cælo. Ita est, quemadmodum ambitio plerumque mala, & ndcens invenitur, ita & sancta est ambitio; & audeo dicere animæ magnitudinem nunquam magis profuisse, quam ut aliquis vere Sanctus esset, & verus Christianus; namque, ubi de sanctitate agitur, modico esse contentum est nihil omnino facere. Voluptas est audire Sanctum ipsum hac de re loquentem. Heu, inquit, in epistola quadam, opusne est, ut in rebus cæteris adeo vasta foveamus consilia, vota ita ardentia, Infinitam ambitionem, & propter Deum, qui meretur omnia, adeo parum faciamus! Vota sua infra mediocrem perfectionem coarctare, & putare satis esse abstinere a peccato, quin aliquid pro illius gloria agatur; hoc nescire est, quid mereatur Deus, qui tanta fecit pro nobis; zelo suo limites præscribere velle, hoc est velle Dei spiritum, qui est immensus, circumscribere; eumque redigere intra angustissimum spatium; idem est ac illum prorsus extinguere. Hic est sermo Sancti hujus ex cordis abundantia loquentis; cor est charitatis igne succensum, quod ardentia hæc concipit vota; ignea lingua quæ hæc profert verba est illis similima, quæ super Apostolos apparuerunt; calamus, qui hos sensus expressit, ductus est a Spiritu Sancto, illos suggerente illis, quos ad Apostolatus ministerium arcessit. Sed videamus, si vobis lubet, utrum actiones Xaverii responderint adeo generosis, atque sublimibus ejusdem cogitationibus; si enim tantam nobis spem fecit in vocatione sua, non vereor asserere, missionem illius multo uberiorem fructum allaturam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Deplorabilis status in quo erat Mundus recens detectus, cum illuc Xaverius missus fuit.

Ne coarctemus inter Europam, neque intra parvulæ regionis spitium zelum Xaverii, consideremus illum in tota ipsius extensione, & conferamus statum infelicem, ad quem recens terrarum orbis redactus erat cum eo miserationis sensu, quo novus Apostolus affectus fuit ad aspectum objecti adeo miserabilis. S. Thomas apud Indos prædicaverat quidem; sed quænam extibant illic fidei vestigia, quam magnus ille sanctus ibi plantaverat? Vix ulla supererat Crucis Dominicæ, ejusque nominis memoria; nulla vigebat traditio, & unicum fere monumentum erat Apostoli S. Thomæ sepulchrum. Quidam Missionarii deinceps illuc pervaserant, sed commercium, & avaritia ab illo inseparabilis, omnem pietatis scintillam extinxerat. Barbarus cultus in eam Nationem se invexerat; miseri eorum locorum incolæ se homines esse fere obliti fuerant. Xaverius infelicis eorum populorum status miseretur, non ideo tamen desponder animos. Quid igitur facit? opportune, importune, Pauli instar, prædicat. Barbaræ illi nationi significat, se præsto esse, ut vitam suam tradat, ut eos Jesu Christo lucretur. Noctes, diesque orare non cessat. Corrigit Lusitanos, qui æquo liberius vivebant, & quos armorum professio semper ad nequiora facta trahebat. Interposita Magistratuum auctoritate illos ad officium vocat. Parvulos, ut olim Jesus Christus, catechizat. Leniter illos attrahit, eosque videns arripit occasionem se se cum illis humiliandi, ac subjiciendi. Parentibus blanditur, ut filios lucretur, blanditur filiis, ut parentes eorum lucrifaciat. Per urbes discurrit, ut ibi rectum ordinem constituat; hinc in agros penetrat, ac regiones, ubi tenebræ dominantur, & quo Sol ægre suam affert lucem. *Recens auctor.*

Xaverius in harum Missionum desiderio ardens flagrat cupiditate convertendi mundi recens detecti.

Vix missionem acceperat Xaverius, cum Navarra, ubi natus erat, sese oculis ejus offert; sed non nisi obiter videbit illam, & quin consanguineorum amor illum vel brevi temporis momento valeat detinere. Transit ante familiæ suæ castrum, quin illuc pedem inferat, quasi nullum haberet cum cognatione sua vinculum, nisi charitatis, quæ jam effecit, ut vale extremum diceret iis, qui obicem statuere potuerant consiliis suis. Gallia, ubi educatus fuit, illum retinere non potest. Romam quidem proficiscetur, sed tantum ut a Summo Pontifice missionem recipiat, qui illi simul confert Legati Apostolici in omnibus Indiis dignitatem ad zelum illius magis, magisque probandum. Hinc se confert in Lusitaniam, sed ut navigandi occasionem inveniat, & discedendi tempus opperiatur. Nihil minus, quam totus recens mundus satisfacere potest ardenti ejusdem zelo. Hoc ille munus sortitus est in distributione a Sancto Ignatio facta primorum Sociorum per omnes Gentes. Hoc nuntio non alterum illi accidit in vita jucundius, quemadmodum ipse testatus est: itaque non nisi horæ spatium petiit, ut se itineri sex mille leucarum & ultra disponeret. Impatiens desiderium sese videndi inter barbaros, non aliam illi curam permittit, nisi quam brevissime navigandi; & per somnium sibi videre videtur Indum suis humeris gestare, ac ejusdem pondere obrui. Vix navim conscendit, cum adit Apostolatus sui possessionem. A sociis navalibus & nautis incipit convertere Provincias, & Regna; atque magnas regere Ecclesias ab hujus navis regimine. Ecce jam extra Emisphærium nostrum elapsus Æquinoctialem dimeritur lineam, Torridamque Zonam, cumque jam ad Bonæ Spei caput iter converterit, pervenit ad Praslum Promontorium, unde iter suum persequitur Goam versus, quo appellunt quicumque in Indias contendunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Primi fructus missionis novi hujus Apostoli Comariæ.

Infiniti operis esset longa, & frequentia Apostoli nostri itinera recensere, non secus ac singillatim referre fructus, quos in singulis regionibus consecutus est, quod procul dubio audientium patientiam lassaret. Ecce illum Comariæ appulsum, ac statim viginti Idololatrarum millia accedunt, ut illum veri Dei legatum agnoscant. At undenam hoc didicerunt, quisnam hac de re illos admonuit? Miraculum! Xaverius ignorat sermonem, mores que regionis illius, & nihilominus persuadet omnes mentes, & omnium sibi corda conciliat. Qualibet die pagus aliquis Sacro initiatur Baptismate: Inanium deorum Sacrificuli summa laborantes invidia indignantur, & adversantur. Populi capita, Magistratus ad furorem usque exardescunt; sed ut vocabulis utar, quibus in præter propter simili casu usus est; ex his furentibus novam componit Ecclesiam: *Sed de his resistentibus, savientibus, populum Christianum augebat.* Vix indi illi sapientes eum audiverant, cum fieri cupiunt ejusdem filii, ut ab eo doceantur mysteria, quæ prædicat. Ad solum Concionatoris hujus aspectum, tota eorum Sapientia evanescit. *P. Bourdaloue.*

Successus zeli Sancti Francisci in Travancorio.

Nonne hoc spectaculum dignum erat Angelorum, hominumque admiratione, videre hunc animarum Venatorem in piscibus Travancorii ex tot Catechumenorum millibus, qui ad illum audiendum catervatim accedebant, totidem efficere Christianos; vires exhaurire suas in hoc pror-

Digitized by Google

prorſus divino exercitio, atque, ut olim Moyſes non poterat amplius manus attollere propter virium defectum, ita alieno indigere ſubſidio, ad ſuſtinendas manus, non quidem ut Amalecitas exterminaret, ſed ut Infidelium copias ad gratiæ vitam refuſcitaret? Quinam fidei triumphus quam nuntiaverat, cum his ſtipatus Neophytis, quos in idolorum delubra deducebat, & quos hortamentis, & exemplo excitabat, ut confringerent, & conculcarent, atque ut S. Cyprianus ait, ſacrilegii materiam in Sacrificium Deo acceptum converterent! *Idem.*

Apoſtolus hic ſtatim ſatis magnis nancti cujus materiam exercendi zelum ſuum in urbe Goa.

Neque neceſſe erat, ut adeo longe proficiſceretur, quandoquidem Goæ non mediocrem zelo ſuo materiam nactus eſt. Hæc tunc temporis Urbs Babylon erat, ubi Saraceni, & Mahometani promiſcue cum Chriſtianis vivebant, quin tamen dici poſſet quinam ex illis ſequiorem ducerent vitam, cum nemo illis nuntiaret fidem, nemo his fidei officia repræſentaret. Utroſque convertere æque erat difficillimum; hinc Xaverii zelus ſumpſit exordium: difficilis quidem erat Miſſio, ſed ille ſpem non abjecit. Cor ſuum dolore confectum ad intuitum jacturæ tot animarum, fecit, ut infandos labores ſuſtineret, qui tamen illi dulces fuerunt propter relati fructus magnitudinem: paucos enim intra menſes taliter omnem magnæ illius urbis faciem mutavit, ut dicere poſſet quod Gregorius Thaumaturgus de urbe Neocæſarea, ſe videlicet morientem non plures relinquere in illa infideles, quam ad illas promotus inſulas veros Chriſtianos invenerat. Diutius ibi permanere non potuit; audierat enim in ora Piſcariæ, ubi margaritæ inveniuntur, magnum eſſe Chriſtianorum numerum ſine doctore, atque Paſtore. Hæc veræ ſunt Margaritæ, ad quas conquirendas eo pergit, & pro quibus ſeſe periculis adeo prolixi itineris ſe objecit. Advolat huc citius, quam naviget, & intra paucos dies triginta magnas Civitates erudit, quibus ea conſtat regio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Zelus Xaverii illum de civitate rapit in civitatē cum fructu admirabili.

Nullum finem invenirem, ſi pergerem vos de urbe in urbem perducere. Eundum eſſet de Provincia in Provinciam, Goa Comariam, Comariam Travancorium; inde Malabariam, Malabaria Amboinam, Mauricam, Calaminam, Ceilanum, in inſulam More. Eundum eſſet de Regno in Regnum, de India in Japoniam, de Japonia in imperium Sinenſe. De mundo in mundum migrandum eſſet, de Occidente in Orientem, de Europa in Aſiam, ſi tantum nobis otii ſupereſſet, ut tot maria traduceremus, & iter adeo longum aggrederemur. Nobis animadvertere ſufficiat, ubique zelum ejus enituiſſe, & non vulgares converſiones feciſſe, ita ut in ſola ora Piſcariæ, quæ quinquaginta dumtaxat leucarum longitudinem obtinet, ipſe quadraginta hominum millia ſacro baptiſmate abluerit. Dicere ſufficiat, ubique illud promeruiſſe elogium, quo eruditus quidam vir alium commendabat Apoſtolum, de quo affirmabat, eum nunquam incidiſſe in aliquem adeo barbarum, quem non cicurierit, ingenio adeo feroci, quem non domuerit, adeo omni rationis ſenſu carentem, quem rationis compotem non reddiderit; peccatorem adeo pertinacem, quem non flexerit, & quem ad bonos mores non traduxerit, ſermonibus, colloquiis repletis igneo illo ſpiritu, in quo S. Paulus gloriam, ac diſcrimen ſuarum prædicationum conſtituit: *Sermo meus &c. Sed in oſtenſione Spiritus. P. Dolier.*

Converſio Inſulæ ali quid habet mirabilius. in quo zelus Xaverii reſulſit.

Tamen ſilentio præterire nequeo illud quod fecit apud Mauros, inſignes Inſularios eo jucundiores Xaverio, quia nonior illorum barbaries eſt, & quia ab illis crudelius, atque inclementius ſe excipiendum eſſe ſperat. Hoc enim ipſum allicit; hoc ille quærit. Sed o magna Dei Providentia, quantum a noſtris tua diſtant conſilia; quanta vi, licet occulta! inſcrutabilia, & adorabilia conſilia tua ad finem perducere noſti! Quis credidiſſet? hæc ovis inter tot lupos, quin horum barbariem reformidet, illis ſuam communicat lenitatem. Terræ tremitus apud illos admodum frequentes Xaverio præbent occaſionem apud eos loquendi de magnalibus illius Dei, quem prædicat, & de judiciorum ejus ſeveritate. Ignei montes, qui de abyſſi ſinu attolluntur, eidem ſunt loco imaginum, ſed horrentium imaginum, ut illis ignes æternos repræſentet, utque ſalutarem illis metum injiciat. Eos colit, humanitate imbuit, in homines alios transformat. India obſtupeſcit univerſa, neque enim intelligere poteſt, quomodo paucis diebus illos ſub Chriſtianæ legis jugum redegerit. Diceres, ſicut Regum corda in manu Dei ſunt, omnia eorum populorum corda eſſe in manu Xaverii. Milacam ingreditur, & ex Babylone Jeroſolymam facit, videlicet ex omnium vitiorum ſentina, ſanctiſſimam civitatem. *P. Bourdaloue.*

Nec minus admirabilis eſt totius Travancorii converſio.

Neque prætereundum eſt, Apoſtolum noſtrum eidem celeritate in Regnum Travancorii tranſiiſſe; quin ardentes Comariæ arenæ illum prohibere valuerint; actus enim ardentiori zelo, veteris idololatriæ ne veſtigia quidem reliquit. Quinam curſus, & quæ hujus Apoſtoli miſſio! Vix hunc attigit locum, cum alium cogitat; vix per otium illum videre potuit, cum jam converſus eſt, quin hæc celeritas, & motus hic adeo rapidus, inſtar ſyderum calorem, & impreſſionem ipſius imminuerat. Ille tamen nihil in curſibus, itineribuſque ſuis aliquid profeciſſe putat, dum longum ob oculos ſuos ſtadium ſibi videt aperiri. Longum ingreditur diverticulum, ut inviſat inſulas Socotoram, Melindanam, Mananiam, quo nemo hactenus fidem invexerat; quo ubi pervenit ſtatim incolas omnes convertit quin aliquis zelum ejus fallere valeat: *Nec eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus.* Et profecto quis videns fructum, quem ubique gentium refert, non diceret, illum ibi locorum totum vitæ ſuæ ſpatium permanſiſſe; cum nihilominus recenſentibus tempus, quod in curſibus impendit ſuis, vix credibile videatur, illi per otium licuiſſe ea loca luſtrare? Attamen in magnis illis regionibus ne unum quidem oppidum vel pagus eſt, ubi non immoretur; in oppido nulla domus, vel familia, quam non inviſat; in domo qualibet fere ulla perſona, quam non videat, & privatim erudiat; id autem tanta cum celeritate, ut diceres Xaverio unum & idem eſſe regionem aliquam intueri, eamque convertere. Illud autem mirum eſt, & jure vitæ illius hiſtoricus animadvertit, quod fructus non minus ſolidus erat, vel minus duraturus eo uſque, ut nemo ex illis, quos convertit, a fide deſciverit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Pſalm. 18.

Ecce, fideles, recentem campum, qui indefeſſo huic Operario aperitur; & quin immoremur, ſequamur illum quocumque eum ſuus zelus agit. Illum expectat Japonia, ibi enim, ut ita dicam, Deus ſedem Apoſtolatus ejus conſtituit. In India ſeſe exercuerat eo in ſundo, quem ante ipſum alii coluerant; legit veſtigia Apoſtolorum, ſed hic dicere poteſt cum S. Paulo: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem; ſed ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annuntiatum de eo.* Xaverius re ipſa primus eſt, qui ad Nationem illam Evangelii lumen attulerit; huic dico Nationi adeo barbaræ, & zeloti rituum antiquorum, & Religionis patrum ſuorum; Nationi huic ubi tot ante hoc tempus ſæcula tenebrarum Princeps pacatus dominabatur, & ubi effrænis licentia in omnia ruebat flagitia. Illis nuntiandæ erant duriſſimæ, & alioquin incomprehenſibiles veritates; doctrina ad mentem humiliandam, ſenſuſque mortificandos aptiſſima; cæca fides ſine ratiocinio, ſine argumento; ſpes futurorum & inviſibilium bonorum poſita in actuali omnium præſentium bonorum abnegatione; verbo, lex e regione oppoſita omnibus hominum ſtudiis, & præjudiciis. Efficiendum erat, ut hæc illi amplecterentur, ad hæc illi adducendi erant, hæc a Xaverio erant edocendi. Qui conatus! & quinam erit eventus? Ne vereamur: in Dei nomine operatur. Deus illum ad id mittit, ut Prophetam; Deus illum jubet evellere, & plantare, diſſipare, & colligere, evertere, & attollere. Convellet errores ſtirpitus, qui alte radices jecere, & in ipſo Idololatriæ ſinu Crucis ſignum plantabit. Diſſipabit inferni legiones in ipſum conjuratas, & contra earum conatus, congregabit electos Domini; evertet fortem armatum, qui obreperat in hæreditatem viventis Dei, & ex manubiis illius eriget trophæum gratiæ victrici, quæ illum comitatur, & quæ ſeſe affluenter effundet. Verum ſine figuris loquamur, & ne quæramus magnificas, ſuperbaſque locutiones, ut extollamus argumentum, quod per ſe omnem ſuperat locutionem, Franciſcus Xaverius ſeſe offert, Crucifixum oſtendit, profitetur Crucifixum hunc Deum ſuum eſſe, & Deum omnium mortalium. Hoc ſatis eſt; verbo illius fides adhibetur tamquam Oraculo. Illum audiunt Reges, & reverentur; Bungi incolæ Baptiſmate abluuntur, ex ſexcentis ſectis in Japonia diffuſis ne una quidem eſt, quam non confundat. Bonzi pertinaciſſimi non ſolum illius fiunt diſcipuli, ſed miniſtri, & coadjutores. Quotidie novæ fiunt Eccleſiæ, & quæ Eccleſiæ? Dicamus id ad gloriam Dei tot miraculorum Auctoris; Eccleſiæ, quarum fervor nihilum cedit primitivæ Eccleſiæ ſervori. *P. Bourdaloue.* Ad Rom. 15.

Alia deſcriptio converſionis Japonium per S. Franciſcum Xaverium.

Japonia glorioſiſſimus campus eſt, quem præparavit Deus virtuti Xaverii; hic erit aliquando fertilis martyrum; rurſus feret Laurentios, & efficiet ut Eccleſiæ primitivæ fervor refloreſcat. Ubinam verba quæram dicturus ea omnia, quæ divinus hic homo fecit, ſtatim ac illuc aſſecutus eſt? Nanciſcitur regionem Idolorum cultui addictam, mores praviſſimos, conſuetudines prorſus oppoſitas Chriſtianiſmo. Neminem ibi novit; linguam ignorat; quid aget? Quid egiſſemus ego, & vos? Sed amor ad inveniendum eſt acer; quocumque ingreditur, omnibus linguis loquitur. Xaverius coram Regibus prodit, adverſus Bonzos diſputat; in publicis plateis concionatur; habetur pro fatuo, pueri eum lapidibus petunt; ipſe vero diſſimulat, & de re nulla conqueritur. Modo magnifica ſe induit veſte, ut in Aulam ſibi patet aditus, & mox ſe illis familiarem præbet, ut leucas quinquaginta percurrat poſt curſorem publicum, & ſæpe omnes iſti labores injuriis, & contumeliis excipiuntur. Sed non ideo animum deſpondet; contra has denſas nebulas zelus ejus magis intenditur, & ardor geminatur. Quid? ajebant illi, homo ſanæ mentis, in hoc habitus apud ſuos, nos adeo longe conquireret, ſeſe tot periculis, incommodiſque ſubjiceret ſine ulla ſpe utilitatis, ſine alio conſilio, quam nos alloquendi; niſi humanis actus eſſet rationibus, niſi magnum aliquid haberet nobis communicandum? Audiendus eſt. Conferti

ad

Digitized by Google

ad illum accedunt, illius audiunt sermones, illiciuntur, & Spiritu Sancto valide cor eorum permovente, eidem se dedunt. Mirum! Quinque Regna Evangelium recipiunt, & Jesum Christum Deum confitentur. Huic Xaverius ubique ponit altaria; efficit, ut crux ubique triumphet; novas regit Ecclesias; Magistros illis assignat, documenta illis tradit, sed ita sapientiæ plena, & adeo efficacia, ut post annos triginta pauperes pagi inventi fuerint, qui ne transversum quidem, ut ajunt, unguem a fide ac moribus, quos illis prædicaverat, discesserint. *P. Castillen.*

Ejusdem argumenti. Jamjam ad extremas terræ habitabilis oras pervenerat Xaverius, cum rursus cogitat Goam, quæ erat quodammodo centrum missionum suarum; unde videbatur decere lineas per omnem mundi recentis circuitum. Sed Japonia, quæ adhuc jacebat in tenebris infidelitatis, aperit zelo ejus novum stadium; ac rubore suffunditur, quod nondum unam lucratus fuerit animam ea in regione, ubi negotiatio jam plures Europæ Institores locupletaverat. Omnes tentat accessus, ut illuc ingrediatur, ita ut in navim Piratarum conscendat, nulla præter hanc inventa qua illuc veheretur; & quamvis ventorum vis, dæmonum rabies, nautarum infidelitas adversetur, tamen eo appellit, & intra unius anni spatium fidem constituit in sex, & sexaginta civitatibus, quæ Regni titulo gaudent, & ex quibus Japonia componitur. Quot labores uni Apostolo! quanta messis uni cultori! Olim quidam exercitus Imperator recensebat numerum dierum, quibus in Hispania permanserat ex numero civitatum, quas in suam ditionem redegerat; sed potiori equidem jure numerare possem dies, & hebdomadas, & menses, quos impendit Xaverius in vastis illis regionibus ex numero urbium, Provinciarum, & Regnorum quæ per illum accrescunt imperio Filii Dei; & videns illum ita de urbe in urbem, de regno in Regnum percurrere, quo publicis privatisque necessitatibus evocatur; libenter de illo dicerem, quod Ennodius de quodam ævi sui Apostolico viro, quem vocat: *Virum in opere immensum*, quasi haberet centum corpora, & brachia ducenta; vel cum S. Hildeberto: *Par latitudo charitatis, & mundi; unam Rempublicam cælum facit & terram*; quod in causa est, ut magnus hic Sanctus mundum antiquum simul & novum complectatur, ut Europæ, Africæ, Asiæque zelo suo prospiciat, ut cujuslibet conditionis, ac regionis mortales in corde illius locum inveniant, quod immensum est, ut hæc omnia capiat; vel si mavis, sicut olim D. Chrysostomus ajebat de corde S. Pauli, quod si dissectum fuisset, non solum ibi locus fuisset inventus pro tribus partibus orbis terrarum, verum etiam pro myriade orbium; adeo late patebant illius desideria; id enim quod Regum sexaginta, ac ultra, ambitionem explevit, satis esse non potuit ut insatiabilem Xaverii zelum expleret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Imo Tibi est referre omnia præclare gesta a S. Xaverio. Neque putetis me hoc loco omnia colligere velle heroica S. Xaverii facta, quorum pars fere incredibilis est, vel me proferre nomina eorum locorum, quos peragravit, & vestras aures fatigare longa serie nominum barbarorum, quibus repetendis & memoria mea deficeret, & mens vestra obrueretur. Expandite Indiarum Tabulam; Hujus Gigantis pedes has omnes Provincias emensi sunt. Videte has Japoniæ insulas, quæ tot regna componunt; hæc una tantum pars est Apostolicorum illius triumphorum, & hæc regio, quæ explet ambitionem Regum quinquaginta, Apostoli hujus zelum non replet. Oraculos conjicite in Travancorium, & Moluccas; sexcentæ itineris leucæ pedibus peragratæ inter Missionis labores, illius constantiam inflammant. Si acies oculorum vestrorum inter tot diversa objecta deerrat, sine adulatione dicere potestis, per quæ freta non transiit, ut nostra illuc afferret mysteria? In quanam ex illis terris Evangelicum semen non jecit? Quænam ex his insulis intra Ecclesiasticæ ditionis fines ab eo comprehensa non fuit? Quem ex his desertis, saltibusque non penetravit? Quænam ex his rupibus Jesu Christi nomine non personuit? Quem locum videmus ubi aliquod Charitatis, pietatis, zeli, vel miraculorum suorum monumentum non reliquerit? *Flechier.*

Quasi fere obices, quos superavit. Quas difficultates, & quot obices ille nanciscitur aliorum fortitudine minime superandos? Quoties in navicula fluctibus, ventisque ludibrium factus, sexcenta obiit maris pericula, ut ad majora in terra pericula perveniret, ut Jesu Christo aliquot animas derelictas lucraretur. Quoties omnes timores ejiciens, & ipsa, quæ in natura sunt impossibilia contemnens, est adnisus prohibere conatus ministrorum impietatis, & populi barbari inhumanitatem solis armis Evangelii, quæ sunt lenitas, patientia, charitas? Quoties actus desiderio; vel illectus aliqua spe salutis animarum, volens ferre J. C. divitias in aliquam regionem Idolorum cultui addictam, ausus est se objicere carnificum furori, aut Piratarum infidelitati? Quoties omnium egenus, ac jamjam deficiens, sese nutriens pabulo verbi Dei, ad quod distribuendum sese conferebat, atque confirmans se cogitatione sacrificii, quod erat oblaturus, ex ipsa infirmitate vires collegit? *Idem.*

Continuatio cursuum Si Apostolum nostrum sequi volumus, festinandum est; nondum enim absolvit sui cursus dimidium, quod leucarum octo millia vix complent. Adit Maliapuræ, ubi sepulchrum est S. Thomæ, cultum Dei omnino deformatum esse acervo superstitionum, quæ fere penitus deleverant omnes Christianæ Religionis reliquias. Septem integros dies in hoc itinere impendit; & charitas, qua urgebatur, non passi est, illum ibi morari, ut pranderet; & ut unicum quietis momentum carperet, postquam illuc pervenit nutriens se desiderio, ac spe subveniendi populis illis; perinde ac zelum ejus inflammassent magni illius Apostoli cineres, navigat Malacam urbem illam totius Orientis commercio celeberrimam; & illuc ingreditur, tanquam alter Jonas nuntiaturus illi excidium, & omnia obsidionis mala, quibus erat vastanda. Qua in re eundem successum habuit, atque Propheta; quippe antequam inde discederet summa affectus fuit lætitia videns omnes illius incolas, non secus ac Ninivitas agere pœnitentiam ad iram Dei sedandam, unde postea eodem zelo animatus cursum suum arripit sicut Gigas, & percurrit regna Coulani, Cochini, & Congi, insulas Ceylani, Ternatæ, Ambinæ, Mauricæ, Moluccarum. Heu! confundor, & deficit memoria mea, ubi illius non defecit constantia. Desumeretur pro Angelo Apocalypsios, pedem habente alterum super terram, alterumque in mari, utrumque simul amplectenti; vel pro sydere, quod facem præfert universo mundo, & quod pati nequit, ut Solis lumen illustret Gentes, quo nonnisi Evangelii lumen affert: sed dicamus potius hunc esse Apostolum, qui mundum universum tanquam campum missionis suæ considerat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ardor zeli ejus nondum repletus est, in imperio Sinense vult penetrare. Tandem in extremas Orientis plagas pervenit Xaverius; unde iterum relegit iter Indias versus, & inde iterum in Japoniam; quasi cursus ejus essent regulares non secus ac sydcrum, quæ accessu suo vim, vitamque tribuunt naturæ universæ. At illic ne subsistet? Non ita. Nam vastæ Sinenses Provinciæ novam illi messem ostendunt. Frustra illi significantur pericula ipsi imminentia; omnes considerationes, quæ alios deterrere solent, magis magisque ejus constantiam inflammant. Narrant illi, a Sinensibus statim omnes advenas ad supplicium rapi, sed hæc una spes mortem illi inveniendi auget illius festinationem, eique sanctam tribuit impatientiam. Sunt ibi populi convertendi, & animæ ad Deum perducendæ; non dubitandum est, ait, quid consilii capimus. Hoc ipso momento proficiscamur; jam portu solvamus, & inflatis velis eo tendamus. Verum, o Sancte, procellæ, ac naufragia, quæ ibi adeo frequentia sunt, non efficient, ut in opportuniorem occasionem differas iter? Heu! hoc est de divina Providentia diffidere. Ubi Deus velit, occasio deesse non potest. Quid? Audebisne aggredi negotium, ubi eventus adeo incertus est? Sed pati tot decies centena animarum millia interire, quin illis opem ferre conemur? Omnino aut ingrediendum est, aut moriendum. Dicam melius, ingrediendum illuc est, & moriendum. Quid mihi deterius accidere potest? Si ad patibulum trahar, saltem de patibulo annuntiabo fidem spectatoribus supplicii mei. Vox Sanguinis mei in quatuor Sinensis imperii angulis personabit, & semen erit Christianismi in regionibus illis. Xaverius obtinet tandem, ut nauta quidam illum deducat, & noctu illum exponat ad portas urbis, quæ Canton appellatur, quæ inter præcipuas regni totius numeratur. Triginta tantum leucas aberat, cum videt impetum votorum suorum, & zeli sui vim retardari eo momento, quo omnia jamjam ad propitium eventum videntur disposita: hic enim Deus finem facere vult cursuum, ac laborum illius, eumque ad gloriam evocare, quam adeo diuturnis laboribus promeritus est. *Idem.*

Apostolicorum S. Xaverii.

Anacephaleosis omnium itinerum S. Xaverii. Ecce, Christiani, quinam fuerint cursus Xaverii Apostoli, qui tot regiones peragravit, ut juxta diligentissimam computationem liqueat intra annos decem, quos in missionibus Apostolicis impendit, tot leucas percurrisse, quot triplicem totius terrarum orbis circuitum exæquant: Hoc brevi dicitur, nescio autem, utrum rite intelligatis, quod dicitur. Omnia ejus itinera ad calculum redigite, & videbitis illum triginta & ultra leucarum peragrasse millia in arduis itineribus, per maria sirtibus repleta, & infamia propter naufragia, quæ ibi quotidie contingunt. Qui cursus? Qui motus? quæ celeritas cum hac potest comparari? Heu! cum messis tempus advenerit, quænam erit hujus Sancti gloria, effeciisse ut a tot nationibus agnosceretur Dei Filius! & quæ consolatio, effeciisse ut illæ fructu Sanguinis Ipsius perfruerentur! Tunc, S. Gregorius Magnus ait, omnes Apostolici viri se se coram Deo statuent: *ibi Petrus*, ait ille, *apparebit cum Judæa: ibi Paulus conversum post se orbem ducens; ibi Andreas Achajam, Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis adducent*; & alii Apostoli terras, ubi fidem plantaverunt, & coluerunt. Magne Xaveri! Apostole incomparabilis! tu certe manibus non vacuis prodibis, nihil enim minus afferes, quam novum terrarum orbem, qui campus erit gloriæ tuæ, quemadmodum fuit missionis tuæ, & jure cui. S. Paulo dicere poteris: *Et si minimus sum omnium, plus tamen omnibus laboravi. Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.* 1. ad Cor. 15.

Per

Cur Dei verbum hodie modicè referat fructûs si comparetur cui, quem in ore Xaverii referebat?

Per vos mihi liceat paululum in hoc argumento immorari, & ex vobis percontari, quare novissimis hisce temporibus Dei Verbum adeo modicum referat fructum? Solo unius Evangelici Præconis ministerio Deus in ipso Idololatriæ mediullio hæc miracula operatus est; hodie vero in ipso Fidei centro tot Præcones vix sufficiunt; ut unum peccatorem convertant. Xaverius apud infideles concionabatur, eosque commovebat; nos apud Christianos loquimur, & non moventur. Cui ne acceptam referemus monstrosam hanc oppositionem? Num quia Sanctus erat Xaverius, nos autem Verbi Divini Ministri sancti non sumus? Sed fides nostra non esset amplius illa, quæ est, si ita penderet a Ministris annuntiantibus illam. Illi non prædicant, & non convertunt, quatenus Sancti, sed quatenus a Deo legati, a Deo missi. Quæcumque igitur sint personarum qualitates, legatio hæc, & missio non est minus legitima. Quid ergo? Numquid aliud a nobis Evangelium Xaverius prædicabat? Num alium Deum, alias veritates docebat? Num alia supplicii, alia proponebat præmia? Nihil horum omnino: sed hoc discriminis interest, quod ille erudiebat populos; qui licet nati, & educati in infidelitatis caligine, tamen sequebantur impetum gratiæ; vos autem in hac Religionis Christianæ luce illi resistitis, illam rejicitis, illam extinguitis. *P. Bourdalove.*

Varia media quibus S. Xaverius utitur ut dignè Apostolatu suo perfungatur.

Quemadmodum novit Dei Filius, qui sui sunt, & neminem perdit ex Electorum numero, quos illi dedit Pater, atque temporibus utitur, quæ ad gloriam suam præstituta sunt: misit Xaverium ad colligendas eas prædestinatas animas, & imperavit, ut nova hæc hæreditas Apostolici hujus viri manibus extolleretur. Quibus benedictionibus prosecutus non est ejus labores! Ecclesia ultra sex leucarum millia magis extensa, quam olim: Evangelium centum Insulis, vel Regnis variis prædicatum; plusquam octodecim centena millia animarum ad Jesum Christum conversa sunt fructus hujus Apostoli. Videtur modo tot infidelibus ministrare baptismum, ut sub hujus ministerii pondere manus ejus deficerent, & delassarentur, modo idola conterere; & statuere Jesum Christum, ejusque sacrificium in locum sacrilegæ consuetudis humanum sanguinem effundendi super aras dæmoni dicatas: modo trahere integras nationes per fidei suæ efficientiam, ac vim virtutum suarum. Crux Jesu Christi posita erat secus vias, & littora: Symbolum Fidei erat Canticum illud, quo domus, & agri personabant, & Xaverii documenta in omnem terram, omnemque linguam volabant. Ibi formabat Catechistas, vel Sacerdotes ad explicanda mysteria, vel Sacramenta conferenda. Hic Neophitos hortabatur ad bonorum abnegationem, & paupertatis Evangelicæ sequelam. Alibi patientiam persuadebat, & formabat Martyrum corda. Videbatur Ecclesia illa recens, præter propter, oriri æque ac antiqua. & Christianismus, qui in Europa consenuerat, media in Barbaria reflorescere, ac renovari. *Flechier.*

Sanctitas & fides S. Xaverii.

Ostendit S. Xaverius fidem, atque integritatem suam in obeundo munere Apostolatus sui. Annuntiat Evangelium indiscriminatim universo Mundo, sine ulla personarum acceptione; qui eorum mos est, qui nitorem magis, quam fructum conquirunt in divini Verbi hujus distributione, & qui nonnisi humanis, cupidisque rationibus adducuntur, quæ sanctitatem amplissimi hujus muneris minime decent. Xaverius S. Pauli exemplum secutus promiscue fidem omnibus hominibus prædicat sine ullo discrimine locorum, personarum, regionum; ferens Evangelium modo in terras solaribus radiis adustas, modo in illas, quas natura insociabili Oceano a nobis secrevit. Indos, Europæos, Japonios nullo habet in discrimine, dummodo Jesu Christo animas lucretur; nisi forte suo studio libentius eo fertur, ubi homines magis barbari sunt, & magis derelicti. Cæterum ubique ait ille in quadam epistola sua lucrari animas Deo officium, & necessitas est: *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.* Sed illas conquirere, usque ad extremas terrarum plagas. sed illas ex ore dæmonis excúlpere, in centro etiam imperii ipsius; victoria est. *Auctor Sermonum in quilibet argumenta &c.*

Eccli. 17.

Interna consolatio, qua Xaverius afficiebatur videns fructû laborû suorum.

Videtur in hac quoque vita Deus remunerari S. Xaverii fidelitatem ea consolatione, quam illi impertiebat videnti animas a se conversas, & quas, non secus ac Apostolus S. Paulus *Gaudium suum, & coronam vocabat.* Cumque cogitat eventum, quem dignatur Deus laboribus ejus concedere, tunc laxatis habenis sensui cordis suis, sentit se quodammodo inebriatum torrente deliciarum, cujus impetum continere non valens, hæc emittit verba singultibus, atque suspiriis interpolata: *Satis, est, Domine, satis est.* Quid mihi in Cælo reservas, si in terris tanta lætitia me cumulas? Tenetur sinum aperire, ut sancti ardores sui evanescant; cumque nullum testem habeat nisi Cælum, repetit verba sua, quibus circumundique saltus, & nemora resonant; *Satis est Domine*, & iterum *Satis est.* Vel minora mihi tribue solatia, vel cor amplius, quod ea capere valeat! *Auctor Idem.*

Xaverii intima unio cum Deo inter maxima negotia & pericula.

Mirum sane est, & prodigii loco habendum, quod in molestissimis negotiis, atque itineribus, atque inter maxima pericula S. Xaverius semper fortiter adhæreret Deo, eumque incomparabili mentis tranquillitate possideret. Arduum esset referre, quidquid illi sustinendum fuit in ora Piscariæ, atque inter Javaros in Maurica; & tamen scribit nullibi se inveniisse Deum sibi neque præsentiorem, neque suaviorem. Verum est, inquit ille, Fratres mei, me hic esse in plaga omnium terrarum orbis miserrima; ubi terra maledicta est, & a Deo perpetua sterilitate damnata. Ego tamen illic promissionis terram nactus sum; omnia mihi melle fluunt, & lacte, & cælestes consolationes tantæ sunt, ut cor meum inundent, & mergant deliciis suis omnem sensum pœnarum mearum, & amaritudinum. Mihi audire videor S. Paulum ad Corinthios dicentem: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* In me suscitantur magnæ persecutiones; ante Magistratus, & Provinciarum Præfides rapior, undique me lacessitum intueor. *Foris pugnæ, intus timores.* Extrinsecus quidem cum Gentibus mihi pugna est, intus vero domesticas timeo proditiones, & falsorum fratrum perfidiam. Sed hæc omnia non reformido. Hac lætitia, hac interiori pace gaudet S. Xaverius, etiam inter graviora pericula, etiam inter procellas, & tempestates. Cum omnes præsentem mortem timebant, cum merces projiciebantur in mare, cum in pereundi necessitate ultimum sibi vale dicebant, Xaverius æque tutus videbatur in mari, ac Noe in Arca, cum undique imbribus, & aquis diluvii quateretur, atque tot inter quassationes pacatus constanti fruebatur tranquillitate, quasi esset in continenti. *P. Castillon.*

2. ad Cor. 7.

Sedelitas, qua Xaverius se in animas insinuat eiusque pietatem impiat.

Mirum est videre piam sedulitatem, qua Apostolus noster utebatur, ut hominum mentes sibi conciliaret. Vias omnes tentabat, ut illuc aditum sibi faceret, & ut ita dicam quamcunque personam induebat, ut Deo animas lucraretur Christiana indulgentia, quæ non minus virtus est, quam zelus & fortitudo, ut tamquam S. Paulus fieret omnibus omnia, & omnium artium homo, ut perfecte Apostolum ageret: *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.* Se se militibus immiscet, & cum illis consuescit, ut illorum juramenta, & blasphemias in honesta convertat solatia. Hunc invisit urbanitatis colore, ut viam inveniat illi concubinarum septum auferendi; alium videt alea calefactum & in periculo se ipsum cum pecunia amittendi, callide partes ejus suscipit, ut Deo illius animam lucretur, & voti sit reus. Aliorum honestæ libertati se accommodat, aliorum mentibus leniter moderatur, & virtus illius, quæ nihil habebat severitatis ejus, quæ mundum absterret, justum invenerat temperamentum, quod scit cordibus dominari. Modo aliam induit personam, & in aula Regis Amangucii tanta cum majestate prodiit, ut hoc unum stratagema illi stuporem injecerit, eumque converterit. Modo hoc eodem consilio ad vilissima quæque ministeria se submittit, ut officiis suis eos sibi captivet, cum quibus faciebat iter, ita ut illi his benefactis, & huic urbanitati nequeant resistere. Hoc in loco militem refert, & crucifixum manu tenens præit exercitui tanta constantia, & fortitudine, ut pavidis spem addat, & in fugam convertat barbarorum manum, quæ ex improviso super Christianos irruerat. Aliis famuli gerit officium, ut in Japoniam sibi aperiat viam. Proh Charitas; quam ingeniosa es! & quomodo cordi magno nihil est impossibile. Certe si S. Paulus has exercens artes dicebat se factum esse spectaculum mundo, Angelis, & hominibus. *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & hominibus*: ego certe non dubitò, quominus Cælum universum huic attentum fuerit spectaculò, cum Franciscus noster equitem sequeretur; e tergo gestaret sarcinam illius; vel cum pedes suos inter sentes, spinas, & lapides discerperet, & cruentaret; repens per præruptæ montium, sudore manans; & crebro anhelitu sequens hominem, qui fuga sese proripiebat ex manibus inimicorum; idque ut inveniret viam in illud Regnum eundi ad verbum Dei prædicandum. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

1. ad Cor. 4.

Strenuum S. Xaverii zelus præsertim emituit in conversione eorum qui insulam Mauricam incolebant.

Quondam prohibitus fuit Sanctus hic Apostolus, ne in Mauricam Insulam transiret, quam incolit gens, quæ apud Barbaros ipsos habetur barbara. Regio montibus plena est; quorum plerique ignem, flammasque evomunt, & veram inferni imaginem referunt. Incolæ sunt dæmonibus magis, quam hominibus similes; agri non nisi venenum ferunt, cujus usus est adeo frequens, ut certent, uter prior alterum sustulerit. Attamen illuc pergere vult Xaverius; sed vita illius nimis pretiosa existimatur, neque adeo manifesto periculo objicienda. Mortis igitur pœna propositi edicto cavetur, ne quis navem illi commodare, vel opem quomodocunque illi audeat afferre, illuc migraturo. Sed frustra; consilium capit illuc potius nando commeare. Quid fecerit, nescio, sed generositas ejus acuit industriam. Effugit, illuc se confert, illis prædicat, mulcet illos Antropophagos, cosque jugo subjicit Evangelico, citra quodvis periculum, unum illud si excipias, oculorum aciem amittendi præ gaudio, & consolatione plorando. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ejus confidentia in Deo inter pericula.

Credieretis ne Sanctum hunc Apostolum ex uno periculo elapsum, in aliud incurrere, ne sibi desit occasio Dei-

Dei Verbum ferendi, ubicumque crederet ſe Deo animas lucrari poſſe? Hoc liquet ex eo, quod illi accidit trajicienti Molucas inſulas, ubi tribus vicibus fecit naufragium. Tertio venti furor navim ſuam alliſit in ſcopulum, & fluctuum impetus, ejuſdem fragmina in omnes partes diſperſit. Xaveri, ubi es, cum intereunt omnia; In Deo eſt, & ſpiritus ejus immerſus in hoc perfectionum Oceano; neque miſeretur, niſi eorum, qui per mortem ſuam Evangelii lumine privandi ſunt. Cogitatio hæc efficit, ut pugnet contra fluctus, qui illum obruunt, atque deglutiunt. Vis conſilii ſui Eleemoſynarum vim ſuperavit; namque procella agitatus, ſpuma tectus, inter horrorem tenebrarum, tandem arripit navis tabulam in partes mille attritæ, favore cujus tres integros dies in Oceani ſinu permanſit, tanquam Paulus alter fluctuans ad ventorum arbitrium, quaſi tutus eſſet in hac tabula, quæ illi fuit pro navi, cujus Deus erat nauta, Dei magnitudinem admiratus in irato hoc elemento: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Adhuc fluebant ex veſtibus ejus aquæ naufragii, cum biduo poſt navim aliam conſcendit. Cor ingens, inſignis conſtantiæ, opus eſt, ut veſtræ magnanimitati omnia cedant. *Ibidem.*

Pſalm. 92.

Si S. Xaverii fidelitas in prædicando ubique gentium Evangelio, omnino par eſt aliorum Apoſtolorum fidelitati, mirum eſſe non debet, ſi eumdem habuit eventum, & ſi Deus illi adfuit admirabilibus ſignis. Si enim hoc verbum in ore Apoſtolorum univerſalem habet in omnem naturam potentiam; hoc ipſum efficit, ut omnes Sanctum noſtrum admirentur. Terra ejus poteſtatem ſentit, reddens jam putreſcentia cadavera, ut hæc iterum lucem ſolis cum luce Evangelii intueantur; & proceſſus Canonizationis ejus memorat viginti quinque mortuos, quos Deus ad preces illius vitæ reddidit; inter quos tres ſunt, de quibus non licet ambigere, quandoquidem egreſſi ſunt de tumulo populo ſpectante: Mare illius imperas paruiſſe videtur, modo procellis tumens, modo ad malaciam rediens; immo etiam recedens ad ejus arbitrium; quapropter qui erant in navi, hæc admirati portenta, exclamabant, quod olim accidebat videntibus Mundi Salvatorem: *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Alia miracula, quæ Deus adnectere dignatus eſt virtuti verbi ſui, adeo erant illi familiaria, ut ad illa obtinenda ſatis eſſet, ſi quis illis indigebat, ad eum nomine ſuo aliquem mittere. Ejus deprecatoria ſacrorum globulorum corona de energumenis dæmones extrudit; veſtis ejuſdem fimbriæ ægros conclamatæ ſalutis curat; ſolum manus ejuſdem ſignum pluſquam tercenta miracula operatur. Quælibet res, quam ille attrivit uſu, fit prodigiorum inſtrumentum, nec non totius populi felicitas, atque theſaurus. *Idem.*

Deus illi communicaverat donum miraculorum.

Matth. 8.

Si Divini Verbi in ore Apoſtolorum effectus fuit obduratiſſima quæque corda flectere; poteſtas hæc in S. Xaverio ita erat manifeſta, ut dixiſſes vim omnem, & efficientiam gratiarum Dei verbo prædicationis illius adhærere, ſæpiſſime enim unico verbo nequiſſimos peccatores convertebat, & nonnunquam etiam unico intuitu. Inter gentes adeo diverſas ſæpe locorum ſermonem ignorat; ſed ſignis, ac nutibus prædicat, & ſolus vocis ſuæ tonus Dei ſpiritu animatus movet mentes eorum, iiſque quæcumque ſibi placuerit motu imprimit; ideoque non cauſatur ille ſermonis defectum, ut Moyſes; quia charitas, quæ omnium regionum eſt, in linguis omnibus exauditur, & immeditte loquitur ad cor. Balbutit, & animarum millia convertit, ita ut de illo in hac occaſione dici poſſit, quod olim Sanctus quidam Pater de S. Paulo dixit: *Os toti orbi ſufficiens*; videlicet quia os ejus ſolum par eſſe poterat erudiendo mundum univerſum, quia quod dicebat, acrem adeo impreſſionem gignebat, ut quemque maxime rebellem cogeret ad deditionem per verba, quæ pro corde potius, quam auribus facta videbantur.

Obduratiſſima corda flectebat.

S. Hieron.

Magnus divini Verbi effectus, prodigium prodigiorum, quod per illud fecerunt Apoſtoli; miraculum quod omnibus mentibus ſtuporem injecit, eſt Mundi converſio: dicere, quod duodecim pauperes piſcatores effecerint, ut totus terrarum orbis Religionem mutaret; hoc unum tantumque eſt credibilitatis Religionis noſtræ argumentum, ita ut nulla ſit mens rationis compos, quæ ſe ſe nequeat ſubjicere. Heu! quid diceres videns Xaverium unum tantundem in orbe novo feciſſe, & noviſſimo ſæculo inſtauraſſe quidquid maxime mirificum in ipſo Chriſtianæ Religionis ortu contigerat? Ita poſt inſtitutam Eccleſiam, quod quidem opus Dei eſt; quodnam prodigium admirabilius eſt, quam videre, unum hominem plantaſſe fidem in Regnis centum, & ultra, recenſitis etiam ſexaginta illis Japoniæ; quinquaginta Reges, aut Principes ſupremos, & ultra convertiſſe; cum quinque millibus Bonzis, aut Brachmanibus, videlicet cum omnibus Orientis Sapientibus decertaſſe; Evangelium triginta & amplius linguis prædicaſſe; Filii Dei ditionem duo leucarum millia longius extendiſſe quam antiqui Geographi terræ oras extremas ſtatuerunt; manu ſua duodecim, vel quindecim decies centena animarum millia ſacro baptiſmate abluiſſe; ita ut inſignis quidam ſæculi elapſi Hæreticus hoc illi teſtimonium perhibuerit, quod quidem eo magis ſuſpicione

S. Xaverius in novo mundo id fecit, quod Apoſtoli in antiquo.

vacuum eſt, quod ex inimici ore prodiit: Xaverium plures homines convertiſſe, quam quiſque viderit; idque intra ſpatium annorum decem, quibus illis in regionibus permanſit. Utrum admirabilius eſt pernicitas, an multitudo triumphorum? Una die tantum omnes baptizavit magnæ urbis cives, & opus erat, ut illius brachia tanquam alteri Moyſi ſuſtinerentur, quia præ laſſitudine illa non poterat ultra movere. O brachia millies glorioſiora, quam ſi totius mundi ſceptra geſtaſſent! brachia potentiora, quam illa omnium Monarcharum! brachia, iterum dicam digna quæ totidem palmas in Cælum ferant, quot ille peperit Eccleſiæ fideles. Libenter ſequor Summi Pontificis ſenſum, cui cum exhiberetur videndum brachium illud, quod Goa, ubi Corpus ejus adhuc totum eſt, Romam nuper delatum fuerat, accepit illud, & complexus eſt, & oculos attollens neſciebat, utrum Cælo, an terræ gratularetur; alteri quod tot recepiſſet animas, quæ ſine ejus ope interiiſſent; alteri vero, quod adeo locupletem theſaurum poſſideret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sanctus Xaverius immenſus erat in amore paſſionum, & laborum, cum de gloria Dei, & proximi ſalute agebatur. Quis recenſere poteſt Provincias, & Regna, quo lumen Evangelii attulit? Quis dicendo aſſequi poteſt, quid ille fecerit, & quid paſſus fuerit pro lucrandis animabus, eiſque ad Deum pertrahendis? Quis ſatis admirari poteſt animi illius magnitudinem in magnis operibus, quæ generoſe executus eſt? Ejus in Deo confidentiam inter pericula, quæ ſubiit; ejus patientiam in perſecutionibus, & contradictionibus, quas ſuſtinuit; mentis tranquillitatem, & cordis gaudium inter ea, quæ in natura ſunt maxime terribilia? Videte illum in immenſis Indiarum agris, quos pedibus emetitur; in Maurica, ubi puriores invenit Cæli delicias; in inſula deſerta, quæ ut vere dicam non eſt niſi horrens inferni imago: in Japonia, ubi coactus fuit famuli ſpeciem induere, ignorans, & vias, & linguam regionis illius; & ubi nihilo ſecius intra biennium Reges, & integra convertit regna, & Eccleſiam conſtituit, quæ hactenus de tot Tyrannis triumphavit, & Cælum tot Martyribus cumulavit. Denique videte illum in mari fluctuum arbitrio objectum, & fluctuantem ſuper putreſcenti tabula, quæ una ei reliqua eſt ex naufragio, & nihilominus adeo placatum, ac Deo ſuo conjunctum, ac ſi tutus eſſet in portu. In omnibus hiſce ſtatibus paſſionum magnus iſte Sanctus præſetulit fortitudinem, ac lenitatem æque admirabiles. Divina etiam Majeſtas illi omnia conceſſit dona maxime præclara, quibus Sanctos, qui præ ceteris enituerunt, ornavit. Hic enim homo erat qui quin unquam in ſe confideret, omnem ſpem ſuam in Deo uno collocabat; qui quin aliquid ſibi gloriæ verteret, omnia Deo referebat accepta; qui inimicus gloriæ ſuæ, immo ſuimet ipſius, in laboribus ſuis nihil aliud quærebat niſi laborem, in id unum intentus, ut Deus adoraretur, & diligeretur; qui denique in perfecta rerum omnium privatione, ad quam erat redactus, oſtendebat, quidquid mirabilius, & majus operaretur, effectum non eſſe prudentiæ, neque opulentiæ, neque humanæ potentiæ, ſed unice, & certiſſime opus Dei. *Ex Patre Novet, & Patre Bourdaloue.*

Anacephaleoſis virtutis & actionum, quæ reddiderunt Xaverii morte pretioſam coram Deo.

Pulcherrima reliqua, quam nobis S. Xaverius reliquerit, eſt vitæ ſuæ exemplum, quam coronare voluit omnium virtutum generoſiſſima, videlicet ſubmiſſione divinæ voluntatis imperio, quæ illum mori vult non inter rotas & equuleos, ad quos inquirendos in Sinenſem regionem contendebat; ſed tanquam Moyſen in proſpectu hujus terræ promiſſæ, propter quam tot labores, ærumnas, naufragia, & pericula obierat. Hic procul dubio virtus illius vix conſiſtere potuiſſet, niſi fidelitas effeciſſet, ut ardentia Martyrii deſideria ſubjiceret Dei beneplacito, volentis ipſum mortem oppetere in inſula deſerta, ab omnibus derelictum, & omnibus carentem. Sancianum inſula vere felix, licet non aliam felicitatem habueris, quam experiendi noviſſima ſuſpiria, & extrema hujus Apoſtoli verba! Dic nobis quinam illius ſenſus fuerint per dies quatuordecim vehementiſſimæ febris; cum ſine alio Medico, quam nauta, ſine alio victu, quam ficcis amygdalis, ſine alia domo, quam tugurio; homo ille a quo pendebat ſalus tot millium mortalium mori viſus eſt inter ſuos triumphos! Tacere non poſſum, & nullus dubito, hanc divinæ voluntati ſubmiſſionem, hoc tempore, hoc in loco, præ ſoribus tanti Regni, cujus victoria objectum erat ardentiſſimorum votorum illius, fuiſſe maximam ex actionibus ejus, & illi eſſe loco tot martyriorum, quot in ſingula momenta cupiebat; & credo illum præ pudore ita animam efflandi operuiſſe faciem ſuam; & in Cælum formoſiſſimam animam emiſiſſe, tot coronis manubiis, pretioſiſque ornamentis onuſtam, quot animas illuc præmiſerat. Cur mihi non vacet loquenti de hoc Apoſtolo facere ſatis devotioni meæ, & dicere de eo quod olim Sanctus Chryſoſtomus loquens de chariſſimo ſuarum affectionum objecto, incomparabili Sancto Paulo, dicebat; *Quis mihi cinerem de corde Pauli oſtendat: O cor Cælo ſublimius, orbe latius, radiis ſplendidius, igne validius, adamante fortius! P. Texier.*

Narratio mortis ejus in cujuſlibet opis humanæ defectu.

Digitized by Google

Fructus, quos percipere poſſumus ex opimis S. Xaverii exemplis,

Ex admirabilibus vitæ S. Xaverii exemplis tres fructus percipere poſſumus: primum quidem inde noſmet erudiendi occaſionem aſſumere; ſecundo noſmet rubore ſuffundendi: tertio noſmet inflammandi. Si miniſter Angliæ e proteſtantium numero, qui Indias luſtraverat, in quodam ex operibus ſuis ſcripſit, Xaverii vitam adeo conſtanti cum virtute conjunctam fuiſſe, ac tanta cum miraculorum copia, quæ ſatis erat, ut eſſet credulitatis argumentum, quo quælibet mens (dummodo rationis particeps) de Chriſtianæ Eccleſiæ veritate perſuaderetur; quem ipſi, qui Catholici ſumus, ſenſum fovere debemus? Nonne Salvatori agendæ ſunt gratiæ, quod in lucem prodiderit famulum ita fidelem, ac pro ſua gloria indefeſſum? Nonne cum Eccleſia gratulari debemus, quod noviſſimis hiſce temporibus habuerit Apoſtolum adeo illuſtrem, atque perfectum? Præſertim vero nonne nobiſcum debemus gratulari, quod hic nobis contigit honos, ut in eadem ſimus Religione, in qua Magnus hic Thaumaturgus, hic magnificus mortuorum ſuſcitator? Quod documentum, & quæ confirmatio fidei noſtræ ſcire, virum hunc incomparabilem ejuſdem eſſe communionis eum nobis; illum conſecraſſe, ſicut Sacerdotes noſtri; & iviſſe ſæpe ad aram cum facie radiis undequaque fulgenti? *Idem.*

Pudere nos decet, qui adeo parum facimus pro Deo conſiderante laboribus hujus Sancti, qui tanta fecit pro eodem

Quodnam erubeſcendi ſimul etiam nobis eſt argumentum? Quo uſque nobis erit ſterilis Sanctorum admiratio? Eorum exemplа *gravant audita, niſi ſuſcipiantur imitanda*. Quidquid nobis dictum fuit de Sanctorum virtutibus, S. Leo inquit, non proderit, niſi ut aliquando nos rubore ſuffundat, niſi profecerimus. Quam inſanus error Chriſtianorum ſæculi, qui fatentur admirabilem eſſe ſanctitatem, heroicam eſſe Sanctorum fortitudinem, ſatis celebrari non poſſe eorum zelum, conſtantiam, mundi contemptum; & nihilominus immorari in inani hac approbatione virtutis eorum, & permanere ſemper in hac vita prorſus humana, prorſus ignava, prorſus immerſa in corruptione naturæ. Heu! Numquid Xaverius alium adorabat Deum, alium agnoſcebat Salvatorem; aliud habebat Evangelium, ſpem aliam, & ad aliud Cælum tendebat? Attamen quodnam intercedit diſcrimen inter ea, quæ ipſe fecit, & facimus ipſi? Vixit ille propter amorem Dei ſui in motu jugi, nos vero in jugi otio mareeſcimus. Ille cum agendum erat; propter Deum patiendum, expleri non poterat; nos vero procul vivimus ab iis, quæ ad pietatem pertinent. Vix gradum proceſſimus, cum tres recedimus; minima quævis, quæ nobis occurrat, difficultas nos moratur, & ſolus Crucis timor abſterret. *Idem.*

Qua in re peculiariter S. Xaverium imitare poſſimus?

Equidem ſcio ad Apoſtolum hunc imitandum, non omnes poſſe prædicare Evangelium, neque fidem inter Idololatras ferre: tamen ſciendum eſt, quemlibet eſſe poſſe Apoſtolum domi ſuæ ſecundum S. Ambroſii ſententiam, procurando converſionem illorum, qui ſubjecti ſunt, exemplo, conſiliis, & monitis ſalutaribus. Ita participes eritis hujus qualitatis, eum domeſticos, & eos omnes, qui vobiſcum conſueſcunt; vitæ veſtræ exemplo, ad virtutem formabitis; cum præ vobis feretis zelum ad prohibenda ſcelera iis in locis, in quibus aliquam obtinetis ſpeciem auctoritatis, cum omnibus artibus aliquid proximorum ſaluti conferre conabimini. Si nobis animus deeſt, & occaſio procurandi mortalium omnium converſionem eum Xaverio, ſaltem ſincere, & ex corde ſaluti noſtræ invigilemus. Magnus hic Sanctus non minus ſalutem noſtram deſiderat, quam Indorum, & barbarorum, & hodierna die, qua Deus vult poteſtatem ſuam æque effulgere, ac alio quovis tempore per admirabilem miraculorum numerum, quæ ſingulis diebus multiplicantur, & per omnium populorum devotionem, nullus dubito, ſi fideliter precibus noſtris ad eum confugerimus, fore ut nobis peculiares gratias obtineat in hac vita; ut poſſimus adipiſci gloriam, qua fruitur in altera. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

PRO S. NICOLAI MYRENSIS EPISCOPI PANEGYRICO.

MONITUM.

Vtarenda non ſunt alia devotionis populorum erga S. Nicolaum, & ſublimis opinionis quam omnibus temporibus Eccleſia fovit ejuſdem apud Deum potentiæ, argumenta, quam intueri multitudinem templorum in illius honorem ædificatorum, & Fidelium in ejuſdem patrocinio confidentium. Hoc me impulit, ut materiem ad Sancti hujus elogium texendum congererem, qui in toto Chriſtiano orbe adeo celebris eſt; quia juxta conſtitutum a me ordinem hunc obtinet locum:

Ideo licet in ejus Panegyrico non attingere nequeamus locos communes cum de eorum officiis, qui in mundo vitam frugi, & optime inſtitutam ducere volunt, tum eorum, qui Domino miniſtrant, & ad præcipuas Eccleſiæ dignitates promoti ſunt (hi enim duo ſunt ſtatus, qui totam Sancti Nicolai vitam partiuntur, & in quorum ſingulis ſemper habitus fuit tanquam ſanctitatis exemplar) utrobique inveniemus, unde ejus elogio peculiaris tradatur forma, quæ illud efficere valeat Sancti hujus proprium, immo etiam præbere locum excurrendi per moralem diſciplinam, quam quilibet hominum poſſit in praxim redigere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex forma Sermonum hujus Argumenti.

Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus. Ad Hebr. 7.

I. HIC eſt præcipuus character, quem Apoſtolus tribuit Incarnato Verbo, quod antonomaſtice vocat Pontificem, & Epiſcopum animarum noſtrarum. Hoc Elogium ab origine unum illum decet; unus enim ille ſanctitatem habet ex ſe, nulla fuit unquam labe pollutus, & omnino etiam a peccatoribus ſegregatus erat, quandoquidem mediator pro illis erat apud Deum per Pontificis dignitatem electus, & conſtitutus a Deo, ut illum hominibus conciliaret; ita ut, pergit Apoſtolus, neceſſe non erat, ut prius offerret ſacrificia pro peccatis ſuis, quod alii Pontifices faciunt, deinde pro populo; & eo uſque tandem infeſtiſſimos inimicos provocaverit, ut erga ipſum ſeveriſſimam exercerent cenſuram, ipſumque de peccato redarguerent. Hoc tamen non obſtat, quominus elogium hoc adeo proprium Salvatori, aliis etiam communicari poſſit hominibus; qui eum participes ſint Sacerdotii, & Pontificatus, participes quoque fiant innocentiæ, & ſanctitatis, ad obeundum rite divinum hoc miniſterium, quod hominem ſuper cæteros attollit, eumque mediatorem inter alios hominès, Deumque conſtituit. Licet autem infiniti Pontifices fuerint, qui in dignitatis hujus partem acceſſerant, ut perennarent in Eccleſia ordinem, quem ipſe Dei Filius inſtituit; arduum eſſet unum reperire, qui eas poſſederit qualitates, quas S. Paulus in Dei Filio deprehendit, melius, & eminentius, quam S. Nicolaus Magnus, quo nomine paſſim in Eccleſia Græca appellatur. Neque minorem illi cultum adhibet Latina; ſed hoc abſolutiſſimum illius erit Encomium, oſtendere adfuiſſe illi tres prærogativas, quas S. Paulus requirit in Pontifice, ut digne ſuo munere perfungatur.

1. Innocentiam, & horrorem peccati; quoniam ipſe debet eſſe mediator inter peccatores, & Deum.

Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus.

2. Dei vocationem, ut divinum hoc exerceat miniſterium, in quod ſe ipſum per ambitionem non debet obtrudere: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

3. Charitatem miſericordem, ut *poſſit condolere iis, qui ignorant, & errant.*

En quænam ſint dotes præcipuæ, quas S. Paulus in Epiſcopo, & Pontifice requirit, Innocentia, & ſanctitas, ut gregi ſuo præeat exemplo; Dei vocatio, ut in ſublimi hoc gradu, qui hominem ſuper alios attollit, propriam non aucupetur gloriam, ſed unice illam ſummi animarum noſtrarum Pontificis; ac tandem miſericordiam, & cha-

Digitized by Google

& charitatem, quæ illum tenere erga populum ſum zelo inflammet, ut infirmorum, ac miſerorum neceſſitatibus conſulat ea cura, quam Deus illi commiſit. Hæc ea ſunt, quæ vobis oſtendenda aggredior in S. Nicolao, & tres prærogativæ, quas in Magni hujus Epiſcopi vita conſiderabimus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

II. *Euge, ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Matth. 25. Non levis mihi utilitas eſt, hodierna die de S. Nicolai Magni laudibus verba facturo, inſiſtere poſſe veſtigiis Patrum Sanctitate, & eloquentia præſtantium Eccleſiæ cum Græcæ, tum Latinæ, qui virtutum illius locupletiſſimum nobis elogium reliquerunt. Dico autem magnum hunc virum ad tantum meritorum cumulum evaſiſſe, & eminentes has adeptum fuiſſe virtutes, propter quas tantopere in Eccleſia reſulſit per eam fidelitatem, de qua loquitur Jeſus Chriſtus: *Serve bone, & fidelis;* ubi triplex fidelitatis genus deprehendo, vel ut melius dicam, ille triplici in re ſuam fidelitatem oſtendit; quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent, & quæ vobis occaſionem præbebunt attentius omnes vitæ illius partes conſiderandi, ut inde liceat deſumere documenta cuilibet hominum generi utilia.

1. Fidelitas, qua reſpondit primis gratiis, quibus illum Deus ab infantia prævenit.

2. Fidelitas in optimo uſu bonorum fortunæ, quæ a conſanguineis hæreditatis jure conſecutus eſt.

3. Fidelitas in obeundis muneribus Epiſcopatus, ad quem illum evocaverat Deus. Fuit ergo Sanctus cum eſſet adhuc puer; ſanctior ætate provectior, & Sanctus perfectæ ac omnibus numeris abſolutæ ſanctitatis in extrema vitæ ſuæ parte. *P. Texier.*

III. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Ad Hebr. 13. In veteri Teſtamento Judæi nonniſi per animantium cædem cum Deo in gratiam revertebantur, quorum ſanguinem ad aræ pedes effundebant ad peccata delenda; neque a Deo aliquid petebant, quod non cruentæ alicujus victimæ deſtructione redimerent. In novo autem Chriſtiani victimas habent innocentiores; & quemadmodum Filius Dei omnino ſatisfecit Patri per Crucis, & Altaris ſacrificium, nos nonniſi illud orationis, eleemoſynæ, & jejunii eidem offerimus. Tres hæ virtutes ſucceſſere in locum victimarum antiquarum, & earum merita obtendimus aliquid a Dei miſericordia impetraturi. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Hac arte innocenti uſus eſt ille, cujus feſtum hodie recolimus; verum quippe eſt totam illius vitam fuiſſe ſacrificium, quod continenter obtulit Æterno Patri tres haſce hoſtias, quarum meritis illius miſericordiam conſequitur.

1. Jejunium, quia illud a teneris uſque unguiculis ſervare cœpit.

2. Orationem, quia totus vitæ illius curſus fuit jugis oratio.

3. Eleemoſynam, quia nullam ſibi elabi paſſus eſt occaſionem opem ferendi pauperibus, & ægris, cum in iis quæ ſunt ad corpus, cum in iis quæ ſunt ad ſpiritum neceſſaria. *P. Senault Presbyter Oratorii.*

IV. *Dedit illi Deus ſcientiam Sanctorum.* Sap. 10. Sanctitas tribus præſertim in rebus conſiſtit; in perfecta abnegatione, in intima unione cum Deo, in munerum ſuorum executione. Magnus Nicolaus, cujus hodierna die memoriam Eccleſia recolit, tribus hiſce officiis perfunctus eſt:

1. Vixit in perfecta temporalium bonorum abnegatione, ut liberius Jeſu Chriſto ſerviret.

2. Toto vitæ ſuæ ſpatio intime adhæſit Deo, quoniam vita ejus jugis fuit mortificatio, & non intermiſſa oratio.

3. Perfecte omnia Epiſcopatus obiit officia, cum non gregem ſuum tantum, ſed Eccleſiam univerſam bonis exemplis ædificaverit; cum verbi panem fidelibus Eccleſiæ ſuæ diſtribuerit, & pauperibus abunde ſuppeditaverit neceſſaria, eos nutriens eleemoſynis, quemadmodum verbis nutrierat. *Recens Auctor.*

V. *Illi viri miſericordiæ ſunt.* Eccli. 45. Cum miſericordia præ reliquis virtutibus in S. Nicolao enituerit, fert animus illum vobis ſub uno titulo: *Viri miſericordiæ* producere; hæc enim virtus illius ſanctitati majorem decorem afflavit. Dico igitur triplex eſſe genus eorum, qui mundi poſſident divitias, & qui de illis diſponere poſſunt; divites ſæculi, & magnates; illi, qui Eccleſiaſticas poſſident dignitates; & Sancti, quibus dignatus eſt Deus miraculorum donum largiri. Divites mundi bona poſſident prorſus humana, ac temporali potentia: Eccleſiaſtici illa poſſident jure mixto potentiæ temporalis, ac ſpirituali: ſed Sancti de illis poſſunt diſponere per ſupernaturalem, miraculoſamque potentiam. Tres hæ prærogativæ in S. Nicolao conjunctæ refulgent: Fuit dives, fuit Epiſcopus, fuit Sanctus.

1. Quatenus dives terræ bona poſſedit jure mere temporali.

2. Quatenus Epiſcopus illa poſſedit jure mixto, temporali ſimul, & ſpirituali.

3. Quatenus Sanctus poſſedit illa poteſtate miraculoſa, cum de illis diſponere poſſet in uſum miraculorum. Hæ tres poteſtates fuere materia miſericordiæ, & inſtrumenta charitatis illius. Sic dives fuit, Epiſcopus, & Sanctus; hæ qualitates illi profuerunt, ut acquireret, ac tueretur titulum viri miſericordiæ: *illi ſunt viri miſericordiæ*, quem titulum adeptus eſt ſub hoc triplici capite, quod erit elogii ipſius argumentum. *Biroat.*

Sumptis pro Themate verbis illis: *Tanquam prodigium factus ſum multis*, Pſal. 70. obſervandæ proponi poſſunt tria magna prodigia in vita Sancti Nicolai, quæ in alterius cujuſpiam Sancti vita non videntur. VI.

Primum, quod a teneris unguiculis Deo ſervire cœpit, cum alii per ætatem nondum pares ſunt ei cognoſcendo.

Alterum, quod toto vitæ ſuæ curſu baptiſmi innocentiam ſervavit; quod haberi poteſt tanquam miraculum, præſertim vero ſi ratio habeatur conditionis ipſius, divitiarum, & commodorum vitæ, quibus Sanctus hic frui poterat, & quibus carere voluit.

Tertium, opum contemptus, & animus a terræ hujus bonis avulſus, quem Sapiens reſpicit, & commendat tanquam omnium miraculorum maximum. *Quis eſt homo, qui non ſperavit in pecunia, & theſauris? Quis eſt hic? & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita ſua.* Eccli. 31.

Sanctus Nicolaus vixit in duobus Eccleſiæ ſtatibus diverſis in gradu adeo eminenti, ut illius bona, & mala magis illum movere deberent, quam cæteros fideles. Attamen neque illius adverſa, videlicet perſecutiones, ejus conſtantiam labefactare potuerunt; neque proſpera, videlicet tranquillitas, & pax, quæ Sancti hujus ævo florere cœpit, illum potuerit ab æqualitate priſtinæ vivendi formæ dimovere: ita ut de illo dici queat: VII.

1. In priori Epiſcopatus ſui parte invictam præ ſe tuliſſe patientiam.

2. In poſteriori autem incredibilem moderationem. *Ogier.*

Pro argumento ac diviſione Panegyrici Sancti hujus deſumi poſſunt verba illa; *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus: & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Eccli. 24. VIII.

1. In diebus innocentiæ, & pietatis ab ipſa pueritia placuit Deo.

2. Et inventus eſt juſtus coram Deo per Eleemoſynas, & cæterorum bonorum operum praxim.

3. Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio per ſanctitatem, & potentiam ſuam apud Dominum, flectens iram Dei, ſervans pacem, & ſopiens omnes diſſenſiones, quæ divinæ majeſtatis iram promerentur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri poteſt copia ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas; & Auctores, qui de illo agunt.

SAnctus Bernardus in Sermone de S. Nicolao, pulcherrimum habet hujus Sancti viri elogium; ubi oſtendit quantum gratia poſſit apud Deum, & quomodo ubique colatur, & invocetur. Sancti Patres aliique ſummi viri.

S. Petrus Damiani & ipſe Sermonem habet hujus argumenti, tomo ſecundo, quem aliqui tribuunt S. Bernardo.

S. Bonaventura duos habet, in quorum primo oſtendit S. Nicolaum fuiſſe perfectum Jeſu Chriſti imitatorem. In altero vero, verum fuiſſe Dei ſervum.

S. Thomas Aquinas in ſermone, quem in feſtum Sancti hujus diem elucubratus eſt, oſtendit illum propter eminentes virtutes ſuas eſſe commendabilem. & propterea quod perfecte omnia vocationis ſuæ officia repleverat.

Albertus Magnus in Sermone in feſtum S. Nicolai diem pro themate illa ex duodecimo Lucæ capite verba mutuatur: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus: invenerit vigilantes.*

Guillelmus Pariſienſis duos habet de hoc Sancto Sermones, in quorum primo oſtendit in quo potiſſimum illum imitari debeamus; in altero de rebus variis agit ad Sanctum hunc pertinentibus.

Gerſon ſermone de S. Nicolao pro textu aſſumit verba illa ex Pſalmo primo ſupra vigeſimum: *Spes mea ab uberibus matris meæ*; & latius proſequitur Sancti hujus laudes & merita.

Dionyſius Carthuſianus duos habet ſermones de hoc Sancto, & epiſtolam, ubi illum proponit tanquam exemplar virtutum, quæ Sacerdotes, & Epiſcopos decent.

S. Thomas Villanovanus duos & ipſe habet hujus argumenti Sermones, in quorum altero loquitur de exemplo quod nobis reliquit virtutum ſuarum; in altero vero per occaſionem eminentis ſanctitatis ejuſdem loquitur de conditionibus ad ſanctitatem acquirendam neceſſariis:

Biroat tomo primo Panegyircorum
P. Senault tomo primo.
P. Texier tomo primo.
P. Duneau tomo tertio.
Auctor Sermonum in omnia argumenta. Tomo primo Panegyricorum.
Ogier tomo primo Actionum publicarum.
Godeau in Elogiis Epiſcoporum, unum habet in laudem S. Nicolai.
P. Petin vitam ejus luculentiſſime latino ſermone conſcripſit.

Coeclenſores ſuperi, & libri alii, ubi invenire poteſt copia, vel loci communes ad hoc argumentum ſpectantes.

Digitized by Google

P. Mathias Faber *in Auctario* plures habet de hoc Sancto sermones.

Engelgrave in tertia ejus libri parte, cui titulus, *Cœleste Pantheon*, plenus est locis communibus hujus argumenti.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Bibliorum huic argumento.

Quidam loci, qui huic argumento convenire possunt.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Eccli. 44.

Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna Job 12.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis. Eccli. 29.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem. Psalm. 36.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Eccli. 31.

Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. Psalm. 10.

Ab infantia mea crevit mecum misericordia, & de utero egressa est mecum. Job 31.

Prævenisti eum in benedictionibus. Psalm. 20.

Justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. Eccli. 39.

Quem Deus docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Isaiæ 28.

Erit magnus coram Domino. Luc. 1.

Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes: quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Ibidem.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu. Ibidem.

Te faciente eleemosynam, ne sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matth. 6.

Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Matth. 8.

Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis tibum in tempore? Idem. 24.

Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. 2. Corinth. 6.

Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci talibus enim hostiis promeretur Deus. ad Hebr. 13.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum &c. 1. ad Timoth. 3.

Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum &c. ad Titum cap. 1.

Exempla, & Figuræ ex Bibliis depromptæ.

S. Nicolaus observat innocentiam Dei eo modo, qui oppositus est illi, quo Adam amisit eam.

FOns peccati primi hominis in terrestri Paradiso fuit desiderium vescendi fructu, cujus esus illi fuerat interdictus. Voluptas, quam fructus attulit, illi innocentiam eripuit, fecit, ut amitteret auctoritatem, eumque pudore, miseria, & opprobrio cumulavit. Sumptibus suis didicit, mortem in eodem fructu contineri, in qua vitam se invenire cogitabat; ac randem malo suo factus sapiens invenit in abstinentia, sensuum mortificatione, & pœnitentia immortalitatem. Illud vero satis est singulare, Sanctum Nicolaum, licet Adæ Filium, & criminis ejusdem hæredem, non secus ac homines reliquos, sed lustralibus aquis regeneratum, usum fuisse abstinentiæ ciborum, minime vetitorum, quos illi natura paraverat ad virtm conservandam; illa, inquam, usum fuisse, ut servaret innocentiam, & gratiam quam receperat; idque eo modo qui profuis illi adversatur, per quem Adam suam amiserat, & in causa fuerat, ut tota etiam posteritas amitteret suam. Si Adæ exemplum, qui ex ipsius Dei manibus prodierat cum illustratæ rationis usu, efficere debet, ut gulam tanquam nostræ calamitatis principium intueamur: Nicolai adhuc pueri, & ante ipsum rationis usum exemplum nonne docet modum efficacissimum ad tuendam, vel reparandam innocentiam esse, diluculo exercere jejunium, atque abstinentiam? Quoniam hoc mortificationis genus una est ex rationibus, quibus pœnitentiam agere, cum Deo in gratiam redire, & certam salutem nostram facere valeamus.

Nicolai abstinentia a puero fuit futuræ sanctitatis præsagii, quemadmodum Moyses Ægyptiarum lacte nutriri recusans fœtorem illius portendit magnitudinem.

Joseph Historicus lib. 2. cap. 5. refert tanquam præsagium futuræ magnitudinis Moysis, & officii, cui Deus illum destinabat; quod cum puer esset, adhuc lactens, pertinaciter uti nolebat Ægyptiarum lacte, quasi ex eo tempore omne horrescceret commercium cum natione inimica populo Dei, vel timuisset una cum lacte fugere mores ejus, & studia. Dicamne Nicolaum a teneris unguiculis renuisse lac haurire statis diebus a nutrice sua, non quidem ne illius fugeret mores, in quibus nihil erat non laude dignum, sed in præsagium illius, quod ipse futurus erat, videlicet abstinentiæ prototypus, Evangelicæ legis hac in re instaurator, unus ex primis Catholicæ fidei propugnatoribus, & ille, qui Ecclesiam præservaturus erat ab hæresi Arianorum, qui infensissimi erant Jesu Christi inimici.

S. Nicolai pietas in adolescentia comparata cum illa senioris Tobiæ.

Si Nicolaus adhuc puer aliquam habuit cum Moyse similitudinem; ejus puericia, & adolescentia perfectam habuit relationem cum senioris Tobiæ juventute, non solum propter pravarum sodalitatum fugam, propter animum a ludis, & solatiis alienum, ad quæ juvenes tanto cum ardore feruntur, ut regendus sit, & corrigendus; verum etiam propter pietatem, propter charitatis exercitia: & sedulam in omnibus officiis suis obeundis curam. Ita enim de hoc loquitur Scriptura: *Cum iret omnes ad virtutes aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israel; hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel.* Idcirco Sanctus iste vir ad sublimem sanctitatis gradum pervenit. Hujus vestigia secutus est S. Nicolaus, & hanc viam ingressus est, ut ad hunc perfectionis apicem perveniret, propter quem illum ævo suo, & deinceps omnibus sæculis terrarum orbis admiratus est, tamquam virtutum omnium exemplar: Hac arte magnos in sanctitate progressus fecit, qui mirabilibus vitæ illius primordiis responderunt.

Vocatio S. Nicolai ad Episcopatum aliquam habet rationem cum illa Samuelis ad summum Sacerdotium.

Non vulgaris Sancti Nicolai ad Episcopatum vocatio illi quodammodo similis est Samuelis Prophetæ, qui a matre sua devotus fuerat Altaris servitio, antequam nasceretur, & eligeretur a Deo futurus aliquando magnus Sacerdos populi sui. Hic filius precum, licet a teneris annis in templo educatus, ignorabat se a Deo electum esse ad gloriosum hoc ministerium: itaque in illud se ingerere noluit; sed Deus sancta educatione illum disposuit, namque sicut in Scripturis fit mentio, quotidie de virtute in virtutem crescebat, donec illum Deus præstantissimo huic muneri idoneum judicaret. Hanc ipsam rationem servavit Deus erga Sanctum Nicolaum. Hunc destinabat, ut fieret Pastor animarum, & ut quatenus Episcopus gregi suo invigilaret; sed illi non significavit electionem a se de eodem factam nisi cum palam declaravit voluntatem suam modo prorsus miro, uti constat. Sed voluit etiam ut ipse antea in sæculari statu se sanctificaret praxi amplissimarum virtutum, jejunii, orationis, & operum charitatis, ut par esset aliis sanctificandis, quatenus Episcopus, & Pastor animarum; & fierer, ut Sanctus Petrus Apostolus ait, gregis sui forma, & exemplum. *Forma facti gregis ex animo.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

TALis decebat, *ut esset nobis Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ad Hebr. 7. Primo quidem intuitu videtur, ad texendum magni Episcopi elogium, quem utraque Ecclesia semper venerata est tamquam illorum exemplum, qui ad hoc dignitatis fastigium evasere, non esse admodum honorificum asserere, vitæ innocentia, & morum sanctitate præterim emituisse; cum hæc fidelibus omnibus esse debeant communia. Cum magnus hic Sanctus ad infulas fuerit promotus, ut insigni præesset diœcesi, & ut esset in Ecclesia, quod in cælo sunt præcipui Spiritus, nonne in majorem illius gloriam cederet, vobis exhibere vel lumina, & sublimes cognitiones, quas divinitus hauserat, ut idololatriæ tenebras dissiparet, quæ adhuc ævo illius grassabantur; vel profundam scientiam, quam præfecuit in magno Concilio Nicæno, & quæ plurimum contulit ad Arianorum hæresim confundendam; vel consummatam prudentiam, qua tandiu suæ præfuit Ecclesiæ; vel robur invictum, quo maxime furentes persecutiones sustinuit, vel tot aliis eximias virtutes, quarum illius vita nobis tot præbent exempla, ut argumentum nobis valeant suppeditare Panegyrici longe magnificentioris? Verum data opera, fateor, me magna hæc argumenta evitasse, quantumlibet majestatis consueverint præstare eloquentiæ, & me præcluisse sanctitatem facilius imitandam, & quam spero nobis majorem utilitatem allaturam. Iterum dico, si vitæ sine labe ulla innocentia, & horror vitiorum sæculi corrupti, in quo Sanctus iste præ sanctissimis ætatis suæ viris enituit, non eum fulgorem effundunt, qui statim mentis aciem perstringat: tamen in hoc Verbum incarnatum, ac summum animarum nostrarum Pontificem ab hominibus cæteris sese distinxisse, ut Paulo teste, eorum mediator esset, & caput. *Talis decebat, ut esset nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Itaque jure inter magnas incomparabilis Sancti Nicolai dotes principem locum illius tribuo innocentiæ; quo nomine intelligo probitatem perspectam, & exploratam extra omnis censuræ, & calumniæ jactum positam, & in qua ne improbissima quidem, & apertissima invidia nihil reprehendum invenit. Talis fuit magni hujus Sancti vita; prærogativa æque rara, ac necessaria pro Ecclesiæ regimine; eo tempore, quo Christiana Religio triumphare incipiebat de Ethnicorum superstitione, & cum Ecclesia maxime indigebat Episcopi hujus characteris, ut prohiberet morum corruptionem, quæ nec minus erat metuenda, & difficilius exterminanda quam ipsa idololatria. *Talis decebat, ut esset nobis Pontifex.* Opus erat Sancto Nicolao, admirabilis innocentiæ viro, constantis fidelitatis

Digitized by Google

ltatis in Dei ministerio, vitæ frugi, ac piæ, suisque muneribus obeundis intento ad tribuendum specimen quoddam sanctitatis Religionis nostræ, & exemplar disciplinæ, quam simul docet, atque exercet.

S. Nicolaus vere fuit vir misericordiæ.

Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis. Ps. 75. Sunt viri divitiarum, sunt & viri misericordiæ; sed magnum inter utrosque discrimen est. Homines divitiarum in prosperitate vixerunt; magna domesticorum turba stipati, quorum fortunam mortales omnes suspiciebant, ac venerabantur; sed quo tandem evaserunt commentitiæ eorum magnitudinis monumenta? Hæc omnia cum illis perierunt, ac transierunt velut umbra. Sed viri misericordiæ, qualis extitit Sanctus Nicolaus; quoniam bona sua propter Deum reliquerunt, & bona non habuerunt, nisi ut illa in pauperum manus traducerent; divitiæ illorum sunt in manibus Dei, qui eas aliquando illis cum fœnore rependet; & pro perituris æternos illis thesauros retribuet.

Benedictiones Dei sanctum hunc ab infantia prævenerant.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Psalm. 20. Qui aliquid de Sancti Nicolai virtutibus audiit, intelligere potuit, hunc fuisse filium misericordiæ, filium precum, filium benedictionis, a Deo datum; namque ex plurimorum auctorum testimonio, præsertim vero Sancti Methodii Patriarchæ, natus est ex matre sterili & patre jam ætate ingravescente. Parentes ejus genere clari, virtutibus autem clariores illum precibus, lacrymis, & eleemosynis obtinuerunt a Deo; *Omnipotens Dominus illorum piis precibus annuens, benedictissimum illis filium donavit.* Sanctus Thomas Villanovanus, & alii quidam dicunt, sicut olim Sanctus Joannes Baptista cum adhuc esset in utero Sanctæ Elisabeth genitricis suæ exultasse, & adorasse Christum Jesum; ita Sanctum Nicolaum de genitricis alvo egredientem, & in balneo positum, ut abluerentur, sese erigentem, manusque ambas jungentem, orantem, oculosque suos in cælum attollentem, duarum horarum spatio stetisse, quasi adoraret, & jam Deum suum agnosceret. Unde infert Dionysius Carthusianus, omnino fidei consonum videri, Deum huic puero in antecessum usum rationis tribuisse. Quamvis magni illi viri maximam apud nos reverentiam, & auctoritatem obtineant, hujus tamen Sancti laudes superstruere non possumus præsumptionibus, & conjecturis; neque illi ea privilegia conferre, quæ ad Dei Matrem, ejusque Præcursorem dumtaxat pertinere videntur. Verum cum Sancto Vincentio Ferrerio asserere possumus, Deum per adeo admirabiles primitias ostendere voluisse, puerum hunc in mundo aliquid magni futurum, & in ipso nativitatis ejusdem articulo per corporis ejusdem habitum innuere, quænam esset futura intentionum mentis illius rectitudo; & per mirum illud jejunium, quod a puero servavit, quænam illius futuræ essent austeritates: *In quo jam ostendebatur intentio recta, quam semper habiturus erat.* Verbo prodigia hæc portendebant, Deum in antecessum cumulare hunc puerum præcipuis favoribus, & benedictionibus. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

Sanctus hic statis diebus abstinet a lacte nutricis, & puero præbuit futuris ejusdem perseverantiæ præsagia.

Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Nonne prodigii loco habendum est puerum nutricis suæ uberibus abstinere statis diebus, & ab hac consuetudine nunquam deficere? Nunquid ea in ætate rationis compos effectus fuerat, in qua pueri plus habent brutalitatis, quam humanitatis? Quis hanc illi morum regulam tradiderat; unus diei puerum, cum minime culpa careat, opus esse nequaquam carere pœnitentia? Hominibus ab utero matrum suarum errantibus, ex primo ipso vitæ articulo errores suos reparandos esse. Cum per baptismum efficiantur milites Jesu Christi, debere sese præparare certamini contra dæmones quosdam, qui nonnisi jejunio extruduntur? Num diluculo in mortificationibus exercendi sunt, ut felicem habitum consequantur? Cum Christianus per baptismum teneatur quotidie referre imaginem Jesu Christi crucifixi, & pœnitentis, nunquid pueri adhuc rubentes ab utero, munere hoc debent perfungi? Cum autem hæc Nicolaus præstet, *Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo:* Tu, Domine, instinctu gratiæ tuæ moves jam cor hujus pueri, & in profundo cordis ejus scripsisti pœnitentiam in Evangelio præscriptam: tu illum destinas futurum vas electionis, tu illum prævenis exquisitissimis gratiis: tu ex illo prodigium facis ut hominum mentes præpares ad prodigia virtutis, & miracula, quæ aliquando operaturus es: tu illum populo tuo dedisti, ut illius lumen esset, & rector, ut eum doceret vias salutis, & ut tibi peccatores conciliaret, prædicans pœnitentiam verbis, & factis.

Quænam fuerint primæ cogitationes, prima exercitia, & prima studia S. Nicolai?

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. Eccli. 39. In historia vitæ Sancti Nicolai videmus vivendi rationem sanctam, uniformem, sibi constantem: cor, quod sese Domino tradidit non solum quolibet vitæ suæ die, sed a primis ad extremum usque spiritum, quo ingressus est ad osculum Domini non secus ac Moyses. Quænam primæ illius cogitationes fuere, quæ prima exercitia, quæ prima studia? jejunium, oratio, & eleemosyna juges illius fuerunt occupationes. Modo ingrediebatur in visibile, ac materiale templum cum fidelibus reliquis, divinam majestatem adoraturus; modo sese recipiebat in templum invisibile, ac spirituale cordis sui, ubi totus vacabat Deo. Nunquid invenietis peccatores locum aliquem, ex quo vestra probetis flagitia, & juges pœnitentiæ vestræ dilationes? Nunquid in Sancto hoc perfecto in omnibus sensibus, & in adolescentia, & in ætate provectiori, & in laici conditione, & in Episcopi dignitate deprehenditis locum aliquem, qui vestram foveat præsumptionem, & miseram, in qua vivitis, securitatem? Nonne immo invenietis justum hunc tradidisse Deo cor suum diluculo; & cum manus suas semel aratro admoverit, nunquam retro respexisse? *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo &c.*

Quantum valeat apud Deum gratia simul ei jejunio, & eleemosyna?

Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. Tob. 12. 8. Nemo unus ignorat in triplici hac virtute totam Christiani hominis perfectionem sitam esse, & neminem ad altiorem sanctitatis gradum pervenire posse, nisi in illis excellat. Verum si generatim loquendo hominem perfectum efficiunt, fuerunt tamen character peculiari Sancti Nicolai in Oriente, & Occidente celeberrimi. Cor Dei *pulsat oratio, jejunium impetrat, misericordia accipit:* *Serm. 13.* *eleemosyna, jejunium, oratio dant sibi vitam invicem.* Sanctus Petrus Chrysologus inquit in disertissima homilia, ubi trium harum virtutum texit elogium. Oratio Deo nostras repræsentat necessitates; illum mulcet abstinentia, cum iratus est, miseretur quippe hominis, qui ut illum placet, in semet animadvertit. Illum movet eleemósyna, & audeo dicere, cogit illum suis largitionibus, ut quod petit, concedat. Oratio est jejunii alimonia; jejunium vigor est orationis, & eleemosyna vita est orationis, atque jejunii. Separari nequeunt, nisi infirmentur, & illi qui non habent unam ex his virtutibus, nullam habent, ut Sanctus idem Pater ait. Hinc conjici potest ad quem Sanctitatis gradum pervenerit Magnus Episcopus, quem hac die colit Ecclesia, quia non unam, sed tres hasce virtutes in summo excellentiæ gradu obtinuit.

Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Job 31. Natura Sancto Nicolao indolem contulerat admodum teneram, alienisque miseriis levandis pronam, quod tunc etiam apparuit, cum adhuc puer subsidia de suo aliis pueris suppeditaret. Nemo unquam illo melius dicere potuit, quod Job de seipso dixit, cum rationes attulit earum eleemosynarum, quas erogaverat: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio &c.* quoniam reipsa videtur hanc virtutem toto vitæ cursu adeo illi propriam fuisse, ac si illi fuisset congenita. Etenim dicere possumus cum Theologis, gratiam sese accommodasse naturæ, & fovisse prima semina, quæ hæc jecerat; & indubitatum est, bonam naturam unum esse ex præcipuis gratiæ fundamentis, & eximiam dispositionem ad Sanctitatem. Fortuna optimis ejusdem studiis obsecuta est, quandoquidem natus erat ex genitoribus, qui mundi hujus bonis affluebant, & ei suppeditare poterant, unde eleemosynas erogaret. Non permisit Deus, ut ille has opes labore sibi compararet, velut per industriam locupletaretur, ut statim in manibus haberet, unde eleemosynam erogaret, & hoc ipsum ad liberalitatem illum disponeret; crebro enim usuvenit, ut qui divitias labore partas congerunt, magis avari, & illiberales sint illis, qui easdem congestas reperunt.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis. Eccli. 29. Sapiens nobis consilium præbet, ut in pauperum sinu eleemosynas abscondamus, easque magis quam fieri potest clam tribuamus, ne forte omnem earum fructum amittamus ob inanis gloriæ subtilitates. Hoc ipsum consilium dedit nobis Salvator cum ait: *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Hic peculiaris fuit Sancti Nicolai character, qui clanculum omnes eleemosynas suas impendit. Qua enim arte usus non est, ut consuleret pudicitiæ trium sororum, quas inhumanus pater contumeliosissimæ infamiæ tradere decreverat? Qua cura, & sedulitate manum celavit, quæ adeo heroicum facinus operabatur? Sed Deus, qui servis suis in hac quoque vita centuplum pollicitus est, non est passus, ut insignis hæc largitas silentio involveretur? Voluit, ut calamitosus ille pater Sanctum proderet; & in genua provolutus illi ageret gratias. Quo pudore tunc suffusus non fuit beneficus ille largitor? quas non adhibuit preces, ut pauper hic liberalitatem suam reticeret? Nicolaus se putabat œconomum bonorum, quæ ipsi dederat Deus, & misericordiæ illius esse quæstorem. Ideo quibus miraculis pepercit Deus, ut opes ejus multiplicaret? Quoties arcæ ejus, quas exhauserat charitas, divinitus repletæ fuerunt? Quod certamen inter Dei potentiam, & Sancti Episcopi liberalitatem? Hic large, effuseque donat, Deus bona illi reddit cum fœnore. Nicolaus affluenter distribuit; Deus ejus bona ubertim multiplicat; quo in certamine pars neutra superior est. Deus non cedit Nicolao, Nicolaus, si dicere fas est, non cedit Deo; quia tantum dat quantum recipit, & quodcunque prodigit, quod sibi datur.

Gaudium Angelorum videntium pueri nitentem.

Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4. Quinam affecti fuistis lætitia, Beati spiritus intuiti puerum, qui ab incunabulis incipit agere pœniten-

nitentiam. Si rectitudo innocentis animæ ambulantis in semitis justitiæ, vos magno affecit gaudio, si Eucharistica recinitis cantica ad Agni thronum super peccatore pœnitentiam agente; qua exultabitis hilaritate videntes, non dico peccatorem pœnitentiam agentem qui postquam diu aberravit, in summi pastoris sui brachia confugit; non dico justum irreprehensibili vita Domini vias percurrentem, sed animam nuperrime sacro dealbatam lavacro per sanguinem Salvatoris, & quæ peccatum non novit; sed aliquot dierum puerum, ex numero illorum, qui Agnum sequi debent, concinentes Canticum eorum qui, nunquam fœdati fuere, & nihilo secius hic infans adhuc rubens ab utero jam pœnitentiam amplectitur; in antecessum ebibit calicem Domini; jamjamque cum illo in Calvarium ascendit. Ille jam nos docet, neminem sperare posse, fore ut cum Christo glorificetur, qui cum illo passus non fuerit. Ille jam nobis prædicat Regnum cælorum vim pati, & violentos dumtaxat illud rapere posse. Quam lætum, atque jucundum cælo hoc spectaculum fuit! At infernus nonne præsentiebat lethalia vulnera, quæ hic puer illi erat inflicturus? Infernalis serpens nonne prævidebat futurum, ut hic puer legens vestigia pueri Jesu, hujus virtute sibi apertum bellum inferret, & Ecclesiam contra suam nequitiam propugnaret?

Sanctus hic conquerebatur cum Sancto Paulo quod Ecclesiæ suæ sollicitudo prohibebat, ne orationi vacaret.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum. 2. Corinth. 11. Inter labores suos numerabat Sanctus Paulus sollicitudinem & pondus omnium mundi Ecclesiarum tanquam curarum suarum maximam: ab hac enim avocabatur a tenera affectione, qua ferebatur in Deum, & a recolenda eorum memoria, quæ ad tertium usque Cælum raptus viderat. Ita Sanctissimis Episcopis negotium faceſſebat onus, quo se gravatos videbant magno negotiorum numero, ac quieti suæ tempus subtrahebant, quod precibus, & orationi impenderent. Sanctus Nicolaus sentiebat pondus omnium curarum, quæ ab Episcopali dignitate nequeunt removeri; *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* & angebatur, eo quod unice Mariæ officio vacare non posset. Molestæ Ministerii sui curæ licet sanctificantes, eo quod conciliari non poterant cum sancta, suavique requie contemplationis, lacrymas ab ipsius oculis eliciebant; & eo quod fungi deberet munere Marthæ, & aures præbere omnibus omnium, qui ad ipsum confugiebant, controversiis, conquerebatur cum Sancto Gregorio, quod totus esset sæcularis. Cur autem deliciæ nostræ non erant præclara hæc occupatio? Quam celeri cursu visi fuisetis obviam ire Jesu Christo, cum in hac vita mortali miracula operabatur, cum alebat turbas, dæmones ejiciebat, mortuos suscitabat? Tanquam Zachæus nonne super arbores ascendisſetis illum prætereuntem visuri; nonne illum secus viam præstolati essetis, ut vestium illius fimbriam tangeretis? Non igitur mirum est, si magnus hic Episcopus doluit se nimis oneratum esse tot negotiis ad temporalia spectantibus; cum illi semper præsentia hæc puncta Salvatoris mysteria ob oculos versarentur.

Sic nos existimet homo, sicut Ministros Christi. 1. Cor. 4. Quam felices sunt Episcopi eo quod muneribus, ac ministerio Jesu Christi associati sunt? Nonne Apostolis similes sunt; nonne sunt eorum successores, ut easdem functiones exerceant? Nonne ut ipsi dicere possunt, nos quoque legati sumus Domini? *pro Christo legatione fungimur*. Non minimum eorum officium est cura pauperum, quam Dominus credidit illis. Pauperes semper habetis vobiscum; quod cuipiam ex illis feceritis, scitote idem futurum, ac si mihi fecisſetis; *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Hoc Sancto Nicolao semper cordi fuit, tunc præcipue, cum fuit ad Episcopalem dignitatem evectus. Illud semper ob ejus oculos obversabatur, quod Jesus Christus in societatem Discipulos evocans in panum distributione eorum ministerio utebatur, miraculosam escam illam esurienti populo dispensaturus, ut cor eorum flecteret, eosque doceret, quænam ipsis erga pauperes habenda esset misericordia. Et ipse sibimet dicebat, nonne sum ipse charitatis Domini successor, non secus ac dignitatis? Nonne hanc mihi imaginem astruit Scriptura? Nonne hoc populi ab Episcopo expectant? Numquid Dei Filius non posset adhuc per omnipotentiæ effectum alere pauperem? Numquid non posset adhuc pluere manna, ut olim, nationem integram nutriturum? Non indigebat igitur Ministerio meo; sed mihi præbuit formam charitatis, a me in statu meo exercendæ, & in eo statu, in quo me constituit subveniendi temporalibus fratrum meorum necessitatibus, indigitavit curam, quæ mihi gerenda est in spirituali peccatorum subsidio; mihique ostendit, me esse ministerii ipsius successorem in duplici charitate hac exercenda. *Sic nos existimet homo sicut ministros Dei &c.*

1. Cor. 4.

Matth. 25.

Quid sentiret Nicolaus de Sacerdotio & ministerio ad quod vocabatur a Deo?

Pro Christo Legatione fungimur. 2. Corinth. 4. Quomodonam Sanctus Nicolaus Sacerdotium considerabat? velut extensionem, & emanationem quamdam ex Sacerdotio Jesu Christi, quod respiciebat tanquam fontem, initium, & exemplar Sacerdotii sui. Sanctus Nicolaus putabat se missum esse ad populum diœcesis suæ non secus ac Jesus Christus respiciebat se tamquam legatum missum a Patre ad Filios Israel. Magnus hic Sanctus se ad obeundum munus suum excitabat, sibi applicabat, quod dictum fuerat de summo Sacerdote secundum ordinem Melchisedech, ac sæpe sibimet dictitabat: Ego sum Jesu Christi legatus; ego illius vicibus fungor; debeo autem de Jesu Christo animari, & de vita ejus vivere. *Pro Christo legatione fungimur*. Cum Jesus Christus a Patre consecratus fuit Sacerdos: ejus unctio meam præsignabat, & eam, qua ipse inunctus fui, Jesu Christi unctionem referebat. Ipse illi præfuit tanquam Caput, quod præesse debet unctioni membrorum suorum: debeo igitur omnia mea munera obire eadem cum dignitate, qua Jesus Christus, cujus legatus sum: *Pro Christo legatione fungimur*. Ubinam, quæso, illi sunt, qui ad Apostolici ministerii sui magnitudinem sustinendam, se ita respicinnt, & hæc animadvertunt? Ubinam sunt illi, qui se tanquam Sacerdotii Jesu Christi successores considerant ad ædificandum, ad ingratos, sterilesque agros Dei verbo excolendos? Ubi illi, qui sibi dicunt: *pro Christo legatione fungimur?*

PARAGRAPHUS IV.

Loci Sanctorum Patrum, qui huic inservire possunt argumento.

Eleemosyna, jejunium, oratio, dant sibi vitam invicem, Sanctus Chrysologus Serm. 13.

Jejunio fit homo vivens victima, quæ & sibi maneat, & data sit Deo. Idem Serm. 43.

Jejunium non immolat Deo, & ad martyrium præparat, Idem Serm. 43.

Oratio pullat, jejunium impetrat, misericordia accipit: hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Ista qui simul non habet, nihil habet. Idem Serm. 13.

Gloria Episcopi est pauperis necessario providere. Sanctus Hieronymus.

Videndus est tibi Pauper, qui te non videt, requirendus est ille, qui videri erubescit, Ambros. lib. 2. Offic. cap. 26.

Quisquis honestus in alterum se extollit, majorem culpam superbiendo meruit, quam mercedem largiendo acquisivit; sicque nudus, dum nudum vestit. S. Gregorius l. 21. Moral. cap. 14.

Loci aliquorum Patrum de ipso Sancto Nicolao.

Nicolaus electus ab utero, sanctus a puero, juvenum gloria, senum reverentia, Sacerdotum honor, Pontificum splendor. Sanctus Bernardus serm. in festo Sancti Nicolai.

Hic est Nicolaus, cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terra, & qui habitant in eo, Idem ibidem.

Crebrescunt quotidie mirabilia, nec requieſcit Spiritus Dei, ad memoriam militis sui, sua continuare miracula, Idem ibidem.

Glorificatur in mari, laudabatur in terra, in omnibus periculis invocatur. Idem ibidem.

Si tempestas saviens, & crudelitas maris intentatur, Nicolaus flebiliter exoratur, ut audiat, suppliciter invocatur, ut veniat, ut cruce miserieorditer acclamatur. Idem ibidem.

Si pulsamur incommodis, Nicolaus ingeminatur; Patrocinium quæritur Nicolai. Idem ibidem.

Non solum Christianis, sed & Paganis in tantam reverentiam sancti nominis advolavit auctoritas, ut certatim confluant ad laudandum, & glorificandum nomen sanctum ejus. Idem ibidem.

Inter multa, magnaque miracula, maximum miraculum quod fecit, ipse fuit. Idem in elogio Sanctæ Malachiæ.

Cujus totus mundus beneficia sentit. Petrus Damiani Serm. de S. Nicolao.

Inter omnes Sanctos temporibus suis maximis miraculis claruit, & stupendis. S. Bonaventura Serm. 2. de sancto Nicolao.

Nicolaum ornavit Deus præcipua liberalitate, & maxima pietate, & fervida charitate, qua omnia patent in facto illo clarissimo, quod fecit in juventute sua, Dionys. Carthus. Serm. 2. de Sancto Nicolao.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hauriri possit hoc in argumento.

Misericordia erga pauperes verus est Episcoporum character, cujus impressiones in corde recipere debent. S. Paulus de illorum dotibus disserens, eos liberales vult, & S. Hieronymus inquit: *Gloria Episcopi est pauperis necessario providere*. E contra vero nullum est vitium Episcopali dignitati magis contrarium, quam sordida hæc divitiarum cupiditas. Et hinc tres præcipuas rationes invenio, quæ Præsules, & eos omnes, qui in Ecclesiasticis dignitatibus constituti sunt, virtutem hanc exercere compellunt. Prima desumitur ex eorum statu; altera ex fine officii; tertia vero ex qualitate,

Rationes propter quas Sni Pontifices Ecclesiæ suæ magistratus eleemosynam erogare, & opera misericordiæ exercere.

→ ac na-

Digitized by Google

ac natura ipſarum divitiarum, quas poſſident, quæ hanc illis injiciunt neceſſitatem. Tenentur miſericordiam exercere ex natura dignitatis, & ſtatus, quia per illam præſertim ſunt patres populorum ſuorum. Sunt divinæ Providentiæ ſupplementum non ſolum, ut conſulant cibo animarum, verum etiam ut proſpiciant neceſſitatibus corporum præſidio charitatis, & uſu divitiarum. Tenentur etiam ex fine officii ſui; qualis eſt ovium ſuarum ſaluti providere, eaſque ex imminentis peccati periculo præſervare: at temporalia ſubſidia neceſſaria ſunt ad ſpirituales neceſſitates prævertendas, ad vetandum, ne pauper peccet, eleemoſynis juvandus eſt, & ut illius anima ſalva fiat, temporalibus ejuſdem neceſſitatibus eſt ſubveniendum. Igitur propter primam rationem Chriſtianus fratri ſuo opem ferre debet; propter alterum pluribus in occaſionibus debet titulo charitatis, quæ eſt veluti medium neceſſarium ad finem, quem ex officio ſuo, & nominis ſui vi procurare tenetur. Denique ratio noviſſima deſumitur ex natura bonorum, quæ ab Eccleſiaſticis poſſidentur, quæ eſſentialiter ad pauperum ſolatium deſtinata ſunt. Diſcrimen adeſt inter Eccleſiaſticos, & ſæculares in neceſſitate eleemoſynarum erogandarum. Tenentur ſæculares pauperibus ſubvenire ex generali Religionis cauſa, & rationibus univerſo Chriſtiano nomini communibus. Sed Eccleſiaſtici, & potiſſimum Epiſcopi tenentur illis ſuccurrere ex ipſa divitiarum ſuarum natura; datæ enim fuerunt a pietate populorum, & Regum liberalitate hac conditione, ut in pauperum ſubſidia impenderentur. De neceſſitatis hujus natura non diſputo: dixerunt nonnulli illos ex chriſtianæ Charitatis cauſa teneri; alii aſſeruerunt ſub pœna peccati partem reddituum pauperibus eſſe erogandam. Non affirmabo autem, utrum quadrans, an triens ſit impendendus: dicam ſolum; ea quæ ſuperſunt victui, qui deceat eam, quam obtinent dignitatem, quæ ſane quamdam habere debet amplitudinem, quin tamen in hoc aliquis ſibi aduletur, ad pauperes pertinere.

Auctoritas eorum, qui in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſunt alii eſt ab auctoritate Magiſtratuum, & Principum.

Inter auctoritatem; quæ in mundi principibus viris, & eam, quæ in manibus eſt Epiſcoporum hoc diſcriminis intereſt, quod Principes aliquando ſua abuuntur auctoritate, ut noceant. Geſtant quidem gladium, ut juſtitiam exerceant; nonnunquam propter neceſſitatem, ſæpius propter iram. Quapropter S. Paulus illos tanquam manu tenentes gladium nobis deſcribit, qui defendere ſimul poteſt, & vulnerare. Sed Epiſcoporum potentia illis collata fuit, ut præbeant exempla miſericordiæ. Hac uſus eſt S. Nicolaus erga tres Epiſcopalis ſuæ civitatis incolas, qui cum per ſummam injuſtitiam ad mortem fuiſſent damnati, neque Sancto viro alia ſuppeteret ratio illis opem ferendi, ipſe patibulum aſcendit eos de manibus, vel potius gladio carnificis ſublaturus. Actio hæc nequaquam in exemplum proponitur: illud inauditum fuit charitatis Præſulis noſtri opus quod tamen non omnes fideles ſequi debent, ſed ad oſtendendam potentiam, & auctoritatem, quam Sanctus hic Antiſtes ſibi conciliaverat in populum, & judices, vitæ ipſius ſanctitas, & innocentia.

Quanti referat bene ad examen expendere vocationem, ſtatum cum aliquis Eccleſiaſticum ſtatum ſuſcepturus eſt.

Quidquid Patres, atque Theologi docent de neceſſitate eligendi ſtatum vitæ, attentius conſiderandum eſt, ubi agitur de Eccleſiaſtico ſtatu aggrediendo, atque in hoc ipſo ſtatu illis potiſſimum qui vocantur, ut ſint Epiſcopi, & animarum Paſtores. Si enim temeritatis nomine inſimulari poſſunt, qui ſe ſe peculiaribus ſtatibus immiſcent, cui periculo ſe non objiciunt, qui ultro, & non vocati ad regimen animarum feruntur? Qui adeo parum caute aggreditur tanti momenti miniſterium, nec illius quidem intelligit officia, neque quid ſibi velit rationem ſibi reddendam eſſe Deo non de ſua tantum, verum etiam de animabus eorum quorum eſt Paſtor. Quiſnam hæc ſedulo cogitans non contremiſcat? *Hoc eſt maximum periculorum*, S. Thomas ait, *hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit*. Si tanta requiritur cura, ut quilibet ſalvet ſe ipſum, quanta ad alios ſalvandos requiretur? Paſtores autem vere debent eſſe Salvatores juxta illud verbum: *Dediſti eis Salvatores, qui ſalvarent eos de manu hoſtium noſtrorum*. Sanctus Epiſcopus noſter nullum hinc ſubit periculum, non immiſcuit ſe miniſterio animarum, niſi Dei voluntas ei perſpecta, & explorata fuit, & niſi liquido innotuit, ſe divinitus ad regimen animarum vocari. Sed non omnes facile ſibi perſuadere queunt de hac Dei voluntate: perpauci linguam Cæli intelligunt; nihilominus quam maxime refert illam intelligere, ut bona fiat ſtatus electio. Sed quinam hoc fieri poteſt? Samuel deceptus fuit, Dei vocem pro voce hominis accipiens: & multi falluntur accipientes pro voce Dei illam, quæ vox eſt hominis, vel etiam fortaſſe vox proprii amoris. Operæ igitur pretium eſt aliquas habere regulas, ut divina de nobis conſilia detegantur, ut digne tanto hoc munere perfungamur.

Thom. in ep. ad Hebr. c. 3. & in 4. diſt. 17.

Viæ, & media ad cognoſcendam Dei voluntatem in ſtatus electione.

Cum non omnes intelligere valeant, ad quem vitæ ſtatum a Providentia evocentur, neceſſe eſt ſcire, Deum nobis tria dediſſe luminum genera, ut illius voluntatem cognoſceremus, rationem, orationem, & conſilium; atque tria hæc ſimul colligenda ſunt, ut tutius detegatur beneplacitum Patris cæleſtis, in vocatione ad Epiſcopatum. Ratio petit, ut cogitemus finem propter quem ſtatum aggredimur, & hæc norma eſt cæterorum. Si quærimus beneficia, quibus animarum cura annexa eſt finis ſane eſſe non debet, ut locum commodum, utilem, jucundum quæramus, ſed ut nobis ædificemus turres quaſdam ſublimes, ex quibus vigilare poſſimus publicæ animarum utilitati, & hanc procurare juxta illud Prophetæ verbum: *Speculatorem dedi te domui Iſrael*. Hic unicus & verus eſt finis; non autem ut mundi conſuetudinem ſequamur, non ut avidis, & ambitioſis conſanguineis obſequamur, non ut eorum, vel noſtram mollitiem foveamus; non ut inertes, & inutiles ſimus; ſed e contra ut ſemper magis, magiſque operemur; quoniam hic agitur de gloria Dei, de proximi, & noſtrum met ipſorum ſalute. Nihil tamen vulgatius eſt, quam videre Eccleſiaſticos animarum miniſterium affectantes, potius propter pingues redditus beneficio inhærentes, quam propter deſiderium proprii muneris obeundi. Nonne jure aſſerere poſſumus hujuſmodi mortalibus eſſe venales animas; eos lupos eſſe, non paſtores, vel ſaltem mercenarios, qui ſi minime ſuas oves devorant, eas in luporum irruentium prædam derelinquunt? Præter rationem, orationem quoque habemus pro norma, qua a Deo poſſumus obtinere cognitionem Sanctæ ipſius voluntatis de nobis, & quænam ſint Providentiæ ejus conſilia. Regula tertia conſilium eſt, quod ratio docet a nobis quærendum eſſe ab iis, qui in viis Domini illuminati ſunt, ut nihil ex libidine operemur, ut aliquando nos pœnitere non debeat. Ita egit magnus hic Epiſcopus, & hæc etiam cauſa fuit, propter quam adeo bene præfuit populo ſuo, ſecundum Dei beneplacitum, ut proponi valeat in exemplum maximis terrarum Præſulibus, & cum Apoſtolicis viris primævæ Eccleſiæ comparari.

Apoſtolus in Epiſcopo requirit, ut vitam ducat irreprehenſibilem: 1. ad Tim. 3. Epiſt. ad Tit. 1. Petrus Damiani l. 2. Ep. 1.

Qui animarum curam ſuſcipere cupit, non ſolum certus eſſe debet ſe vocari a Deo; ſed omnino neceſſe eſt, ut ſit irreprehenſibilis, & in habituali ſtatu ſervandæ legis Dei, ut aliorum curam ſuſcipere valeat: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*: quod ipſum aliis verbis repetit Apoſtolus: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem*; quæ ſi deſit conditio certiſſime fiet objectum iræ Dei: vel illis S. Petrus Damiani inquit, qui flagitioſam ducunt vitam, & qui per nequiorem ſuperbiam eum occupare locum volunt, qui vitam requirit irreprehenſibilem! Qui vitam ducit nefariam, certus eſſe poteſt ſe ad tantum miniſterium nequaquam vocari; ad illud enim non vocat indignos, niſi antea dignos efficiat; & inutilis eſt eorum reſponſio, qui affirmant perfectioni ſuæ operam navaturos, ubi ingreſſi fuerint in eam vitæ rationem. Antequam ſe illi immiſceant, opus eſt, ut virtutes hæ jam acquiſitæ ſint, non acquirendæ, & illos, quos evocavit Deus, antea dignos effecit, ut perſpicuis verbis S. Thomas teſtatur, *illos, quos ad aliquod eligit, ipſe præparat, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur digni*. Adde his Deum mirum in modum zelotem eſſe honeſtatis Miniſtrorum ſuorum, qui antequam munus ſuum aggrediantur, ita ſeſe gerere debent, ne quid legitime illis exprobretur. Igitur perfectus eſſe debet, antequam ſeſe animarum regimini immiſceat; quia Paſtoris vita ut ſolide, & conſtanter frugi ſit ille ſe ipſum probare debet, ut in ſacrum miniſterium ingrediatur, ubi præſertim de animabus regendis agitur. Sancto Nicolao de his rationibus perſuaſum erat; etenim quin ille de Paſtoris miniſterio cogitaret, & cum adhuc in ſæculari ſtatu verſaretur, talem virtutis habitum adeptus fuerat, ut per illum dignum ſe præbuerit, qui vocaretur a Deo.

S. Thom. in Epiſt. ad Corinth. c. 1. l. 2. & 3. 2. q. 27.

Alia conditio a S. Paulo interpretatione requiſita eſt, ne ſit ſuperbus.

Alia qualitas, quam Deus in illo requirit, quem ad animarum curam appellat, & quam nobis idem S. Paulus indigitat, hæc eſt, ut qui ad hanc dignitatem evehitur, non ſit ſuperbus. *Non ſuperbum*. Magnum vitium, quod hominem omnino indignum facit hoc ſublimi munere, & quod ambitionem ſimul, & præſumptionem complectitur; cum quis non ſolum ſe dignum putat animarum regimine, ſed etiam in ipſum irrepere conatur, honores ambit, ſuſdeque omnia miſcet, ut ad altiores Eccleſiæ gradus aſcendat; ſciſcitatur, ubi locorum vacent beneficia, ubi redditus ampliores ſunt, ut eorum poſſeſſionem obtinere contendat, & inde magnifice vivat, quin admodum curet, utrum digne munus expleat ſuum, ſuiſque officiis perfungatur. Sed præterea alia inveniuntur vitia e regione ambitioni oppoſita, quæ non minorem merentur reprehenſionem, qualia ſunt puſillanimitas, inertia, timiditas: cum aliquis ſine ulla ambitione nitendi ſe ſtatu ſuo contentum putat, & præfert quamdam mollitiem, qua oblectatur, laboris, quem opinatur ſibi nimis eſſe gravem, licet in eo palam videat maximum fructum gloriæ Dei, & ſalutis proximi. Jeremias primum quidem laudabilis fuit, ubi expavit ad oblatam ſibi a Deo dignitatem, & dixit; Domine, neſcio loqui: puer ſum. Sed corripiendus fuiſſet, ſi negare perſtitiſſet ſecundum S. Gregorii ſententiam. Humilitas igitur eſt re adhuc integra detrectare aliquod munus prætexendo indignitatem ſuam, ſed ſuperbia eſt pertinaciter in hac repulſa perſeverare, cum a Superioribus cenſemur idonei; nam exiſtimare ſibi ſemper jus eſſe reſiſtendi Superiorum imperiis, qui opera noſtra uti volunt, & qui jus habent aperiendi nobis Dei

Jerem. 1.

Epiſt. l. 6. Epiſt. 5. 2. Circ.

voluntatem, hæc certissime est inertia superba, & per hoc facile in caput nostrum convertimus illud maledictum quod Dei Filius contorquet in servum inutilem, qui talenta sua humi effoderat. Permittamus igitur Deo nostrummet ipsorum arbitrium, & quidquid illi de nobis facere placuerit nullo in discrimine habeamus. Ita fecit S. Nicolaus, cum adhuc vivebat in sæculo, & ad Episcopatum evocatus, tantum onus evitare voluit; non prodiit amplius, delituit, se se tanquam invisibilem præbuit; sed ubi novit hanc Dei voluntatem esse, patuit, ejusque humilitas in causa fuit, ut omnia sæcula illum admirarentur in munere Episcopali.

Omnes Pastores tenentur distribuere pane verbi divini ovibus suis.

Nihil in Scripturis, & apud Patres apertius connotatum est, quam arcta, & inevitabilis necessitas, quæ omnibus adhæret Pastoribus ovibus suis divini verbi pabulum distribuendi. Tamen veritas adeo manifesta nondum satis est perspecta quamplurimis; & passim negligitur perinde ac ineffet illi tenuis probabilitas. Operæ pretium igitur est hoc diligentius cognoscere? Si enim negatur animabus doctrina, qua indigent, quodnam aliud iisdem præsidium præstabitur? Hoc palam nobis Dei Filius ostendit exemplis, & verbis, & explicite præcepit Apostolis eorumque successoribus; eaque lex nunquam in Ecclesia fuit habita tamquam arbitraria, cujusmodi sunt pleræque leges humanæ, sed tanquam essentialis statui Pastoris animarum. Ideo S. Paulus enumerans gratias eminentiores Fidelibus concessas, ait: *Dedit quosdam Apostolos &c.* & simul conjungit, *alios vero Pastores, & Doctores*, ad innuendam duorum horum officiorum indivisibilitatem. Hoc ipsum exemplo suo toto vitæ spatio noster nos Episcopus docuit.

Ad Eph. 4.

Pastor animarum debet esse integer, & minime cupidus honorum terræ. 1. ad Timoth. 3. Ad Tit. 1. 7.

Aliam quoque in animarum Pastore qualitatem requirit Apostolus. Episcopus, ait ille, esse debet ab omni habendi libidine alienus; quæ quidem dispositio omnino necessaria est in hoc statu; idque repetit in Epistola ad Titum: *Non turpis lucri cupidum*. Quæ verba nobis ostendunt Dei Filium a suis Ministris expetere persectam animi a terræ hujus bonis alienationem, ut sicut inquit Propheta, Deus sit eorum pars, & hæreditas. Et non ne videmus Apostolos nunquam gestasse aurum, neque argentum juxta Domini præceptum; quod Sancti Petrus, & Joannes dixerunt petenti eleemosynam ad Templi portam? Qui igitur Ecclesiasticum requirunt Ministerium propter habendi cupiditatem, sane ostendunt illud ab ipsis requiri, ut commodius vivant, ut pacate redditibus Ecclesiæ perfruantur, quin illi serviant, & ullam status sui functionem exerceant. Hæ venales animæ; hi cupidi Ministri conditionem suam respiciunt tanquam artem, qui victum sibi suppeditare debent, non tanquam statum, in quo ipsi sanctificandi sunt; & aliis sanctificandis operam navaturi. Plurimi sunt etiam, qui statum hunc amplectuntur vel propter ignaviam, vel quia se alteri cuipiam muneri impares putant, rati perperam, hunc statum non esse nisi pro illis, qui quietam vitam ducere volunt. Horum sententia palam ab Apostolo damnatur his verbis: *Nam cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Quot autem inter inertes hos homines adsunt, qui propter beneficia onerati pluribus maximi momenti officiis, ab iis facile se dispensant, & in alios rejiciunt quidquid in ipsorum ministerio molestum est? S. Augustinus in Epistola quadam hæc mala deplorat, & ita loquitur. Nihil vere jucundius est, quam dignitas Episcopi, & Pastoris, & nihil suavius, & commodius, quam illas exercere functiones, cum quis vult oscitanter obire cuncta, hominibus in eorum sceleribus assentari, & sibimet in sua ignavia blandiri. Sed nihil calamitosius, & damnabilius coram Deo est Pastore otioso, cui cum credita fuerit provincia panem distribuendi gregi dominico, ut huic det vitam, e contra mortem illi infert per suam ignaviam, & sæpe etiam per crudelitatem suam, vel turpis lucri desiderium. Quam vituperandus est Pastor, qui cum gregem Salvatoris alere debet, illum occidit, ut ex ejusdem substantia proficiat. Hic spiritus quam longe abest a zelo Episcopi nostri! Sancto huic Pastori tenero, & gregis sui malorum miseratori nihil erat antiquius, quam dies, noctesque vigilare, ut illius necessitatibus prospiceret, & propriam etiam substantiam suam impendere, ne quid suo gregi deesset.

2. ad Thessalon. 3.

Epist. 22. novæ edit. aliis 148.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Cultus, quem Ecclesia universa præstat S. Nicolao argumento est, quanti fiat ab eadem illius sanctitas & potestas apud Deum.

MUltitudo Templorum, & Altarium in universo terrarum orbe erectorum in honorem S. Nicolai nobis persuadere debet in Ordine Sanctorum, quos sub titulo Confessorum recolimus, neminem esse, ad cujus gloriam vehementius nos inflammare videatur Ecclesia. Extensio, & celebritas cultus, quem illa in ejusdem memoriam instituit, & cum tanto fulgore tuetur, ostendit nobis, Sancti hujus merita esse præclara, & hunc ab eadem apud Deum potentissimum existimari. Eadem electio, quæ ab illa fit, ut ipsum diversarum conditionum hominibus, pueris vero præsertim, imitandum proponat, & habendum loco singularis patroni, nos a puericia disposuit, ut in eo omnia conciperemus quæcunque in præstantissimo Sancto fingi possent. Itaque juxta æquissimum hoc præjudicium, quod Christianæ educationi debemus, nihil amplius invenimus, quod omnino impossibile, vel etiam incredibile nobis videatur inter ea, quæ de mirabilibus vitæ ejusdem actionibus referuntur. *Auctor Recens.*

Fortæ Sanctitatis præsagia in abstinentia quâ ab incunabulis exercuit.

Confitendum est insignem hunc Sanctum uberrima præventum fuisse gratia; pauci enim exticerunt in Ecclesia Sancti, qui maturius majora dederint non communis Sanctitatis indicia. Lactens adhuc erat, cum abstinentiam, & jejunium servare didicit, quod SS. Patres originalis justitiæ reparatorem, at innocentiæ custodem appellant; quandoquidem per virtutis miraculum diebus, qui præcipue devoti sunt pœnitentiæ, a nutricis uberibus abstinebat ita, ut antequam per ætatem nosset, quid sit virtus, omnium austerissimam, sensuum videlicet mortificationem exerceret. Servabat jejunia ea ætate in cujus gratiam Ecclesia ipsa nutrices a jejunii præcepto dispensat; & quasi austeritas, & mortificatio usum rationis expectare non potuerint, per instinctum id facit, quod ratio vix persuadere potest hominibus, sine jejunio, & sine austeritatibus neminem posse dici fidelem Deo permanere in naturæ nostræ corruptione, & inter extrinsecas illecebras, ac sollicitationes, quibus homines in sceles feruntur. Hoc igitur primum, & maxime efficax medium fuit, quo Sanctus hic usus est ad suam innocentiam tuendam, corpori suo bellum indicere; corpori, inquam, suo, quod S. Paulus corpus peccati appellat, quia præcipua est origo, & frequentissima causa peccati. Hoc præstitit S. Nicolaus non solum per fugam solatiorum mundi, quibus homines plerumque primos vitæ suæ annos tribuunt, verum etiam per gravissimas quaslibet austeritates, quibus qui a Deo afflati sunt corpus suum subigere consueverunt, idque ea ætate, quæ pronior est in voluptatem, cum illa proclivitas qua trahuntur fortior est, & violentior; cum impressio, quam periculosa objecta in mente, & corde illorum relinquunt acrior est, eique accedit pondus propriæ corruptionis, quæ per se nos rapit in vetitum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Jejunium & abstinentia fuerunt pro tunc S. Nicholai character.

Unicuique Sanctorum proprius inest character, & sicut Angeli singuli singulas peculiares species ab aliis distinctas, & quibus illi a cæteri distinguuntur, efficiunt, dicere possumus, quemlibet Sanctum efficere ordinem singularem, quo ab aliis secernitur. Hinc Scriptura Sacra, quæ neminem palpat, Sancti cujusdam elogium texens, vere ait: *Non est inventus similis illi*. Patet proprium S. Nicolai characterem esse jejunium. Quod aliis quoque Sanctis commune est, hoc illi peculiare est, & Ecclesia Græca illum merito jejunatorem appellavit antonomastice. Quippe ex eo cœpit jejunare, ex quo cœpit vivere: in ipsis quoque incunabulis abstinentiam exercuit, & Spiritus Sancti afflatu quarta, & sexta per hebdomadam feria semel tantum nutricis suæ ubera suxit. In se pœnitentiam cum innocentia conjunxit, & ea ætate, qua pueri naturæ tantum sequuntur instinctum, jam gratiæ motus sequitur. Quid autem cogitatis Sanctum hunc ætate provectiori fecisse, cum tot miracula ediderit in puericia? Quem progressum illum fecisse in abstinentia, putatis, qui cum eadem natus videbatur? Ingeminat cum viribus austeritates; pœnitentiæ subsidio omnes subigit cupiditates. Dies integros transigit, quin comedat; de corpore suo victimam facit, de sua puericia sacrificium, deque vita tota martyrium. Auget jejunia sua, cum Ecclesiæ necessitates augentur; cum gratiam aliquam impetrare vult, jejunium cum oratione conjungit, & innocuis hisce artibus vim Cælo infert, ut sibi postulata concedat. *P. Senault ex Oratorio.*

Ejusdem argumentum.

Insigne miraculum! simulque certum præsagium futuræ magnitudinis S. Nicolai in statu gratiæ. Lactens puer sensitivam dumtaxat vitam habens, & naturale illud studium, quo ad incolumitatem, & incrementum nostrum procurandum nos impellit per alimenta; puer, inquam, in hoc statu cibo abstinet, qui sibi necessarius est, & Ecclesiæ jejunia æque seduto servat, ac religiosus quilibet maximæ austeritatis, & observantissimus Thebaidis Eremita. Unde hoc? Dicemusne Deum illi in anteccessum rationis lumen contulisse, ut ab ipsis incunabulis par fieret christianæ pietatis exercitiis? Nequaquam. Magni hujus Sancti laudes in simplicibus conjecturis statuere nolo, quæ passim sunt falsæ, neque illi tribuere privilegia, quæ ad Præcursorem Filii Dei, Sanctamque Deiparam pertinent. Dicam dumtaxat, Deum proponere volentem illustrem Sanctum hunc Ecclesiæ suæ tanquam perfectum patientiæ, & moderationis exemplum, voluisse quoque, ut a teneris ejusdem unguiculis augurium conciperemus, & fideles omnes expectarent ex primitiis adeo mirabilibus, & gravissimis magnum aliquod virtutis cumulatissimæ portentum. *Ogier.*

Non magna laude dignus est hic Sanctus quod abstinentiâ ab incunabulis exer-

Audacter asserere possumus Sanctum hunc Episcopum non tam esse laudandum, quod ab innocenti esu abstinuerit, quam illi natura in nutricis suæ sinu præparaverat, quam celebrandum, quod sibi interdixerit vitæ delicias, & mundi voluptates, ut inter mortificationes

jugi-

cuerit, qui quod Evangelica consilia invita servaverit.

jugiter versaretur. Non igitur illum tam commendamus, quod Dei, & Ecclesiæ mandata ab ultima pueritia observaverit, quam quod secutus est consilia Evangelica ex eo tempore, quo rationis fuit compos, ut illa intelligeret. Non laudamus illum, quod fortasse puerili bonitate, quæ tamen a Deo profecta dici potest, abstinuerit a nutricis suæ lacte, cujus alii pueri adeo avidi sunt, & cupidi; sed illum plurimi facimus, quod omnia bona sua pauperibus erogaverit ea ætate, qua illa ceteri profundunt, ut sese penitus voluptatibus dedant. Immo e contra omnia bona sua pauperibus tradidit, ut viveret ex laboribus manuum suarum, & perfectam Evangelicam paupertatem servaret. *Idem.*

Decursus vitæ S. Nicolai respondit felicibus pueritiæ primordiis.

Sanctus Nicolaus fuit Occidentis Thaumaturgus, non secus ac Gregorius fuerat Orientis. Ab incunabilis, cum nondum usum rationis haberet, visus est præseferre cognitionem Evangelicorum consiliorum. Pœnitens fuit, antequam peccator esset, & duobus per hebdomadam diebus, non nisi semel, idque vespere matris suæ ubera sugebat. Nemo illum docere potuerat Ecclesiæ jejunium; sed in corde suo gerebat pro Magistro supremum Exemplar Pœnitentiæ. Ab hoc didicit admirabilem abstinentiam, cujus nondum visum fuerit exemplum in puero. Reliqua vitæ pars ab adeo sanctis initiis non abhorruit. Ubi per ætatem res cognoscere potuit, eas cognovit per lumen Dei, qui illi veritatem earum aperuit. Oculos habuit mundatos' fallaci quodam colore, qui hominibus mundi videndas objicit creaturas omnino alias ab eo, quod sunt. Nonnisi Creatoris accepit imaginem; divitias, honores, & sæculi voluptates consideravit tanquam impedimenta amori supremi boni. Hac de causa non adhæsit cor ejus bonis suis, sed illis usus est, ut fraternis necessitatibus opem ferret. Sciebat pauperum partem divinitus fuisse depositam in manu divitis, ut qui habent superflua, præberent indigentibus necessaria, & eos, qui hanc retinent partem, detestabile furtum committere. Charitas sola non est, quæ proximo jubeat opem ferre, sed justitia; & qui pauperem non alit, illum occidit. *Si non pavisti, occidisti, Gobeau.*

Sanctus hic nobis esse potest exemplo in omnibus vitæ suæ partibus.

Quemadmodum in Sancti Nicolai vita nulla pars est, quæ Deo dicata non fuerit; & nulli in ea extiterunt vacui dies, pœnitentiæ lacrymis eluendi, nullus quoque vitæ ejusdem locus est, quem non debeamus nobismet in exemplum proponere. Similis puero Samueli a primis vitæ suæ momentis ad altarium ministerium sese præparavit. Mortificatio fuit in tenella ætate juge exercitium. Nunquid minorem præparationem merebatur dignitas tanta, quanta est præfici curæ dominici gregis? Sequamur hoc Exemplum, atque utamur ratione, qua fruimur, ut nosmet offeramus Deo in ea temporum circumstantia, in qua hodie sumus. Dicamus illi, quamvis sero nimis, quod magnus ille Sanctus in mundum ingrediens: Respuis, Domine, holocausta, ac in locum earum vis victimas rationales: ecce me paratum corpore, & anima, quam a te recepi, ut tuas sequar voluntates. Sanctus hic ex numero illorum est, qui nos fidei peperierunt. Nonne enim ex illis est, qui suffragio, & sanctitate sua Jesu Christi divinitatem contra Arianos sustinuere, & qui ad nos incorruptum dogma illud transmisere, quod Religionis nostræ est fundamentum. Meminerimus igitur illorum, qui nobis fuere præpositi; attente contemplemur Sancti hujus vitam, ut imitemur. Fidem ejus sequamur; in moribus nostris exhibeamus humilitatem ejus, & omnes virtutes illius, quæ illum Sanctum fecerunt. Hoc a nobis petit Ecclesia, nobis hodierna die proponens Nicolaum tanquam exemplum virtutum omnium; quas in illo intueamur, *Recens Auctor.*

Dona gratiæ & naturæ quæ illum effecerunt exemplar virtutis, & sanctitatis.

Cum Providentia sanctum hunc virum in lucem edidisset futurum perfectum sanctitatis exemplar cum Ecclesiasticis, tum sæcularibus; illum ornaverat iis prærogativis, quæ ad id requirebantur, ingenio adeo felici, & ad virtutem prono, ut hæc cum illo nata, vel ab illo hæreditario jure parta videretur. Sed dicamus potius illum tot Cælestibus gratiis fuisse præventum, ut non solum Baptismi innocentiam nunquam polluerit, verum etiam eam posuerit illam tanquam fundamentum virtutis suæ, quæ jugiter usque ad vitæ suæ finem aucta fuit. Hic insignis, & minime frequens Cæli favor est, dicetis; sed quinam tale Exemplum imitandum relinquis? Vobis, fideles suggerens easdem artes servandæ innocentiæ, si ita felices fuistis, ut nulla unquam labe illam aspergeretis, vel si eadem reparata, possidetis adhuc pretiosum hunc thesaurum. Hæc autem media sunt, jugis mortificatio sensuum, tenera devotio, & ædificans; perfecta separatio a mundo, & omnibus iis, quæ cor illius corrumpere poterant. Audite ergo salutarem doctrinam, quam hodierna die vobis tradit Sancti hujus exemplum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Virtutes, quæ magis enituerunt in S. Nicolao.

Numquid, o Christiani, videre expectatis in Sancti Nicolai vita constantem præstantissimarum virtutum praxim; primordia vitæ sanctæ promittentis temporum decursu majorem sanctitatem, videre expectatis cor, quod Deum amat statim ac illum agnoscit; mentem, quæ illi vacat ex quo incipit aperiri; adolescentiam, cujus tanta virtus est, ut sit præsagium magnorum consiliorum, quæ de insigni hoc homine, sibi proponit Deus? Proximum ædificat praxi austerissimorum institutorum Evangelii, eorum etiam, quæ captum ejus excedere videbantur. Non liquet, utrum illi unquam decertandum fuerit contra concupiscentiam, vel jam eamdem ab ipsa nativitate superaverit. Ambitio nunquam cor ejus fefellit, vel aspidem hunc ludificatus est, eique ubi primum prodiit, intulit mortem. Bona, quæ ille a fortuna sperare poterat, erant magna, & nihilominus non aliam voluit hæreditatem, quam Jesum Christum, & primum, quod iniit consilium, fuit omnes mundanas spes abjicere, bona sua pauperibus erogare, & mox se Jesu Christi servitio devovere. *Auctor Recens.*

Fuit genus, ortus, institutio, & felices in virtute progressus.

S. Nicolaus semper habitus fuit pro uno ex Episcopis celeberrimis. Si nullum extat ejus scriptum, causa est, quod dum viveret, maluit semper facere, quam loqui. Familia ejus clarior erat pietate, quam nobilitate, quæ quidem erat amplissima. Deus genitoribus illius hunc filium dedit, tamquam fructum orationis eorum; quem postquam cælitus acceperunt, in id unum incubuerunt, ut illum eidem redderent, non secus ac Anna Mater Samuelis, quæ omnibus diebus offerebat Deo Filium virtutis suæ præmium. Puer hic Domini misericordiis præventus, quibusdam hebdomadæ diebus a nutricis ubere abstinebat. Per hanc abstinentiam jam docebat pœnitentiam in mundo, & quilibet per admirationem dicebat sibi: *Quis putas, puer iste erit? etenim manus Domini est cum illo.* Ejus institutio adeo felicibus initiis respondit. Miseratio erga calamitosos fuit virtus illi acceptissima. Secretis eleemosynis vetuit, ne inhumanus pater filiarum suarum pudicitiam prostitueret. Quam optandum esset, ut divites eamdem haberent misericordiam; & præmium in cælo dumtaxat præstolantes misericordiæ operibus exercendis vacarent! Præpositus cuidam cœnobio ab avunculo suo, qui ejusdem institutor erat, & oppidi Episcopus, quot tunc virtutum exempla non præbuit Nicolaus? Fideles verbis, & exemplis animabat; eosque ad exactissimam disciplinam servandam, & ad perseverandum in illa excitabat. Ita vitam incepit, quæ futura erat Ecclesiæ quidem adeo gloriosa, hæreticis autem, & inferno adeo funesta. *Auctor recens.*

Quomodo præservavit se ab omni labe sæculi, & servavit innocentiæ à toto vitæ suæ tempore.

S. Nicolaus non solum se immunem præservavit a sceleribus sæculi per jejunia, aliasque corporis mortificationes, quas Christiani perhorrescunt; sed præterea per insignem pietatem, apertamque sinceræ devotionis professionem, quod unum fuit ex mediis, quibus ad sartam tectam innocentiam servandam usus est. Oratio prima ejusdem fuit, & vulgatior operatio; eo usque, ut, si fides habenda est vitæ ejusdem Scriptoribus Templa essent ejus habitatio, in qua dies noctesque transigebat. *Schola illi erat, ac diversorium Dei Templum; ut se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox, & perdius habitaret.* Adde his bonorum operum praxim, quorum ab infantia contraxerat habitum, fugiens quidquid in illis nitet, quæsitus id tantum, quod in ipsis solidum est, & quod Dei unius oculos poterat in se convertere. Hinc Justitiæ officia primum apud eum locum obtinebant, mox ea, quæ meræ charitatis erant; potissimum vero vitam ducebat frugi, & uniformem semper vitæ rationem servabat, in devotione modestiam, & verecundiam in conversationibus, fugam earum, ubi aliquod periculum deprehendebat, & horrorem rerum omnium, quæ mundana gaudia saperent. Hoc illum a sordibus impuritatis, & ab adolescentiæ sceleribus præservavit, immo eidem comparavit eam qualitatem, quam requirit Apostolus in eo, qui magni alicujus populi regimini præficiendus est: *Talis decebat, ut esset nobis Pontifex, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Sicut enim futurus erat exemplum sui gregis, & forma illius, ut Apostolorum Princeps ait, *Forma facti gregis ex animo;* constat ædificationem, quæ debetur proximo per virtutis manifestam professionem primam esse normam devotionis; nihil enim ad bonum, vel ad malum adducit facilius quam bona vel mala exempla. Verba quoque, & rationes ad utrumque nos urgere possunt; sed exempla vi quadam nos rapiunt; & sicuti plerisque facilius est id eligere quidquid in mundo deterius est, & semet, ut ille corruptus est, corrumpere, quam illum ipsum a corruptione præservare: essentiale devotionis caput est abesse quam longissime fieri potest a placitis ejus per illud vivendi genus, quod ab hominum consuetudine abhorreat: *Segregatus a peccatoribus.* Hoc ipsum devotionis nomen significat, quod quamdam denotat speciem consecrationis, qua ab iis omnibus, quæ profana sunt, separamur: ita ut velle devotam vitam agere, simulque mundi placitis adhærere, mundana solatia quærere, & commiscere quidquid in mundo periculosum est, cum eo, quod sanctum est in Dei servitute; hoc est uti velle devotione ad apertam vivendi licentiam dissimulandam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Tollit confidium recedendi a Mundo.

Sanctus noster videns assidua pericula, quibus mundus refertus est, consilium iniit omnino ab illis recedendi, & hoc etiam unum fuit ex mediis, quæ Spiritus Sanctus illi suggessit, ut fragilem hanc ratem a periculo naufragii præservaret. Verum ut ab hoc procelloso,

loso, fluctibusque pleno mari fugam capesseret, opus illi fuit tuto portu, ubi citra periculum versaretur. Propitium hunc illi aperuit Providentia. Avunculus ejus, qui eodem nomine appellabatur, qui & ipse Sanctus erat, & quo Deus usus erat, ut illum in pietate enutriret, in deserto satis remoto cœnobium ædificaverat; cumque neminem inveniret, cui tutius, quam nepoti suo, cujus prudentia & virtus illi erat perspecta, illius regimen committeret, illum ad id impulit facile, hoc enim erat currentem impellere; præsertim cum hic ab avunculo ibi locum sibi poposcisset, quin sciret sibi primum esse destinatum, sibique aliorum curam esse demandandam. Abrenuntiatio, quam Nicolaus jam fecerat omnium bonorum suorum, ut Evangelicam amplecteretur paupertatem; & continentia, cujus erat perfectum exemplar, per quam jam in mundo vitam Regularem ducere inceperat, non egebat nisi loco, ex quo etiam Religiosi viri nomen acciperent. Verum cum ille ibi obedientiam exercere non posset, neque subjici aliis, cumque omnes eum observarent, & colerent, quippe omnibus comperta virtus ejus latere non poterat; inde egressus est, ut aliam solitudinem invenitet, ubi tutiorem habere posset asylum contra gloriam; quæ illum quocunque sequebatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Consilium ejus in Palæstinâ secedendi, ut abscondita Salvatoris vitam imitaretur.

Desiderium, quo flagrabat S. Nicolaus, in obedientia & sub Superioris auctoritate vivendi ad evitandam gloriam, quæ illum quocunque sequebatur, effecit, ut omnia diligentissime præcaveret ad fugiendam illam tanquam quieris suæ, fuæque innocentiæ inimicam. Iniit consilium imitandi absconditam Salvatoris vitam, & secedendi in Palæstinam, ut ibi libenter Hominis Dei vestigia sequeretur; qui fuit Humilitatis exemplar, & qui hanc virtutem ipse per se voluit docere. Ibi aspectus illius terræ, quam Salvator sudoribus, & sanguine suo irrigaverat, acriter mentem ejus percellens, effecit, ut statueret illic reliquos vitæ suæ annos transigere, patientiæ & humilitatis lectiones sibi proponendo in omnibus stationibus, ubi Salvator passionis suæ vestigia reliquerat, a stabulo Bethleemitico, quæ prima erat statio ad Calvarium, ubi adhuc erant funesta passionis, & mortis Domini instrumenta. Vobis illum exhibere conarer sanctæ huic occupationi intentum, ubi sperabat, se omnino mundo moriturum adhærendo cogitatione ac desiderio Cruci Salvatoris; nisi Deus illi significasset, se illum ad aliquid majus destinasse propter majorem sui nominis gloriam, ostendens illi hanc nobiliorem esse imitationis rationem, exequi mandata sua, quam actiones meditari, & sequi vestigia: & innocentiam ejus esse non posse alibi tutiorem, quam illic, quo vocabatur a Deo. Paruit ille, non tamen desiit, quominus mundum saltem spiritu relinqueret; quia alioquin servari innocentia non potest. *Idem.*

Nicolaus bonis suis sancte utitur.

Insignibus affluebat opibus Nicolaus ab ipsa nativitate; sed sciebat hæc omnia sibi a morte eripienda, nisi illam præverteret. Itaque statim ac per parentum suorum obitum assecutus est bonorum suorum administrationem, ea vere sua effecit, eadem pauperibus distribuendo, & mirum in modum exercuit, quod Sancti Patres semper cum modico fructu divitibus hujus mundi suaserunt, *Sparge in pauperes: fac tua, quæ tua non sunt. Nihil uniuscujusque tam proprium est*, S. Leo dicit, *quam quod impenditur in proximum.* Quoties Concionatores in argumentum, vel ornatum sermonum suorum protulerunt hæc admirabilia Charitatis exempla, quæ Sanctus hic præbuit, eum divitiis suis, quas Sancti virus virtutis appellant, usus est, ut proximi sui scelera nefaria prohiberet? Calamitosus quidam pater cogitaverat de prostituendis tribus filiabus longe calamitosioribus, ut suæ paupertati ferret solatium. Ecce prostitutionem, infamiam, libidinum habitum, mentis cæcitatem, oblivionem Dei, jacturam æternitatis, & decies centena malorum millia, quæ in miseri hujus lenonis familiam pervadunt. Sed S. Nicolaus tot malis occurrit; bonam divitiarum suarum partem destinat in dotem trium puellarum, & in parentis earum subsidium. Hujus etiam pudori pepercit, nocturnarum tenebrarum ope hanc liberalitatem exercens, & celans manum, quæ adeo benemerita erat de illa domo: ejus & filiarum intentum prohibet deterrens illum ab inito consilio, quo peccatum in eam familiam invehebatur. *P. Texier.*

Vocatio S. Nicolai ad illustrandam Episcopalem.

Providentia, quæ S. Nicolaum destinaverat ad illustrandam Ecclesiam suam, viam nacta est virtutes ejusdem prodendi, tunc etiam, cum fugere quærebat aspectum hominum profundo sensu humilitatis. Mors Myrensis Episcopi præbuit occasionem. Huic successor erat eligendus; & Episcopi simul coacti erant ut virum eligerent dignum, qui hunc locum repleret; cumque suffragiis suis irent in diversa, quamprimum seditiones, ac tumultus totum orbem replevere. Nicolaus honoris evitandi causa secesserat, & cogitabat se ignotum vitam suam in Dei cultu, & in piis exercitationibus posse transigere. Sed longe alia erant divinæ providentiæ consilia, quæ ut ad fines suos perveniret, electoribus hanc mentem injecit ad dirimendas factiones, quæ jamjam ad arma, & vim spectabant, opus esse juxta Apostolorum exemplum sorti hoc negotium committere, & in Episcopum cooptare illum, qui crastina die summo mane templum primus ingrederetur. Placuit id consilium universis, ita enim tutissime finis omnibus jurgiis, & contentionibus fiebat; sed illo usus est Deus, ut quem ipse elegerat, ad insulas evocaretur. Noctem totam in oratione traducunt in tanti momenti re divinam opem impetraturi: cumque Sanctus noster diluculo in Templum accessisset consuetis muneribus suis perfuncturus, retinetur, interrogatur quinam sit, & quo pergat. Tantum majestatis, & modestiæ in ejus facie refulsit, tantum in responsionibus honestatis, tantum pietatis in verbis, tantum sanctitatis in moribus, ut minime dubitarum fuerit, utrum hic ille esset, quem Deus in Episcopum destinaverat; ideoque illum tanquam hominem de cælo missum receperunt. Unus humilis Nicolaus facto inopinato obstupescens electioni huic nequit acquiescere; & post irritos conatus, quibus a se amovere adnisus est tantum onus sanctissimo cuique formidandum, divinæ voluntati adeo manifestis signis declaratæ cedere debuit. Si hactenus innocentiam sartam tectam servaverat, & ab omnibus sæculi iniquitatibus abhorruerat, nunc videns se in eo statu positum, qui perfectionem, & sanctitatem requirit, conatur obire munera sua vita prorsus cælesti imitaturus illam Summi animarum nostrarum Pontificis a Deo electi, & ad eum statum evecti, qui illum super reliquos homines extollebat. *Segregatus a peccatoribus, & excelsior Cœlis factus. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Magnæ illustrationes post electionem.

Adeo inexpectatam vocationem magnus hic Sanctus sustinuit præclaris actionibus; generositas, qua fidem suam propugnavit, ostendit quid expectandum esset ab Episcopo, quem elegerat Deus. Severitas edictorum Diocletiani, & Maximiani illum deterrere non potuerunt, & sicut illi mortem intentarunt, iisdem ostendit nihil illi hac re accidere posse jucundius. Itaque illis satis fuit pellere in exilium, ex quo mox a Constantino revocatus fuit, ut Niczno interesset Concilio, in quo Nicolaus, tamquam unus ex præcipuis syderibus effulsit; & Constantinus eum singulari honore prosecutus est. Hoc usus est Sanctus, non ut Imperatori assentaretur, sed ut eum ad virtutem impelleret, & ut induceret ad audiendas infirmorum querimonias, qui ab illius Præfectis per impotentiam opprimebantur. Nonne huic Principi severo vultus habitu in somnis apparuit, non sine minis præcipiens, ut liberos dimitteret tres homines falso accusatos, & injuste extremo damnatos supplicio, qui sese illi commendaverant, licet procul absenti; supplente Deo distantiæ locorum, ut servum suum honoraret? *Auctor Recens.*

Considerandum de Charitate Sancti Episcopi erga tres puellas, quarum honestati consuluit.

Nobis considerandum est, Magnum hunc Episcopum tribus illis repetitæ Charitatis actionibus erga tres puellas, quarum laborabat pudicitia, familiæ universæ honorem servasse, eam a paupertate liberasse, & eruisse ex salutis æternæ jactura, quæ fere evitari non poterat: qua in re beneficus fuit secundum omnes rationes benefaciendi, quæ vel in nobis sunt, vel extra nos. Servavit enim Patris, ac filiarum ejus honestatem; corporeis necessitatibus illorum consuluit, præbens illis, unde commode vivetent; quæ omnia sunt fortunæ bona: Illarum pudicitiæ prospexit, integritatem, & animarum earum salutem sartam tectam servavit; quorum bonorum pretium satis æstimari non potest. Sed Sancti hujus humilitas admirabilis est, quod non aliam voluit suæ charitatis mercedem, nisi facti ejusdem oblivionem apud homines: qua in re Salvatorem comitatus est, qui postquam leprosum mundasset, præcepit illi, ne cui factum proderet. *Vide nemini dixeris*, ut discceremus bonorum operum laudes fugere, ne forte intumescceremus. Tamen Sancto obtemperatum non fuit; nam ille, quem sibi tot beneficiis devinxerat, elata voce benefactorem suum prædicat. Sed ille ferre minime valens encomia, quibus urbe tota celebrabatur, egressus est iturus alio, ubi ignotus libere posset in instituto suorum bonorum operum cursu perseverare. *Pater Duneau.*

De Sancti hujus vocatione.

S. Nicolaus fidelitatem suam duabus in rebus ostendit, quarum utraque nostra & consideratione, & imitatione sunt dignæ: Obediendo videlicet gratiæ vocationis suæ, & ad unguem exequendo Dei de se ipso consilia. Quamvis igitur admirabili esset integritate, angelica purirate, ac sublimi orationis dono prædirus, repletus luminibus scientiæ prorsus divinæ, & infinitis cumulatus virtutibus, propter quas civibus suis erat admirationi: nunquam tamen admovit animum, ut se ad Sacerdotium attolleret, & multo minus, ut ad Episcopatum, & animarum curam perveniret. Humiliras illi suasit, ut inter Cœnobitas cujusdam Monasterii Sion ab avunculo suo, qui S. Nicolaus minor vocatur, instituti confugeret, ac illinc iniit consilium invisendi Sancta loca in Jerusalem, & aliquanto post sese præparavit ad reliquum vitæ suæ spatium in solitudine eremitica traducendum. Ita humilis Nicolaus cogitabat, sed longe alio spectabant Dei consilia; immo audiit aliquando vocem cælitus dilapsam, qua sibi dicebatur: *Nicolae, tibi redeundum est ad mundi palæstram, si meam expetis coronam.* Secessum ac solitudinem meditaris, & contemplationis requiem inquiris; sed non illic te volo. Si mandata mea sequi vis, opus est, ut vivas in mundo, ut mundum, ejusque pernicios placita impugnes, ac diruas.

Digitized by Google

diruas. Lacrymæ, pœnitentiæ, vigiliæ, juges orationes, & omnes peculiares virtutes, quas in solitudine exercere moliris, non sunt fructus ille, quem a te nunc cupio: *Non est hic ager; in quo fructum proferas, quem ex te flagito.* Cælesti huic voci fidelis famulus paruit; mutavit consilium; ex Corde suavitates, & spirituales solitudinis delicias reliquit, & omnino providentiæ divinæ mandatis obsecutus est. *P. Texier.*

De vocatione ad Ecclesiasticas dignitates.

Docet S. Thomas secundum communem Patrum sententiam citra temeritatem reprehensibilem coram Deo, quæcumque sit ea virtus, quam aliquis habere se putat, neminem cupere posse, aut ambire dignitates Ecclesiæ. Et sane quid hac in occasione Sancti fecerunt; De omnibus dicere possumus quod S. Bernardus de S. Malachia Episcopo Armacano in Ibernia, *qui omnem locum sublimem, & excelsum velut precipitium formidabat.* Quid ergo dicemus de illis, qui nullas in semet virtutis notas intuiti, quas S. Paulus in Sacerdotibus, Pastoribus, & Præsulibus requirit, sed e contra conscii indignitatis, vitiorumque suorum sese obtrudunt in locum periculosæ plenum aleæ, & in quo tanta perfectio requiritur? Quid dicemus, nisi illos omnino fide carere? Cæcos esse, qui sibi deposcentes regimen aliorum cæcorum, nil aliud expectare possunt, nisi ut cum illis in horribilis damnationis ruant præcipitium? *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt. P. Texier.*

Sæviente persecutione Diocletiani, vel Licinii Sanctus Nicolaus missus fuit in exilium.

Cum S. Nicolaus ad insulas vocatus fuit; ad sublimem hanc evehi dignitatem, atque ad Martyrium destinari unum ferme erat, & idem; & crux, quam primi illi Pastores gerebant, suæ dignitatis insigne, fere semper madebat sanguine prædecessorum. Paucissimi Tyrannorum furorem evitabant, qui præsertim persequebantur ipsa capita dominici gregis, quia fidem sustinebant, populos consolabantur, & alios ad martyrium subeundum confirmabant. Funesto hoc, simulque felici tempore Sanctus noster in Episcopum electus fuit sæviente furentissima & cruentissima persecutione, quam Ecclesia passa est, illa videlicet Diocletiani, quæ aliis præstitit crudelitate, & sanguinis effusione eo usque, ut Christianum nomen penitus extinctum crederetur; tantus Fidelium numerus, qua late patebat Romanum imperium, trucidatus fuit: quamvis Historici quidam asserant hoc accidisse in persecutione Licinii, quæ aliquanto post debacchata est. Verum si qua de tempore quæstio est, constat de facto, & persecutio hæc alteri non cessit, nisi quod neque tandiu mansit, neque adeo generalis fuit, cumque cessisset furor propter desperationem extinguendi Christianam Religionem sanguine eorum, qui illam profitebantur; captum fuit consilium per compendium sæviendi, solos Episcopos persequendi, quosdam ad metalla damnandi, postquam illis aliqua infamiæ nota inusta fuisset, & alios in remotissimas terrarum plagas exules & extorres agendi. Sperabant enim se facile dissipaturos oves, ubi pastores defuissent. Hoc supplicii genere damnatus fuit Episcopus Nicolaus inter primos, tanquam unus ex validissimis fidei propugnatoribus, & quamvis illud fortasse minus crudele videatur, tamen maximum eidem attulit dolorem, quia hæc pœna omnem illi cum populo suo consuetudinem auferebat. Qui hoc damnabantur supplicio, licet viventes adhuc sub terra sepulti sibi auditores, pœnarumque socios comparabant. Illis, qui aliquibus tantum membris mutilabantur, hæc saltem erat consolatio, quod in proprio corpore gestabant testimonium fortitudinis, & fidei suæ; & qui martyrio coronabantur, præter gloriam mortis adeo pretiosæ, hac quoque consolatione fruebantur, quod sanguinis sui voce alios confirmabant, quapropter Tertullianus dixit *Sanguinem Martyrum, semen esse Christianorum.* Qui vero in barbaras regiones, desertasque insulas relegabantur, ubi tot inveniebant persecutores, quot incolas, in horum custodia erant, ita ut ipsis omne interdiceretur litterarum commercium cum gregibus suis, & omnis societas cum insularibus, ut diuturno martyrio conficerentur. Hoc illud est, quod noster Episcopus patitur: procul a grege, quem unice amabat, & pro quo millies vitam effudisset, illum deserere coactus fuit, dum crudelis persecutio sæviret, cum locorum longinquitas prohiberet, ne illi ferret opem, & ne illum consolaretur. Quod si illius aliquod nuntium ad aures ipsius pervenire poterat, hoc illius magis magisque dolorem augebat; timebat enim modo, ne suppliciorum severitate aliquis adactus thus idolis adoleret; & modo verebatur, ne timor mortis alios dispergeret, ac tandem ne reliqui facile vincerentur cum nullos haberent a quibus confirmarentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Nomen, & dignitas Episcoporum erat nomen operis non honoris. & præparatio ad Martyrium. Lyb. 19. de Civ. Dei.

Me non latet quid post S. Paulum docet S. Augustinus, quod videlicet *Episcopatus nomen operis est, non honoris.* Novi quovis tempore verum esse illud Tridentinæ Synodi verbum, Episcopale onus esse humeris, hoc est viribus ipsorum Angelorum formidabile. Nihilominus confitendum est, circumstantias, quæ nunc dignitatem hanc subsequuntur, longe alias esse ab illis, quæ illam comitabantur primis Ecclesiæ temporibus, & ipsius etiam S. Nicolai ævo, quo ad Episcopatum attolli, & suppliciis deputari unum ferme erat, & idem. Crux, quam gerebant Præsules Prædecessorum suorum cruore imbuta erat. Ethnicorum furor Episcopos quærebat in Amphitheatris feris objiciendos, & electo horum Sacerdotum atque Antistitum sanguine potissimum crudelitatem suam explere gaudebant. Triginta deinceps Summi Pontifices non tantum ad S. Petri Thiaram, quam ad martyrii ejusdem coronam successerunt; & nulla est Ecclesia, quæ Pastorum suorum cruore oblita non fuerit, & quæ non fervet adhuc pretiosas tot cruciatuum reliquias, quot ad hos fidelium Patres exruciandos tyranni excogitaverunt. Quod si tot cædibus fessus furor parumper subsidebat, & si abstinebant tyranni Pontificum clade, hos tamen ad metalla damnabant, alios in exilium mittebant, alios in desertissimas terras, & ab omni commercio, & frequentia semotissimas relegabant: quæ exilia, ut vera dicam, illis erat pœna ipsa morte crudelior. Qui enim pro tuendo Evangelio in medio populi sui moriebantur, hoc saltem habebant solatium, quod gregi sui fortitudinis, atque constantiæ præbebant exempla; & libenter prædicationes suas proprio cruore signabant. Qui vero a tyrannis procul pellebantur ab Ecclesia sua, & in remotissimas plagas relegabantur, sustinebant martyrium eo acerbius, quo diutius, & omni destitutum consolatione. Hujusmodi fuit Martyrium S. Nicolai, qui de gregis sui sinu avulsus, vi coactus fuit illum in prædam relinquere furori Ethnicorum, & Hæreticorum fraudi. Quis referat fastidia, mœrores, tormenta, crucitus, quæ in corde suo passus est Pater hic amantissimus se ipsum a dilectissimis filiis cernens abstractum? Quot lacrymis suffusus metuebat, ne illorum quispiam cedens timori suppliciorum idolis thus adoleret? & alii parentum suorum deliniti blanditiis signarent miseros libellos; quibus coram Deo nocentes fiebant? Quo animi dolore bonus hic Pastor cernebat rabiem tyrannorum in gregem suum sævientem, quin huic posset opitulari? O quam illi jucundiores fuissent rotæ, eculei, pyrræ cum suis tormentis collatæ! *P. Texier.*

Post persecutionem Ecclesium tuetur est adversus Arianos. Post tranquillitatem Ecclesiæ redditi S. Nicolaus populo cum honore recepto idolatriam, hæresin & vitia conatur evertere.

Placuit tandem Deo Ecclesiæ suæ reddere tranquillitatem post infamem hanc tempestatem; cumque fides de idololatria retulisset triumphum post Constantini Imperatoris conversionem, rediit noster fidelis Pastor ad gregem suum, ut illum tutaretur adversus hæresim, postquam illum contra Ethnicorum furorem sustinuerat; quorum alterum non minoribus illi stetit laboribus altero, quandoquidem Arianorum error, qui fere in universum Christianum orbem se effuderat, non minorem pareret vastitatem, quam tyrannorum persecutiones; cum hoc tamen discrimine, quod si altera in magno Martyrum numero aliquot faciebat Apostatas, altera faciebat Hæreticos, & brevi plures pervertit, quam omnes simul persecutiones a fide deterruerunt. Hæc fuit, o Sancte, materia, & exercitatio zeli tui; præservare gregem ab hac lue, quæ ubique grassabatur. Nicolaus nullis pepercit laboribus, ut illius cursum inhiberet, & unus fuit ex illis, qui Nicænæ Synodo interfuerunt, ad quam ultra trecentum Episcopi accesserunt. Ibi ejus enituit fides in sollicitanda Arii damnatione, & ferunt, cum non posset pati blasphemias illius, unum fuisse inter primos qui cum in tanto amplissimorum virorum cœtu oppugnarent, atque confunderent; quod illi Imperatoris existimationem, & gratiam conflavit, a quo deinceps habitus fuit tanquam firmissima Ecclesiæ columna, & cujus precibus se ipsum commendare consueverat, cum illum jam Sanctum esse arbitraretur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Cum tandem post tot tantasque tempestates serenitas Ecclesiæ reddita fuit, & illa recentem fere ortum est adepta, egressa est de specubus, & cavernis terræ, ut non amplius patiens, sed triumphans videretur. Magnifica tunc vero Deo ædificata sunt Templa, eaque pretiosa supellectili ornata Ecclesia etiam reditibus, immensisque opibus aucta fuit; Reges, qui persecutores ejus fuerant, facti sunt patres, & nutritii, vel ut melius dicam Filii. Præsules de carceribus, in quorum squalore consenuerant, erepti sunt, & cum honore ab exilio revocati. Ita rediit Magnus Episcopus noster, Asia universa eum magnifice excipiente. Dioecesani ejus affluenter ex urbibus, & Pagis egrediuntur; se se effundunt super exitus virum, qua transiturus est, illi cum floreis coronis, festivisque plausibus obviam ituri. Assumit ille iterum regimen populi sui, & Ecclesia quiescente indefinenter ad majorem Dei gloriam, populique sui sanctificationem operatur. Ex Lyciæ totius finibus idolorum cultum extrudit, inanium Deorum evertit delubra, & dum infideles sub Salvatoris pedibus prosternit, simul contra domesticos Ecclesiæ inimicos, hæreticos scilicet digladiatur. S. Paulus in locupletissima recensione, quam nobis reliquit amplissimarum virtutum, quæ in Præsule requiruntur, vult illum illustratum esse lumine sanæ doctrinæ, & præditum viribus, & generosa eloquentia ad confundendos hæreticos, & quicumque ausi fuerint veritati resistere: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Hoc autem S. Nicolaus perfecit ad unguem, sese insignem reddens inter tercentum ac duodeviginti Episcopos qui Nicææ in Concilium coacti pronuntiarunt anathema contra Arium, & sectatores illius. *P. Texier.*

Confir-

Regit gregem suum in Ecclesiæ pace.

Confirmata denique Ecclesiæ pace per Imperatoris Constantini auctoritatem S. Nicolaus rediit ad gregis sui curam, & licet reformidaret tantum onus, dedit illi Deus vires oneri ferendo pares. Sanctus hic Episcopus verus fuit vir Dei, omnium bonorum operum exemplum, impertetritus veritatis propugnator, irreconciliabilis hæreticorum hostis, afflictorum refugium, indefessus rudium magister, amantissimus pauperum pater. Non defuit Sacerdotibus in illo Sanctitatis exemplar. Solus oris, corporisque habitus muta erat improbis concio; & vultus sui mortificatio publicæ pœnæ erat censuræ. Sed ubi peccatum corripiebat, quibus fulminibus hunc Dei inimicum non prosternebat? Obstinatissimus quisque peccator se moveri sentiebat, pudore suffundebatur præteritorum scelerum, ipse sibi fiebat inimicus, & si minus vitæ rationem mutabat, hoc inde proficiscebatur, quod se ipsum indignum præbuerat, qui converteretur. *Godeau.*

Bona opera S. Nicolai in Episcopatu.

Postquam magnus hic Sanctus ad Episcopatum vocatus fuit, credidit se nihil fecisse, cum jam omnia pauperibus bona sua erogasset. Impendebat omnes Ecclesiæ suæ redditus; & eleemosynis omnes, quas a fidelibus recipiebat, in charitatis operibus insumebat, ut ab egestate illos educeret, quibus egestas ipsa erat occasio peccati, ut in Cœlestem viam revocaret eos, quos necessitas inde abstraxerat, quæ immo in illum eos cogere debebat. Hoc vocari potest cum Apostolo scite compati proximi infirmitatibus, in animarum subsidium convertere illud, quod corporum necessitatibus inservire solet: quæ res elicit a nobis hanc confessionem, nunquam visum fuisse Pontificem, & Pastorem majori zelo, & charitate succensum, & in gregis sui necessitatibus magis misericordem. *Ut possit condolere iis, qui ignorant, & errant.* Heu! quantum Sanctus hic Episcopus aberat ab inflexibili sævitia Pastorum conductitiorum, & cupidorum, qui sinentes interire gregem sibi a Domino commissum, non cogitant, nisi pascere se ipsos lacte illius, & ejusdem vellere induere, ut Scripturæ locutionibus utar, hoc est qui ministerium non amant, nisi propter reditus, & dignitatem. Hoc est necessitatibus nostris subtrahere (exprobrare illis possunt oves miseræ) quod in luxum impenditis; vos famulorum numerum, sub dignitatis specie tuendum contenditis, cum interim negligatis extremam nostram paupertatem levare, quod primum est minorum vestrorum, & si nequiquam sumptibus nostris splendide vivitis, saltem hoc accidit damno nostro; hæc enim omnia in solatium nostrum sunt eroganda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Potestas miraculorū, qui auctus fuit S. Nicolao ad populorum solatium.

Quomodonam usus est Magnus hic Episcopus noster facultate, quam a Deo receperat, miraculorum patrandorum? Videte quomodo illam exerceat super homines, & elementa? quomodo procellas mulceat, non solum cum adest, verum etiam cum longissime abest; cum Nautæ, ac Institores in vitæ discrimine positi ad illum confugiunt? Sed parum est maris potestates mulcere; sedat etiam periculosissimas, ac indomitas hominum ægritudines animi. Imperator in tres Tribunos vult animadvertere, & illos per arma traducedere: S. Episcopi auxilium implorant. Quæ ratio inveniri potest ad Principis irritati animum flectendum? Quomodo in regia usque conclavia aditus aperiri potest? quomodo carceres, & calamitosorum vincula infringi? Hoc tamen mirum in modum S. Nicolaus assequitur. Noctu Cæsari apparet facie gravi, ac nitenti; prohibet, ne ille innocentibus mortem infligat; obtinet petita, vel potius ex Imperatoris manu eorum libertatem revehit. Magno huic Episcopo egregie applicare possumus præclaram illam Sancti Hieronymi sententiam, homini fidem habenti mundum universum mundum esse thronorum, ac divitiarum, quoniam de illis per opera miraculosa potest disponere. Nicolaus vi facultatis hujus miracula operandi de universo mundo, tanquam de bonis propriis potest disponere. Agere potest, mirabiliter ubilibet esse potest; uti potest creaturis omnibus, tamquam propriis divitiis. *Biroat.*

S. Nicolai charitas se extendebat non solum ad gregem suum, sed etiam ad eos omnes, qui subsidio illius indigebant.

Charitas adeo tenera, & ardens Sancti Nicolai non coarctata fuit ad solius gregis sui necessitates: videbatur in corde suo miseros omnes habere, & natus esse, ut indiscriminatim pauperibus omnibus subveniret, quod dejnde de alio Sancto dictum fuit, qui æque ac ille plenus erat charitate, & misericordia: *Collegerat in uno corde suo animas singulorum*; vel uti Sanctus Paulus de se ipso dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Num aliquis inter vos invenitur, qui patiatur, & ego summo compassionis affectu non conficiar? Ita Sanctus Nicolaus pauperum necessitatibus miserescit; afflictorum mœrore contabescit, condolet ægrotantium malis, innocentium oppressione, præsertim vero publicis calamitatibus eo usque compatitur, ut ad illos sublevandos miracula operetur, quod accidit in summa annonæ caritate; apparuit enim diviti mercatori procul abeunti, eique persuasit ut navim frugibus onustam in Lyciam adveheret, ubi certissime brevi allatas merces erat venditurus. Nemo unus ignorat quo pacto liberaverit tres Constantini Imperatoris Tribunos, qui per inimicorum invidiam falso accusati fuerant, & mox injusta morte damnati. Miseri enim illi vix S. Episcopi auxilium imploraverunt, cujus nomen, & charitas in orbe universo celebrabatur, cum Sanctus hic in somnis apparuit, vel aliter Constantino Imperatori, eique Dei iracundiam minitatus est, nisi mortis sententiam in illos illatam rescinderet, abrogaret, antiquaret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo hic Sanctus adhuc post mortem beneficus est per humorem miraculosum ex ossibus ejus manantem.

Magni hujus Episcopi Charitas erat adeo universalis, ut ipso nondum ad superos profecto, se se in miseros omnes, & in omnia etiam tempora extenderet: perseverat enim ad hæc usque tempora in illius monumento, quod est ad instar fontis vitæ, & valetudinis ægrotantibus, qui ad illud viva fide confugiunt. Et quasi dum viveret nequaquam expleviset omnem immensæ charitatis suæ latitudinem, explet illam post mortem, stratus in tumulo per liquorem miraculose manantem ex ossibus ejus, qui præsentissima est malis omnibus medicina; ut quamdam æternitatis speciem tribuat misericordiæ, & Charitatis suæ per tot sæcula præstans subsidia, quæ miseris suppeditabat, dum viveret. Hoc miraculi genus species est immensitatis, atque æternitatis misericordiæ ejus. Hoc in vita facere non potuit, fecit post mortem. Nimis parum vixit, ut suam exerceret charitatem; & misericordia ejus perget adhuc post obitum suum. Hic liquor manabit jugiter de corpore illius, & miraculum erit semper subsistens. Eleemosynas suas intra limites aliquarum Provinciarum continuit; post mortem extendet beneficia sua quocunque liquor iste feretur; & satis non esse putans manibus suis eleemosynis erogare, cum hoc liquore ex omnibus artubus suis manantem semper charitatem exercebit. *Ex variis Auctoribus.*

Quanam in re præstantiæ inter sanctos possimus magnalium sanctum?

Quid restat ad complementum gloriæ magni hujus Episcopi, nisi quod conemur sequi exempla admirabilia, quæ nobis reliquit, & præsertim hoc benefaciendi studium, quo tot sanctas artes excogitavit, ut proximi necessitatibus opem ferret. Non omnes homines vocati sunt, ut ille, ad Insulas, ut sint Pastores gregis dominici; sed omnes id esse possunt, ac debent, si hoc spectetur officium miserendi infelicium, & charitatem exercendi erga illos, qui nostro indigent subsidio. Non alia opus est vocatione ad gloriosum hoc munus, quam hæc Spiritus Sancti verba: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Divina Providentia pauperum, & miserorum victui consulnit, imperans illis, qui rerum affluentia lætantur, ut illis opitulentur. Apud divites, quos hujus terræ bonis cumulavit, depositi opes, in miserorum subsidium adhibendas. Patent falsi prætextus, & artes amoris proprii, & falsæ rationes, quibus divites utuntur, ut adeo urgentem necessitatem eludant, & limites ipsi, intra quos hæc arctari consueverit. Necessarium, superfluum, necessitates communes, & extremæ; vocabula, quæ ideo inventa creduntur, ut excuset ur inani colore cordis duritia, atque ut locupletes ab hoc se munere dispensent. Hæc relinquamus, & ipsam charitatis causam expendamus. Vis ne esse oculus cæco, ut loquitur S. Job, pes claudo, baculus infirmo, & quodammodo salus, & Salvator animæ miserorum? Ad exemplum Magni Nicolai, & secundum Apostoli consilium, opus est, ut accipias viscera misericordiæ ad eos omnes reficiendos, qui tua ope indiguerint. Hoc pacto eorum Pastor eris, ubi pro virili parte necessitatibus corporis, animæque prospexeris: & tibi Dei misericordiam concillabis, & securitatem aliquando coram illo extremi judicii die prodeundi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Psalm. 10.

Digitized by Google

PRO SANCTÆ GENOVEFÆ PANEGYRICO MONITUM.

QUAM Gallia honori S. Genovefæ deserviens debitum illi cultum adhibere festinat, non mediocri afficior voluptate videns mihi tam operis mei ordine, quam animi grati causa ob multa, magnaque in me collata beneficia, Concionatoribus suppeditanda esse argumenta, quibus elogium illius valeant exornare.

Libenter hic primus elogium hoc texere inciperem, nisi illud jam in lucem emisissem, quod tamen non perhibebit qui minus aliquot ejusdem locos in hæc inseram collectanea inter auctores, qui felicius Sanctæ hujus characterem attigere.

Cum in hujus vita multa acciderint facta, virtutes, & singulares eventus, ut inde proprius, & peculiaris exornari panegyricus valeat, quin excursus fiat in ea, quæ cum aliis Sanctis mulieribus sunt communia, puto, pastoritiam illius conditionem, ejusque dignitatem Patronæ Regni florentissimi, & Civitatis, quæ inter præcipuas totius orbis celebratur, gloriam, eo quod fuerit unum ex validissimis adminiculis, quibus Deus usus est ad tanti populi conversionem: actiones ejusdem in tanta generis obscuritate præclaras; alternas laudum, & opprobriorum vices; Majestatem, persecutiones, quibus vita illius divisa fuit, reverentiam, quam Reges, atque Optimates omni tempore ad illius tumulum testati sunt; præsertim vero miracula fere perennia & præsidium, quod tandiu præstitit Lutetiæ Parisiorum, suggerere posse satis amplam materiam Elogio characteris omnino singularis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum Synopsis hujus Argumenti.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret. 2. ad Cor. 1.

I.

ALis est, fideles, ordo divinæ providentiæ; & ita oblectatur Deus suprema magnitudinem, ac omnipotentem virtutem suam ostendere. Si ad magna operanda magnis uteretur personis; mirabilia ejus opera accepta referri possent sapientiæ, vel opulentiæ vel potestati, atque virtuti ministrorum, quorum opera usus est. Sed Gentium Apostolus, inquit, ne quis inani gloria intumescat coram Deo, non divitibus, non sapientibus secundum carnem, non potentibus, neque nobilibus illum uti ad exequendi consilia sua; immo e contra id assumere quod minimum est, ut omnes humanas potestates confundat; & secundum vim verborum Apostoli, inquirere in ipso nihilo id, quod supra terræ magnitudines cupit attollere. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Quid secundum Mundum erat Genovefa; puella simplex omnibus scientiæ luminibus destituta, puella infirma, & sine potestate; ovium custos per genus suum vel per familiæ ipsius lapsum ad infimum statum redacta. Sed triplici verbo quod tria magna complectitur miracula quæ Sermonis hujus partitionem constituent, vobis ostendam

1. Simplicitatem Genovefæ super omnem Sapientiam mundi magis illustratam.

2. Infirmitatem Genovefæ potentiorem omni mundi fortitudine.

3. Et si dicere fas est Genovefæ vilitatem quavis mundi majestate honoratiorem. Hæc erit hujus Sermonis partitio, & elogii argumentum. *P. Bourdaloue.*

II. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Prov. 31. Si verbis Sapientis utor pro fundamento elogii incomparabilis Sanctæ Genovefæ; si dico illam affluenter opes congessisse, & in hoc omnes sexus, sæculique sui superasse, non credo necesse esse admonere vos, me cum Sapiente loqui non de perituris hisce divitiis, quas mortales enixius solent perquirere, sed de animæ divitiis, quæ sunt gratiæ, & qualitates spirituales, quæ solæ aliquem in Dei oculis spectabilem reddunt. Postquam vos etiam admonui, ubi dico, illam in hoc reliquis præstitisse; non velle me hyperbolica prælatione, aut odiosa collatione argumentum meum extollere supra tot Sanctas Virgines, quarum merita Deo explorata sunt; sed per Sermonem Spiritui Sancto familiarem intelligo illam, cujus Panegyricum aggredior paucas habuisse similes, vel a paucis superatam fuisse in hoc genere privilegiorum, quibus animæ electæ Cœlitus prævenire sunt, quæ deinceps illæ quoque sua excolunt fidelitate, curisque suis. Inter divitias autem, quas spiritualium nomen satis ab illis secernit, quæ a fortunæ pendente arbitrio, nemo fidelis est, qui ignoret, duplex earum esse genus; quarum quædam mere naturales sunt; cujusmodi sunt scientiæ, quæ longo studio, & assiduo labore comparantur; studia nobilia, quæ ab ipsa natura sortiti sumus; perspicax ingenium, & omnia opulenta talenta, quæ ita aliquem supra cæteros extollunt, ut illud ipsum discrimen, quod fortunæ bona constituunt inter hominum conditiones, bona spiritualia illud inter eorum merita, & dignitatem constituant. Divitiæ aliæ sunt supernaturales, cujus generis sunt Christianæ virtutes, quæ apud Deum merita nostra constituunt; sive conjunctæ sint cum illis, quæ nobis natura donavit, sive ab illis sejunctæ sint, quia sunt ordinis superioris, & pretium, ac præstantiam suam desumunt à Dei ipsius æstimatione. Verum cum hæ divitiæ sint immensæ, atque in Scripturis sæpe thesauri appellentur, scilicet congeries plurimarum rerum pretiosarum, nequaquam eas vobis singillatim ostendere aggrediar, & quasdam tantummodo eligam ex maxime singularibus, & quæ a Spiritu Sancto pluris fieri videntur. Primæ sunt gratiæ, & virtutes, quæ potissimum mulierem sexum decent: *secundum divitias gratiæ ejus*, quemadmodum illas vocat Apostolus, quas vobis ostendere volo, quomodo S. Genovefa excoluerit, & posuerit in lucro.

1. Felices dispositiones, quas Deus in illa posuerat, quia illas in totidem virtutes convertit, quibus in universa Gallia celebrata fuit.

2. Divitias, quas S. Paulus idem appellat patientiæ in crucibus, & persecutionibus, quibus voluit Deus periculum facere fidelitatis illius, & quæ illi inæstimabiles meritorum thesauros pepererunt.

3. Denique divitias honoris, & gloriæ. Ita loquitur Spiritus Sanctus; quoniam istæ illam reddiderunt gloriosam non in Cælo solum, verum etiam in terra, ubi colitur a populis, & Regibus totius Mundi potentissimis. Hæc erit partitio, & argumentum Panegyricæ in illius laudem orationis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

III. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Psalm. 45. Cum vos invito, ut admiremini opera Domini, & prodigia, quæ fecit in terra, putatis fortasse me vobis aliquam proponere velle locupletissimam hypotiposim creationis Mundi, & pulchritudinis omnium creatarum rerum, a quibus componitur. Tamen non fert animus hodierna die hæc oculis vestris subjicere; sed Virginem puellam, quæ nulla generis, aut bonorum fortunæ commendatione prædita, quandoquidem ex pauperibus parentibus orta eo redacta erat, ut pasceret oves in agro, tamen ita claruit sanctitate, ut nominis sui memoriam immortalitate donaverit. Et profecto quodnam admirabilius prodigium, quam videre miseram ovium custodem, quæ virtute sua merita est, ut in honore haberetur tanquam magnæ Civitatis Patrona, & protectrix Regiæ familiæ in Gallia, quæ honori sibi vertit deponere ad pedes ejus coronas, sese ante ejus sacras reliquias prosternere, ac precibus ejusdem commendare! Jure quidem dicebat Apostolus, Deum, ubi illi placuerit, eligere infirma mundi, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia, ut extollat illa super ea, quæ sunt maxima. *Venite* igitur, & videte opera Domini, & prodigia, quæ gratia ejus operata est in Genevefa. Eorum autem genera considero,

1. Prodigia Sanctitatis; nam ab infantia ad sublimem jam perfectionis gradum pervenerat.

2. Pro-

Digitized by Google

2. Prodigia fortitudinis, & conſtantiæ; quia cum magnæ hujus Sanctæ nomini, ac vitæ labes fuiſſet effuſa, ſæviſſimas ſuſtinuit perſecutiones inter corruptionem ſæculi adhuc idolorum cultui ſervientis. *Auctor Anonymus.*

IV. *Simile eſt regnum Cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam Sponſo, & Sponſæ &c.* Matth. 25. Non ſine myſterio Mundi Salvator in celeberrima Virginum ſapientum, & fatuarum parabola Regnum Cælorum, videlicet Eccleſiam, ſecundum Patrum interpretationem, comparat decem Virginibus, quæ ut Cæleſtem Sponſum expectent, tenent lampades ſuas accenſas, ad indigitandam earum vigilantiam, incertæ, quo hora ſit perventurus. Ex hoc autem myſtico denario numero quinque fatuæ & imprudentes vocantur, eo quod oleum antea ſibi non comparaverint, ſine quo extinctis lampadibus periculum ſubibant, ne præſto eſſent, ut advenientem Sponſum exciperent. Reliquæ vero ſapientum nomen ſunt meritæ, eo quod opportune de oleo cogitarunt, & proſpexerunt neceſſitati; quæ ea in occaſione acciderе poterat. Patres, atque Interpretes in admirabilem hanc parabolam præclaras, & morales animadverſiones elucubrati ſunt; ſed illa utitur Eccleſia in elogio Virginum, quæ Deo ſe devoverunt, quarum præcipua officia ſint, 1. Vigilantia, ut recte vivant in eo ſtatu, quem ſunt amplexæ, qui receſſum petit, pietatem, modeſtiam, horrorem ab omnibus mundi placitis; quæ omnia nomine lampadum ſemper ardentium ſignificantur. 2. Magna Charitas, cujus ſymbolum oleum eſt; videlicet jugis bonorum operum, & officiorum exercitatio erga proximum.

Non diffiteor Eccleſiam vulgo parabolam hanc omnibus applicare Virginibus, quarum diem feſtum colit, & de ſingulis peculiariter dicere hæc verba. *Hæc eſt virgo ſapiens, & una de numero prudentum;* ſed affirmo nihil propius attingere ſingularem S. Genovefæ characterem, quam hoc elogium, illam videlicet unam fuiſſe de numero prudentum. *In officio Virginum.*

2. Quia ejus vigilantia in Dei cultu ab ultima cœpit infantia, & uſque ad vitæ finem perſeveravit; quemadmodum liquet ex tota vitæ ejus ratione, in exacta obſervantia ſolemnis voti, quod voverat Deo, in horrore ab omnibus Mundi placitis, & ab iis rebus, quæ poterant polluere cor illius, ac tandem in jugi ſollicitudine, ne quid faceret, quod Deo poſſet diſplicere.

2. Quia ſe ipſam ſexcentis operibus Charitatis inſignivit erga proximum, Infinitis prope miraculis, quæ ad hunc finem eſt operata; ardenti zelo, & cupiditate omnibus in occaſionibus opem ferendi; zelo, qui diſcretus fuit, ſapiens, & ordinatus, propter quem habita eſt Galliæ patrona dum viveret, poſt mortem vero protectrix unius ex præcipuis Mundi civitatibus.

V. *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. Si rarum eſt, mulierem fortem inveniri etiam inter illas, quæ generis nobilitate, poteſtate, ac dignitate claruerunt; longe difficilius mihi videtur illam invenire in puella infirma, ignota, & occupata in quodam vitæ genere, quod ab ipſius nativitate minime abnorme eſt. Hoc tamen in incomparabili Sancta Genovefa repertum eſt. Ut hac de re nobiſmet perſuadeamus, inhærendum eſt huic principio, quod univerſe acceptum eſt in morum Diſciplina; videlicet fortitudinem in duabus rebus conſiſtere in patiendo, & agendo, pati magnas ærumnas & calamitates, quæ non niſi per patientiam ſuperari poſſunt; & facere heroicas actiones, ad quas perficiendas fortitudine, & conſtantia opus eſt. In utroque inter ſexus ſui perſonas Sancta Genovefa reſulſit.

1. Pertulit magnas perſecutiones, atroces calumnias, morbos acerbiſſimos, difficultates, & oppoſitiones in optimis etiam conſiliis, ita ut illi applicari poſſint hæc verba, quæ Sapiens dixit de forti muliere: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos.*

2. Magna operata eſt ea conſtantia, quæ ſexum ſuum ſuperabat; *Manum ſuam miſit ad fortia,* Patriam ſuam ſervavit, innocentes eripuit a morte; prævaluit in Regum animis, infinita patravit miracula, ut omnium conditionum generi bona procuraret.

VI. Ad elogium S. Genovefæ concinnandum; tres potiſſimum virtutes illam ad hunc Sanctitatis gradum evexerunt, & in illis præſertim enituit:

1. Pietas conſtans, quæ ab ipſa pueritia ad extremam uſque ſenectutem cum eodem fervore permanſit.

2. Patientia graviſſimis probata afflictionibus, videlicet jactura ſuæ exiſtimationis, per calumnias, & perſecutiones, quæ in illam ſuſcitatæ fuerunt, morbis acerbiſſimis &c.

3. Charitas erga proximum admirabilis, quæ fecit, ut pro ſalute illius, ac utilitate nihil prætermiſerit.

VII. Cum hiſtorici eorum temporum, quibus S. Genovefa vixit, loquantur de illa, tanquam de ſæculi ſui miraculo; confirmari poteſt elogium hoc, oſtendendo, illam re ipſa ſtupendo miraculo in ſe tria ſimul conjunxiſſe digna, quæ omnes homines admirentur.

1. Baptiſmalem innocentiam, quam tota vita ſervavit cum adeo auſtera pœnitentia, ita ut mirum ſit, quod ad extremam uſque ſenectutem vivere potuerit.

2. Exiſtimationem, & gloriam adeo generalem, quam ſuæ Sanctitatis opinio, & miraculorum ejus fulgor illi pepererunt, cum contumeliis, opprobriis, calumniis & perſecutionibus eorum, de quibus præ cæteris optime erat merita.

3. Præclara miracula, quæ fecit ad proximi morbos, & ærumnas levandas cum extrema dejectione illa, ad quam redacta fuit, quin vel ipſa ſibi ferre, vel ab aliis opem ſperare poſſet, uno excepto Deo, qui in tantorum oppreſſione eam lætitia, & conſolatione affecit inter auſteritates, & mortificationes quas exercuit, ac tandem gloria cumulavit poſt tot opprobria, quæ adeo generoſe perpeſſa eſt.

S. Genovefa cum ab ipſa pueritia devota Deo fuiſſet, & cum pro Sponſo Jeſum Chriſtum accepiſſet, Dei Filius, qui in Scripturis Virginum Sponſus appellatur, ſimiliter ſibi Genovefam deſponſavit. Sed illam ad hanc evehens dignitatem voluit ſimilitudinem conſtituere, quæ in utraque parte requiritur, ubi hæc fiunt nuptiæ prorſus cæleſtes. Itaque, quemadmodum S. Genovefa pro viribus ſuis illum in omnibus imitari conata eſt, eique intemeratam ſervavit fidelitatem; Salvator, ut ſimilitudinem hanc perfectiorem efficeret, illi tria communicavit, quæ eidem antiquiſſima fuerunt, & quæ præ cæteris majori habuit in pretio; videlicet ſuam ſanctitatem, paſſiones, & gloriam. VIII.

2. Quod pertinet ad Sanctitatem, quæ eſt maxime eſſentialis divinæ humanitatis prærogativa, hanc quidem illis omnibus communicavit, qui ſunt Filii Dei per gratiam, ſed Virginibus præſertim, quæ, ut loquitur S. Paulus, ſunt ejus Sponſæ. Dici autem poteſt hanc ſanctitatem peculiari prorſus modo S. Genovefæ communicaſſe, quoniam ſervavit hæc gratiam Baptiſmalem uſque ad finem vitæ ſuæ, & nullum aliud habuit deſirium, quam Deo placendi. *Ut ſit ſanctaeſpiritu. & ſpiritu. 1. ad Cor 4.*

2. Crux, paſſiones, & contumeliæ fuerunt quodammodo portio Sanctiſſimæ humanitatis Domini; in quarum partem Salvator arceſſere voluit Sanctam Genovefam Sponſam ſuam, ut hæc perfectam haberet cum ipſo ſimilitudinem. Illa ergo traducta fuit per acerbiſſima experimenta in morbis acerbiſſimis, & in atrociſſimis calumniis, quas invicta patientia ſuſtinuit.

3. Gloria, ſuprema auctoritas, abſoluta poteſtas in omnia creata tertium conſtituit Salvatoris prærogativam, quatenus Dei ſimul, & hominis, ideoque ſupremi naturæ totius Domini. Hujus etiam gloriæ, poteſtatis, & auctoritatis in partem vocare voluit Sanctam Genovefam, illi communicando donum patrandi miracula, illam illuſtrem, ac celebrem efficiendo inſigni fama, & obſequiis; quæ illi Reges, & Principes præſtiterunt, dum viveret, & quæ præſtant adhuc ejuſdem monumento; ac tandem voto, quo Gallia, & Galliæ metropolis illam in Regni, urbiſque patronam elegerunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas.

AUctor Anonymus anno duodevigeſimo poſt Sanctæ hujus obitum vitam ejus deſcripſit, quæ in primo Bollandi Tomo legitur tertia Januarii die, ſimul cum alia, quæ a priori non differt niſi aliquibus in circumſtantiis. Utraque extat apud Surium, ſtylo dumtaxat mutato. *Auctores qui Sanctæ hujus vitam ſcripſere.*

Hæc eadem vita ex Latino idiomate in Gallicum recens traducta fuit, cum pluribus antiquis MSS. collata, cum acceſſione eorum, quæ ad ejuſdem Sanctæ tumulum, ab illius obitu ad præſens uſque tempus acciderunt.

Dominus du Val in floribus vitæ Sanctorum, & Baillet Tomo primo, iiſdem monumentis inſudarunt.

S. Gregorius Turonenſis, Sigebertus, Baronius, & antiqua omnia Menologia cum honore meminere virtutum, & miraculorum S. Genovefæ.

P. Novet ſub finem partis primæ operis, quod inſcribitur: *Homo Orationis*, unam habet in diem Sanctæ hujus feſtum meditationem. *Aſceticiquidam libri.*

P. Croiſet tomo primo Aſceticorum Exercitiorum pro ſingulis anni diebus egregium habet compendium vitæ, & miraculorum S. Genovefæ.

P. Suffren in tomo altero Anni Chriſtiani ſimiliter habet compendium vitæ Sanctæ hujus cum pluribus animadverſionibus, atque orationibus in ejuſdem honorem.

Biroat, tomo primo Panegyricorum.
P. Senault tomo primo Sermonum.
Auctor Sermonum Chriſtianorum in feſtos dies.
P. Bourdalove tomo primo in feſtos dies Sanctorum.
Elogia Hiſtorica Sanctorum tomo primo.
P. Duneau in Panegyricis tomo tertio.
Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in tomo primo Panegyricorum. *Qui edidere hujus argumenti Panegyricos.*

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS III.

Loci, Figuræ, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui huic argumento convenire poſſunt, de puritate, pœnitentia, patientia, miraculis &c.

Confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris: Ideo eris benedicta in æternum. Judith 15.

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Prov. 31.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Prov. 32.

Sponſabo te mihi in ſempiternum. Oſeæ 2.

Omnis Ponderatio (hoc eſt omne pondus auri, & argenti,) *non eſt digna continentis animæ.* Sap. 4.

Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. 1. Corinth. 7.

In omnibus tribulationem patimur, ſed non angustiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus. 2. ad Corinth. 4.

Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris, Ibidem.

Per infamiam, & bonam famam. 2. Cor. 6.

Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Prov. 3.

Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille ſimplex ac timens Deum, & recedens a malo. Job 1.

Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus. Ibidem.

Juſtitia ſimplicis diriget viam ejus. Prov. 11.

Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 6.

Sciat Deus ſimplicitatem meam. Job 31.

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. Sapient. 1.

Exempla, & figuræ Scripturæ Sanctæ.

Cur Deus in mulieribus ſæpe multitudinem operis alius facit?

OBlectatus eſt Deus quovis tempore magnifica quædam operari, potentiam ſuam oſtendere, patrare miracula, de inimicis triumphum referre non quidem ſua, ſed mulierum manu. Holofernis ſuperbia frangenda eſt? Suſcitat Judithan: Exercitus prope infiniti fugandi, ac internecione delendi ſunt? Utitur Debora: Saluti populi ſui, adverſum quem excidii jam lata lex eſt, vult proſpicere? Eſther una ſatis eſt. Sed ecce fideles aliquid adhuc mirabilius, & quod Dei noſtri fortitudinem magis oſtendit. Tandem enim mulieres illæ, de quibus loquitur Scriptura, & quarum heroice facta tantopere a Sancto Spiritu celebrantur, mulieres erant inter cæteras diſtinctæ, Principes, Reginæ ſecundum mundi conſuetudinem commendabiles. Judith magna poſſidebat bona; Debora cum ſuprema auctoritate populum judicabat; Eſther ſedebat in ſolio: Quibus in prætiaris conditionibus mulier licet infirma, tamen citra miraculum, magna, & ſummi momenti facta ſuſcipere, & aggredi poteſt. Quod autem ovium cuſtos, qualis erat Genovefa, pauper, omnibus adminiculis deſtituta, ſine nomine, ſine præſidio, manens in abjecto, atque contemptibili ſtatu ſuo mundum repleat fama miraculorum ſuorum, abſolutum exercent imperium in corpora, & animas; ad arbitrium, ut ita dicam, diſponat de cæli poteſtatibus; imperet poteſtatibus terræ, faciat, ut inferorum poteſtates contremiſcant; patroni fiat regnorum, & urbium, hoc quidem unum eſt ex myſteriis, quæ S. Paulus nobis voluit monere, ubi ait, *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:* Et hoc Apoſtoli verbum nunquam adeo plam adimpletum eſt, quam in perſona hujus beatæ Virginis, cujus Eccleſia hodierna die feſtum concelebrat? *P. Bourdaloue.*

S. Genovefa cum Abigaille collata.

Ubi conſideratur beneficæ hujus ovium cuſtodis bonitas, atque omnipotentia; omnino ſingularis videtur in officio ipſa digniſſimo. Cui enim comparari poteſt? Numquid Abigailli? Verum quidem eſt Genovefam, non ſecus ac illam peſſimam cauſam quamdam aſſumere, precibus ſuis apud Dei Filium laborantem pro peccatoribus, quorum dementia, ac duritiei longe magis deplorabiles ſunt, quam Nabal, pro quo prudens illa mulier iram Davidis flectere conabatur. Sed longe ab Abigaille diverſa pro alienigenis intercedit, & crebro gratiam petit a Rege ſuo pro nocentibus morte damnatis. Chilpericus, qui licet Ethnicus nihil renuere vult ſollicitationibus quantumvis frequentibus Genovefæ, credit, ſi civitatis oſtia juſſu ſuo clauderentur, omnem eidem occaſionem ablaturum petendi, quod illius precibus negare non poterat: Sed cum oſtia ipſa ultro patuiſſent Genovefæ, ſentit aperiri cor ſuum ad Sanctæ hujus preces; quæ ſuum nunquam miſerorum precibus clauſit. *Elogia Hiſtorica.*

Cum Juditha comparatur.

Numquid illam cum Juditha comparabimus? Verum eſt, illam juvenem, non ſecus ac Judith liberaſſe Lutetiam ab Attilæ furore, ſicut Judith Bethuliam ab Holoferne liberaverat; ſed longe alia a Judith, nunquam virum agnovit, nunquam ſe objecit videndam laſcivis oculis in caſtris hoſtilibus; & nihilominus tantum precibus ſuis obtinuit ad Gothorum exercitum diſſipandum, quantum ſi Holofernis caput obtruncaſſet.

Cum Eſther.

Nonne cum Eſther illam conferre poſſemus? Verum eſt Genovefam ſeſe ut illam, mortificaſſe, & tantum dolore, quantum jejuniis ſuis confecta deficeret, niſi ejus confidentia & zelus, veluti ancillæ honorariæ, illam ſuſtinerent. Sed longe diverſa ab illa, non eſt, cur ſollicitetur a Mardochæo. Sola eam urget Charitas, & cuicunque ſe objiciat periculo, propria ipſius vita illi antiquior non eſt. vita gregis ſui.

Cum forti Mulere Sapiente.

Illuſtris hæc ovium cuſtos nonne comparari poteſt cum forti muliere, quam Sapiens nonniſi ſumma cum difficultate ſe inventurum putabat? Verum eſt Genovefam non ſecus ac illam, liberales manus ſuas pauperibus aperuiſſe: *Manum ſuam aperuit inopi*, & ſimilem fuiſſe navi de remotiſſimis plagis panem ferenti: *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem.* Sed longe diſſimilis a forti muliere, ſi pauperibus opem tulit, hoc egit ſe ipſam redigens ad paupertatem; & viſa eſt, cum fame laboraretur, reverti cum naviculis onuſtis tritico, ex quo panes ab eadem ſubacti, & excocti non ſine miraculo in manibus ejus multiplicabantur. Verum eſt hanc forti mulieri ſimilem vidiſſe viros generis nobilitate conſpicuos obſidere domus ſuæ januas, & ipſam quoque inter Magiſtratus, ac Judices terræ ſediſſe: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ;* ſed forte quidam, quæ glorioſior eſt fortis mulieris ſorte. Simeones Stylitæ, qui ultra mille, & quingentas aberant leucas precibus ejus ſeſe commendarunt. Reges Chilpericus, & Clodoveus adhuc viventem amicitia ſua decorarunt, ac plures illi gratias largiti ſunt, quas nemo alius obtinuiſſet; poſt mortem vero illius, qui maxime toga, & ſago cæteris præſtabant; ſubditi, & Principes ſeſe ad humilis hujus ovium cuſtodis tumulum proſternunt, & genibus flexis illius patrocinium implorant. *Ex Elogiis Hiſtoricis.*

Paſtoritium munus, & conditio in Scripturis ſæpe celebratur.

Quantumvis humilis, abjectaque noſtris hiſce diebus Paſtorum videatur conditio, Sacræ nos litteræ docent, eos qui primi ſceptrum tractarunt, pedum quoque geſtaſſe; eos qui ingentium familiarum capita fuere, vel qui magnis populis præfuere, antea fuiſſe ovium ductores; quaſi Paſtorale munus, ut opportune S. Hieronymus animadvertit, fuiſſet tyrocinium, & via ad Regnum. In Lege naturæ Abel, Jacob, Joſeph, ejuſque fratres, & in lege ſcripta, Moyſes, Saul, David paſtores erant; & ipſe etiam Jeſus Chriſtus auctor legis gratiæ, reſpuens, uti liquet, tot magnificos titulos, quibus Prophetæ illum condecorarunt, præ cæteris hunc Paſtoris elegit, *Ego ſum Paſtor bonus*, eumque ſibi vindicavit. Itaque apparitiones, quæ maximam attulere conſolationem, celeberrimorum prælio rum victoria, præcipuorum myſteriorum revelatio paſtoribus reſervatæ fuiſſe videntur. Deus ſcalæ innixus ſeſe oſtendit Jacob; Moyſi apparet in rubo ardenti; inſpirat David, ne utatur armis Saul, ſed in perim, ac fundam quinque lapides immittat ad proſternendum gigantem Philiſthim. Demque vult, ut Paſtores gregibus ſuis invigilantes omnium primi Filii ſui nativitatem cognoſcant. Si immorarer in ſola Paſtorali profeſſione quam Sancta Genovefa primis vitæ ſuæ annis exercuit, nonne inde aliqua haurire poſſem præjudicia ſu æ illius magnitudinis, & Sanctitatis? Nonne poſſem dicere, Dominum illam deſtinaſſe huic innocuo muneri, ut illam duceret in vias ſuas, ut Jacob, illam in calamitatibus ejus conſolaretur, ut Joſeph, illam terribilem faceret, ut Moyſem, inimicis, populo vero ſuo beneficam, atque propitiam? Sed in quocunque ſtatu, in quocunque tempotis diſcrimine illam cogitemus, noſtri non eget, ut eam laudibus extollamus; ſed nos illius ope indigemus, ut ex bonis, quæ plurima reliquit, exemplis proficiamus, & nos ſua protectione tueatur.

Summi viri qui officii hoc exercuerunt.

Joann. 21.

Sanctæ Genovefæ collatio cum Job.

Sacrificium quod Deo fit valetudinis in morbis, ac in diverſis caſibus, qui permoleſti nobis accidunt, magnam teſtantur conſtantiam, ac ſubmiſſionem Sanctæ illius voluntati. Hoc duriſſimum fuit experimentum patientiæ Job; & cum Satanas ab illo abſtuliſſet opes, & filios, ſibi perſuaſit fore ut de illius patientia triumpharet, ſi corporis bonam valetudinem etiam auferret. Eadem uſus eſt arte erga Sanctam Genovefam, & videns illam perpeſſam fuiſſe patienter atrociſſimas calumnias, credidit, ſe poſſe de eadem per dolorem referre victoriam. Obtinuit etiam a Deo facultatem eandem torquendi, & ſicuti nihil illi vetitum fuit, niſi quod mortem inferre Sanctæ Virgini non poterat, eam omnibus iis plagis affecit, quibus Virginis patientiam poterat exercere. Febris ardoribus ſuis ignem accendit in viſceribus ejus; Paralyſis illam omnium membrorum uſu privavit, omnemque abſtulit ſenſum. Furens hic Spiritus qui oblectatur hominum miſeria, corpus innocens Genovefæ ſexcentis ulceribus operuit, ex quibus vermium examina manabant, quæ illam viventem depaſcebantur. Ex illius domo omnes avertit, unde ſolatium aliquod percipere poterat; eique modicum palearum relinquens eam ad hunc ſtatum redegit, ad quem olim redactus fuit mortalium omnium ſimul & miſerrimus,

& pa-

Digitized by Google

& patientiſſimus. Verum cum furor illius humani generis inimici nullos habeat cancellos, & quoacumque poteſt malum inferre Sanctis, niſi ejus potentia ſupremi Dominatoris virtute coerceatur: ſimul oppoſitas conjungit ægritudines, ut violentius hanc Sanctam Virginem torqueat, & in his malis exhibet eorum imaginem, quibus reprobi diſcruciantur. Tamen illius animum frangere, & Sanctæ noſtræ patientiam delaſſare non poteſt; omnes illius conatus, arteſque omnes æque inutiles fuerunt; & ſuperbum hunc ſpiritum paduit a puella ſuperari. Non ideo tamen putetis, ejus dolores, quia nimis acres, nequaquam diuturnos fuiſſe; annos enim integros viguerunt. Unius ceſſatio, alterius erat principum: ſimul aliquando una plures ſæviebant, ut in Sanctam Virginem deſperationem mitterent, & naturæ leges violantes, ut dæmonis odio paterent, ſimul viribus conjunctis ægrotam hanc innocuam conflictabant.

Punitio Matris Sanctæ Genovefæ ſimilis punitioni Jeroboam.

Manus, quam extendit Jeroboam percuſſurus Prophetam, illi peccatum exprobrantem, ſimul exaruit, & immobilis facta eſt, & ſi Princeps iſte non oraſſet ſanctum Vatem, ut a Deo tantum malum deprecaretur, nunquam illam movere valuiſſet. Similis pœna ſubſecuta eſt furorem matris S. Genovefæ; cujus factum hoc fuit. Virginis hujus mater in Templum ſe conferens, cogere voluit filiam, ut domi maneret; ſed licet perfecta hujus eſſet obedientia, tamen obteſtata parentem eſt, ut ſibi liceret in Templum proficiſci illic oraturæ. Mater, pravo tunc ingenio, rata ſe læſam, quin Sanctæ fervor illam ædificaret, prohibens, ne ſe filia ſequeretur, impegit illi colaphum. Furor adeo parum Chriſtianus ſtatim in arena punitus fuit. Mater cæca facta eſt, & oculorum aciem recipere non potuit, niſi oculos ſuos aqua lavit, ſuper quam filia a matre exorata ſignum crucis effecerat.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum huic argumento.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. ad Cor. 1.

Cur Deus in maximis cœliſibi ſatis exequendis, utatur infirmiſſimis Inſtrumentis ut olim S. Genovefa ad actiones illuſtres efficiendas.

CUM Deus adeo gloriæ ſuæ zelotypus ſit, ut honorem ſuum ſe nemini daturum affirmet, & velit rem ſibi referri acceptam honor, quem creata deferunt donis, quæ ipſe illis communicat, quos elegit futuros ſibi vaſa electionis, ſemper geſtit res præclaras facere per ea, quæ ſunt infirmiſſima; ut liquido innoteſcat dexteram ſuam, non autem manum hominis agere, & neminem coram ipſo de re aliqua gloriari poſſe: *Ut non glorietur omnis caro coram illo.* Numquid apertius veritatis hujus exemplum proferri poteſt quam S. Genovefa, cujus memoriam hodierna die Eccleſia concelebrat? Quid erat illa in oculis mundi? ſimplex puella, omnibus ſcientiæ luminibus deſtituta, imbecilla virgo ſine ullis viribus, ac ſine ulla poteſtate; pecoris cuſtos vel genere, vel aliquo fortunæ caſu ad humillimum ſtatum redacta. Attamen Virgo hæc pluribus illuſtratur luminibus, quam doctiſſimus quiſque ævi ſui; omnes enim illius admiratione capiuntur, neque putant ſeſe abjicere, ſed Dei dona venerari illam conſulentes. Majorem illa habet Sapientiam, quam ſenores ævi ſui: illi enim qui ſedent in cathedra, non quidem Moyſi, ſed Jeſu Chriſti, illam maximo habent in pretio, & ab eadem conſolationem expectant in malis, quibus populus afflictatur, & ſubſidium, cum Dei flagella deſæviunt. Hic brachii tui effectus eſt, Domine, qui ſexum eligis infirmiorem ad magna aggredienda: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum ipſa laudabitur. Prov. 22. Omnes excogitabiles illecebræ adhibitæ ut mundo placeas, inanes ſunt, & fallaces. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Sed eſt etiam pulchritudo, quæ commendat virtutem, eximium caſtitatis amorem, internam modeſtiam, & gravitatem, quæ ſibi reverentiam conciliat. Talis eſt Genovefæ pulchritudo. Facies ejus pietatis ſuæ lumine renidebat. Facilis apud eam omnibus patebat acceſſus, ab omnibus tamen colebatur. Omnium ſibi confidentiam, ac reverentiam oris habitu, qui bonitatem quamdam cum neſcio quid majeſtate conjunctum præferebat, qui quidem proficiſcebatur ex mentis ejuſdem collectione, intimaque Dei præſentia. Servabat ſemper extrinſecus, cum ab oratione revertebatur, lumina, quæ illi communicaverat Deus in ſancto illo, divinoque commercio; non ſecus ac Moyſes de monte deſcendens, quin ſciret, ſervabat luminis radios, quos Deus illi afflaverat in ejus manibus Legis tabulas collocans. Aſpectu ſuo Genovefa nonnumquam ſpectatoribus ſtuporem injiciebat propter ſplendorem ex illius ore emanantem. S. Germanus Antiſſiodorenſis, nonne & ipſe perculſus fuit? Nonne ex his indiciis agnovit magna Dei conſilia de Genovefa? Humilitas ejus velum erat, & conabatur illa intra ſe continere, & per modeſtiam celare divini amoris ardorem, quo intus flagrabat, ſed omnes illius effectus prohibere non poterat. Non erat fallax hæc gratia, neque vana pulchritudo; illam ori ejus virtus afflabat. Hæc portio eſt ſponſarum Salvatoris; *Sanguis ejus*, Sancta quædam Virgo dicebat, *ornavit genas meas.* Contemnebat ergo inanem, & fallacem pulchritudinem, quæ cauſa eſt omnium periculorum, ac malorum, quæ mulieribus accidunt, ſed amabat formam interiorem, quæ gloria eſt Sponſarum Filii Dei: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*: hujus autem effectus extrinſecus prodeuntes venerationem conciliant.

In vita S. Agnetis. Pſalm. 44.

Juſterum ſimplicitas diriget illos. Prov. 15. Hæc tutiſſima, & certiſſima norma eſt, quam juſtis tribuit Deus, ut eos in omnibus vitæ ſuæ actionibus, operibuſque dirigat: & oraculum hoc in Sanctæ Genovefæ vita completum videtur. Conſilium iniit, cujus effectus metendi erant non ſolum in reliquum vitæ ipſius ſpatium, verum etiam propter æternam ejus ſalutem. Quid illa? Quia humilis eſt, in ſe non confidit; & quia docilis eſt, periculoſum amoris proprii ſcopulum evitat; qui quidem paſſim eſt tot, tantorumque malorum principium. Ne ſeſe devoveat Deo alio motu, quam Dei, conſulit Eccleſiæ Præſules, qui ſunt divinarum voluntatum interpretes. Duo ſummi Antiſtites, qui tunc vivebant. Antiſſiodorenſis, & Trecenſis Nanterra, quæ Genovefæ natale ſolum erat, & ubi commorabatur, forte iter inſtituunt. Ad horum pedes provoluta eorum audit conſilia, & quia agnoſcit ſe a Deo vocari, ſeſe ad ſanctam hanc vocationem ſequendam adſtringit; cumque conſtantem haberet voluntatem voti ſui ſervandi, iterum illud profeſſa eſt coram Epiſcopo Carnotenſi, ut eidem recens adderet ſignum. Præclarum Chriſtianis omnibus documentum! quo edocentur Deum ipſum conſulere in ſuperiorum perſona, & nunquam ſeſe alicui ſtatui immiſcere, vel ex libidine, vel ex cupiditate, vel ex ambitione; & quod illis oſtendit, ea, quæ ſtatum quemlibet conſequuntur, tanta eſſe, ut nunquam ſatis mature de illius electione cogitetur, neque ſatis precum effundatur, ad Sanctæ ejuſdem voluntatis cognitionem habendam. Nihil tamen tam commune eſt, quam videre homines, qui Deo inconſultò temere ſine ordine, ac regula variis ſeſe ſtatuum generibus immiſceant. *P. Bourdaloue.*

Prudens ſimplicitas eſt qua agit S. Genovefa antequam voveat Virginitatem.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſeæ 2. Receſſus, & Segregatio a mundo Virginum elementum eſt: virtus, quæ illas diſtinguit, adeo mollis, ac tenera eſt, ut minimo flatu valeat corrumpi. Columba ſecuritatem non invenit niſi in foraminibus petræ: in hoc aſylum cæleſtis ſponſus adducit Sponſam ſuam. S. Genovefa attenta voci divini Sponſi, docilis præceptis ejuſdem, ſtatim tegit ſe velamine, ne aliis intuendum exhibeat oculis, niſi Jeſu Chriſti, os, quod uni illi placiturum eſt. Intelligit ſibi faciendum eſſe ſacrificium omnium ſæculi ornatuum, ut ſumat Crucem Filii Dei, quæ non ſine miraculo reperta eſt poſt votorum ejus cæremoniam, & quæ illi a S. Germano tradita fuit. Intelligit, ſi omnes Chriſtiani vulgo vitam vivere debent abſconditam in Jeſu Chriſto, quia mortui ſunt mundo ut in illo vivant: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; obligationem hanc ſibi multo arctiorem impendere. Ergo illa ſibi ſpiritualem receſſum ædificavit; ubi procul a mundi tumultu, atque ſtrepitu cupiditatum cum Jeſu Chriſto verſabatur audiens ejuſdem conſilia, & illis obtemperans. Voci ejus attenta, eam diſcernebat quin unquam eamdem confunderet cum voce Angeli tenebrarum, qui ſæpe plurimis in Angelum lucis ſolet conformari. Latuit illa in ſecreto faciei Domini, ex quo nunquam egrediebatur, quia in illo ſuam pacem, conſolationem, gaudium, caſtaſque delicias inveniebat.

Sancta hæc a mundi commercio fugit, & cur? Ad Coloſſ. 3.

Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Ad Galat. 5. Chriſtianus ortus eſt in pœnitentia, Baptiſmus, in quo ſpiritualiter regeneratus eſt, ad pœnitentiam illum impellit, vita pœnitens Jeſu Chriſti ejus exemplar eſt, & ſicuti Chriſtiani omnes per baptiſmum, & promiſſiones, quas in illo fecerunt, tenentur imitari illum, & deferre crucem illius, illi præſertim, qui aliquod peculiare votum nuncuparunt ſequendi illum, potiori jure ad eum pertinent; cujuſmodi ſunt. Virgines, inter quas eminuit Genovefa. Magna hæc Sancta minime credidit ſe tutius poſſe virginitatis ſuæ depoſitum committere, quam ſub mortificationis cuſtodia. Crucifixit ergo carnem virginem, quia particulari modo ad Jeſum Chriſtum pertinebat: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis*; & quia caro virgo Salvatoris fuerat crucifixa. Aſſidua, & iterata jejunia, noctes in orationis, & contemplationis deliciis traductæ. Corpus ciliciis, & aliis pœnitentiæ inſtrumentis peſſime affectum; hæc eadem exercitia, quorum nomen ipſum ignoramus, & quod vix prolatum nobis horrorem cit, ſanctæ erant delicia Sanctæ hujus, & innocentis Virginis: & ſicuti antiqui patres noſtri Abraham, & Jacob, non alium habebant cubile, niſi ſolum; morbi, qui crebro pœnitentiæ ſuæ erant effectus, cumulus erant gaudii illius, quia crucifigere volebat carnem ſuam cum Salvatore: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt.*

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt. Matth. 18. Sanctæ Genovefæ eadem erat occupa-

Genovefa licet occupata præ-

Digitized by Google

fenda Dei; tamen orat pro proximo.

cupitio, atque Angelis, quorum propius virtutem, & puritatem imitabatur. Nunquam oculos a Cœlesti Patre amovebat; Vitam hanc traducebat, tanquam alterius Tyrocinium, ubi occupantur beati laudando, & amando Deum, quia semper est præsens. Ita magna hac Sancta nunquam ab illo oculos amovente, vita ejus non erat nisi vita amoris, laudum, adorationum, & jugis gratiarum actionis. Mundi impedimentis, & curis, quas secum trahunt sæcularia negotia, expedita incessanter oculos in Salvatorem suum attollebat, saltem spiritu in Cœlum redire conabatur, unde progenies Adæ peccatoris ejecta fuerat, & noverat artem ferventibus precibus suis portas illius sibi aperiendi. Ibi offerebat Deo lacrymas, & gemitus suos, & procurabat in se detrahere cœlestem hunc rorem gratiæ, qui recreat, & consolatur animam exilii sui pondus sentientem. Salvatorem, qui se illi ostenderat, obtestabatur, ne illam relinqueret. Ibi in suavi hac requie, in sacro hoc commercio perfecte cœlestes spiritus imitabatur, qui Dei præsentia gaudentes eximio hoc utuntur privilegio petituri a Deo conversionem peccatorum & justorum perseverantiam. Igitur Sancta hæc loquebatur cum Filio Dei de necessitatibus nostris spiritualibus, ac temporalibus; offerebat vota Regni hujus, in quo nata erat; Dei misericordiam obtinebat, & liberationem ab iis flagellis, quæ concivibus suis impetiebant.

Attentio illius in precibus.

Orationi instantes. Rom. 12. Undenam fit, quod in obscuritate permanemus? Oramus & in divinis rebus neque sapientiores evadimus, neque magis illuminamur? Ratio est, quod nosmet expandimus in Mundum, & exterius occupamur. Congerimus in singulos dies catervam alienarum imaginum, quæ in spiritu nostro faciunt impressionem, & quæ nobis occurrunt orantibus. Sensibus nostris, & cogitationibus vagandi licentiam tribuimus: quomodo speramus illas ad Deum posse revocari, ubi volueris? Sancta Genovefa longe aliter sibi cavit, omnes aditus in cor suum custodivit, juxta Sapientis

Proverb. 4. præceptum: *Omni custodia serva cor tuum.* Omnes actiones suas cum secreto in Deum intuitu conjunxit; attente legem respiciebat non secus ac artifex prototypum suum considerat, ut illum perfectius sequatur, quam fieri possit. Semper in omnibus actionibus suis inserviendo Deo, vel illum in consiliis suis consulendo, vel in intentionibus suis inspiciendo, vel in necessitatibus ad illum confugiendo, vel illum in operibus ejus admirando, vel in beneficiis illius eum amando occupata cum esset, mirum ne est, si orationes illius essent adeo puræ, & ferventes? Si adeo affluenter Spiritus Sancti luminibus illustraretur? Si ipsa unice in Dei cognitionem attenta, oblectabatur Deus sese illi communicare? Hæc est oratio, qua utebatur, ut omnes Cœlestes gratias mereretur, per hanc melius cognoscere possemus infirmitates nostras, ut jugem necessitatem, in qua sumus misericordiarum Dei, quæ earum sunt remedium, si in oratione assidui essemus, atque perseverantes, quemadmodum Sacræ litteræ præcipiunt. *Orationi instantes.*

Ejus vigilantia, & in bona operibus occupatio. Luc. 1.

Prudentes Virgines ornaverunt lampades suas. Matth. 25. S. Genovefa una fuit ex his sapientibus, prudentibusque Virginibus. In vitæ adeo diuturnæ curriculo numquid aliqua inveniri possunt momenta, quæ Salvatori dicata non fuerint? Virtutes in corde illius ordinatæ per Charitatem, quæ aliarum domina est, in jugi exercitatione versabantur; & cum semper rebus Cœlestibus vacaret, lampas ejus nunquam carebat lumine; semper ardens erat divinis ignibus, quos accendit charitas in corde, quod repletum est Deo, & quod transit ad actum. Per humilitatem semper in novissimo loco subsistebat; nunquam egrediebatur ex nihilo suo. Deus unus illi magnus videbatur, & cum ipsa operaretur prodigia aut in corporibus aut in animabus, dicebat, quod olim Regina virginum; *Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ.* Per charitatem vero cor illius semper erat in motu Deum respiciens tanquam thesaurum suum; manusque ejus semper erant in misericordiæ operibus occupatæ; putabat enim delicias suas esse benefacere.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, quæ ad hoc argumentum pertinent.

Virgines æquales Angelis sunt. Sanctus Cyprianus de Hab. Virg.

Differunt quidem inter se, homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute; nam & si illius castitas sit felicior, hujus tamen fortior esse non concluditur. S. Bernardus Epistola ad Fratres.

Nec castitas sine humilitate, nec humilitas sine castitate valet. S. Gregorius 21. Moral.

Virgines semper cum Domino colloquuntur. S. Hieronymus ad Eustochium.

Virgo jejunet, humilis sit, & taceat. Idem ibid.

Virginitas laudabilis, sed humilitas necessaria, & ipsarum pulchra permixtio. S. Bernard. homil. 1. super Missus est.

Corpus nostrum cum per temperantiam castigamus, sacrificium est. S. August. lib. 10. de civitat. cap. 6.

In Conversionis initio nulla virtus magis necessaria est, quam simplicitas humilis, & gravitas verecunda. S. Bernard. in quodam Sermone.

Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris; explicando enim te a mundo, simplex, implicando, duplex eris. S. August. homil. 2. in Joannem.

Prudentia absque simplicitate, malitia est. Simplicitas absque ratione fatuitas nominatur. S. Hieronymus super Osee.

De Beato Job dicitur, quod erat vir simplex, & rectus. Simplex videlicet per innocentiam, rectus per cautelam discretionis: simplex, quia nullum ledere, immo prodesse desiderabat. Rectus quia se a nullo corrumpi permittebat. Beda de templo Salomonis l. 1.

Paupertatem æquo animo ferre virtus patientiæ est, sponte appetere, Sapientiæ laus est. S. Bernard.

Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. S. Chrysost. in Epist. ad Hebr.

Verum humilem patientia offendit injuria. S. Augustinus ad Probam.

Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda, injuriasque subeundas. S. Ambros. lib. de Joseph.

Nihil mirabilius in rebus humanis, quam diligere inimicos. S. Augustin. in Confess.

Optanda infirmitas carnis, quæ Christi virtute compensatur. S. Bernard. Serm. 25. in Cantica.

Perfectius est adversa tolerare fortiter, quam bonis operibus insudare. S. Bonaventura de Grad. virt. cap. 27.

Leprosis vita supplicium, & mori lucrum. S. Ambros. 3. Officiorum c. 14.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu in hoc argumento possis depromi.

Docet nos Sapiens quærere Deum in simplicitate cordis nostri: *In simplicitate cordis quærite illum:* Job etiam a Spiritu Sancto propter simplicitatem laudatur: *Et erat vir ille simplex, & rectus.* Per hanc Daniel Dei meritus est protectionem. *Daniel in simplicitate sua liberatus est.* Mundus putat virtutem hanc e regione placitis suis oppositam esse; sed quidquid ille cogitet, quidquid dicat, quidquid dicturus est, sufficit scire cum Prophera Deum beatam simplicitatem diligere: *Scio, quod simplicitatem diligas;* & sufficit Deum illius pretium cognoscere, ut nobis sit diligenda. Opponit quidem mundus huic simplicitati, quæ tantopere commendatur in Bibliis, & quæ ferme inter Christianos ignoratur, fallacem sapientiam, quam reprobat Deus. Fastidimus antiquas illas consuetudines, olim adeo venerabiles Patribus nostris, & temporibus hisce ab illis, qui seipsis pleni sunt, tanquam ineptissimas nugas habitas. Novæ quæruntur viæ, ut ad Deum accedant, novæ methodi, ut cum eo colloquantur, novæ preces, ut Dei celebrent magnalia. Volunt assertam rationem esse nostræ perfectionis normam, & quidquid aliquo modo redolet candorem, piamque innocentiam, per quam tot animæ ante nos claruerunt, in superstitionum numerum amandatur, & cum contemptu rejicitur. Tamen hac via S. Genovefa ad Deum accessit, per hanc omnes Patris cœlestis benedictiones promeruit; per amabilem hanc cordis simplicitatem ad eminentissimum perfectionis gradum ascendit. *P. Bourdaloue.*

Simplicitas dilecta virtus S. Genovefæ vera via est invenendi Jesum Christum. Sap. 2. Job 1. 1 Mach. 2. 1 Paral. 29.

Ut vere simus simplices corde, abjiciendus est spiritus callidtatis, versutiæ, simulationis tantopere in mundi sectatoribus conquisitus, atque communis; hæc enim amabilis simplicitas virtus est omnino oppositæ modis illis; Deoque accidit perjucunda, quia illam Deus habet in deliciis. Sciendum est itaque duplex esse genus simplicitatis, alterum exterius, interius alterum. Exterius cadit sub sensibus, in verbis ineſt, cum citra simulationem semper loquentis cogitationi conformes sunt, cum nihil habet affectatum in modo enuntiandi, & cum semovetur quodcunque lenocinium, aut assentationem sapit. Consistit etiam in oris habitu, gestu, incessu; ubi omnia sine affectatione, sine indecora vultus depravatione, sine mollitie & sine circuitu quodam aut vano, aut magnifico, vel qui studium nimis redoleat: Simplicitas hæc in ipsis etiam indumentis requiritur, in quibus nihil esse debet curiosius exquisitum, aut ornatum, quin tamen quidquam adsit, quod minime deceat. Consistit etiam in omnibus agendi modis ubi quidam candor adhibendus est, & rectæ intentiones, quin de hominum opinione laboretur, sed ut omnia propter Deum fiant. Quod ad interiorem attinet simplicitatem, hunc illius præter propter conceptum nobis astruere possumus. Non quærit vias, quæ sint non vulgares; communis tantum illi sufficit modus; non agit per industriam, variosque motus, quibus anima tota occupatur. Spiritus simplex semper contentus est, non incessanter agitat se ad acquirendas novas cognitiones; illis acquiescit, quas eidem tribuere placet Deo; eique satis est, si cum illo pacem tueatur. Interior hæc simplicitas in eo etiam sita est, ut ad Deum confidentius, majorique accedat cum amore; semotis cæteris cogitationibus præter eam, quæ illum

Quid sit vera cordis simplicitas, & in quo sita sit?

Digitized by Google

ſum nobis exhibet vel tanquam amicum, vel tanquam frattem, aut ſponſum; omnes enim hæ relationes cum animam relinquant tanquam in diſpoſitione pueri, hæc omnia ſibi promittit, omnia ſperat ejiciens timorem, plena reverentiali duntaxat amore. Ita ſeſe gerebat Sancta Virgo Genovefa, ſimplicitas, qua operabatur, prohibebat, ne cogitaret quid ipſa eſſet, ut de bonitatibus Dei tantum eſſet ſollicita, & ut ſine metu, atque exceptione ſe totam eidem impenderet.

Cum Deus ad aliquem ſtatum vocat, viam oſtendit per quam nos ſanctificare debemus.

Sicut divina Providentia, quæ nihil ſine magnis conſiliis operatur, ad eum ſtatum, ad quem evocare nos vult, aperit nobis vias, quæ requiruntur, ut ſanctificemur, & neceſſaria nobis miniſtrat talenta, ut mox ſanctitatis documenta tradere valeamus. Ita Deus egit cum Sancta Genovefa, dixitque illi quod dilectæ ſuæ ſponſus Canticorum; cui propoſuit exemplum ovium, quas agebat: *Abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Hinc noſtra hæc cuſtos ovium ſummam geſſit curam ſartam tectam ſervandi ſui Baptiſmatis innocentiam, quam ſibimet repræſentabat in innocentia agnorum, quos agebat in paſcua. Hinc tanta illius adhæſio ſupremo Paſtori animarum, cujus inveniebat manifeſta exempla in ovibus ſuis, ſibi adhærentibus. Hinc illa ſimplicitas in operibus omnibus, & verbis; ille candor animæ, rectitudo ſpiritus, & cordis, a qua, licet variis tentata modis, non diſceſſit. Hinc particularis ille vividuſque conceptus, quem de Deo habebat, licet Ethnicæ ſuperſtitionis tenebræ, & hæreticorum blaſphemiæ adverſarentur, cognoſcens veros Paſtores ex voce quemadmodum oves ſuæ ipſius vocem audiebant.

Cant. 1.

Gratia perficit opera naturæ: & magna eſt prærogativa eorum ſanctitatem naſci cum optimis animi dotibus ut liquet in S. Genovefa.

Ambigi nequit, quoniam hoc quotidie docet experientia, quemadmodum quidam ſunt naturæ bonis plus, minuſque commendati, & in mundi lucem egrediuntur majoribus corporis, & ſpiritus bonis ornati; ſimiliter aliquos naſci cum ſtudiis magis ad virtutem, & ſanctitatem propenſis. Non ideo tamen aſſerimus naturam eſſe diſpoſitionem ad gratiam, vel Deum exigua hæc bona reſpicere, ut nos bonis ſupernaturalibus cumulet: Sed dumtaxat gratiam, quæ perficit naturæ opera, aliter agere juxta naturæ diverſitatem, a qua recipitur, & hunc effectum eſſe electionis, & prædilectionis Dei erga illos, quos ad ſublimiorem ſanctitatis gradum deſtinavit, poſuiſſe ædificii fundamenta in montibus altis, ut inquit Scriptura; hoc eſt in locupleti natura, in nobilibus, & generoſis affectionibus; & gratiam in hoc fundo laboraſſe, cum attollere voluit S. Genovefam ad ſanctitatem adeo eminentem. Dicendum eſt enim, pias haſce propenſiones, & naturam hanc ad virtutem pronam, quam magna hæc Sancta ab ipſa tulit nativitate; & quæ ipſum etiam rationis tempus prævertit, Cæli donum fuiſſe; quoniam virtutes adeo inſignes, quales fuerunt virtutes ejus, non hauſerunt originem ex generis nobilitate, neque ex felici ejuſdem inſtitutione. Verum eſt virtutem, ſi S. Ambroſio credimus, conſtituere animæ nobilitatem; generis abjectionem ſuis commendari qualitatibus animi, & ingenium præſtans brevi elucefcere. Sed pauca ſunt hujuſmodi felicia ingenia, quæ in ſemet inveniant quod neque ſanguinis impreſſiones, neque exemplum, neque educatio in illis pepererunt. Ita hi non communes pietatis ſenſus, ſublimes hæ rerum divinarum cognitiones, quas ætas, & ratio inſpirare non poſſunt, teneri hi cordis motus, qui ad Dei cultum nos impellunt, nonniſi a Deo ipſo venire poſſunt, qui nonnunquam ſibi delegit ſervos de ventre matris eorum, ſicuti Sacer Textus ait, & quos mox neceſſariis ornavit qualitatibus, ad tenendum locum, & obeundum munus, ad quod illos deſtinavit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Deus S. Genovefam honorificavit & cur?

INtereſt gloriæ Dei, ſervos ſuos in honore haberi, & poſtquam illis uſus fuerit ad ſuam gloriam promovendam, ipſe etiam hanc ſibi curam depoſcat gloriæ illorum procurandæ. Quamobrem illi dicebat propheta; Noſti Domine amicis tuis retribuere, quod ab illis acceperiſti, & ſi contigit illis efficere, ut ab hominibus cognoſcereris, ampliſſimam retulerunt mercedem per ſublimem dignitatis gradum, ad quem illos in cælo extuliſti, & etiam propter cultum, qui eorum nomini in terris impenditur: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus.* Inter Sanctos vero videtur Deus illos magis magiſque extollere, qui in mundo noviſſimum tenuere locum. Sancti Reges, licet Reges fuerint, minori ſunt in honore, ac veneratione, quam ſexcenti alii, qui ex abjectiſſimis conditionibus aſſumpti fuerunt, & qui in tenebris, & oblivione vixerunt; quaſi Deus in ipſo etiam ſanctitatis ordine gauderet adhuc ſæculi magnitudinem deprimere, & peculiarem erga humiles oſtendere prædilectionem: *Et exaltavit humiles.* Ita Genovefa licet ovium cuſtos, & nihil ultra, in præſens uſque tempus fuit honorificata, & noſtris etiam diebus honorificatur ab iis, quibus nihil majus eſt; videlicet a Principibus, Regibus, Epiſcopis, Eccleſiæ Præſulibus ac tandem populis omnibus. *Pater Bourdaloue.*

Pſalm. 138.

Luc. 1.

Quamvis illuſtris S. Genovefa electa fuerit in Galliæ Patronam, quamvis dum viveret, & poſt mortem illam maximi terrarum Principes venerati fuerint, ac tandem colatur in urbe inter mundi celeberrimas non poſtrema, populorum pietate undique confluentium, ut tumulum ipſius venerentur; tamen non divitiarum ejus magnitudo, non generis ſplendor, non alia naturæ bona illam in hanc celebritatem extulere. Pagus Nanterteæ, ubi nata eſt, humile patris tugurium, ubi in puerilia educata fuit, humile ovium cuſtodis officium, quod ſatis diu exercuit, obſcura, & abjecta conditio, in qua vitam tranſegit ſuam, hæc omnia nomen, & memoriam illius æterna oblivione obruiſſent; niſi plurimæ nitentes illius virtutes, innocentia, charitas, in Deum confidentia, atque ſtupenda ejuſdem miracula nomen ejus ex tanta caligine eruiſſent, & niſi Deus ipſe, cui nihil antiquius eſt, quam Sanctos ſuos honorificare, procuraſſet illi tantum gloriæ in omni ſæcula, quantum abjectionis, & humilitatis illa dum viveret conquiſivit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Non genus, non alia naturæ bona Genovefam gloriſam effecerunt, ſed ſanctitas ejus & virtutes.

Non genus, neque familiarum decora homines in terris commendant. Gallia Reges, & Reginas tulit, qui eo quod dignitatem ſuam cum ſanctitate conſociare ignorarunt, ignorantur, & flocci ſiunt in ſæculo; ſed tulit paſtores, qui eo quod generis humilitatem meritis ſuis extulerunt, in honore ſunt Eccleſiæ univerſæ, & omnium fidelium ore celebrantur. Magna Sancta Genovefa, quam hodierna die colit Eccleſia, nata eſt ruri, ejuſque munus nihilo ſua nativitate præſantius, fuit primis ætatis ſuæ annis oves ducere. Attamen pietas ſua illi tantam peperit nobilitatem, ut Reges Galliæ eam tanquam Patronam venerentur, & civitas Regni hujus Metropolis tanquam Protectricem invocent, & Eccleſia tanquam unam ex celeberrimis Sanctis ſuis admiretur. *P. Senault ex Oratorio.*

Eadem argumenti.

Cum Deus oculos conjeciſſet in Sanctam Genovefam, ut ex ea faceret Galliæ ornamentum, & prototypum virtutum omnium, quæ mulieres imitarentur, cumulavit illam favoribus ſuis maxime ſingularibus, & profudit quodammodo divitias ſuas in hac anima electa. Quin enim loquamur de naturalibus perfectionibus, quas mundi factores, tanquam idola venerantur, ſed quæ nullam merentur laudem, niſi virtute fulciantur, dicam ſolum in hac non minus liberalem fuiſſe naturam, quam gratiam. Dedit huic ingenium ultra ſexum, ſpiritum ſolidum, nugarum contemptorem, prudentiam ætati ſuperiorem, mores ſuaves, & affabiles, & voluntatem docilem, & perfecte ſubjectam nutibus eorum, qui in illam aliquam obtinebant auctoritatem. Gratia omnia hæc bona perfecit, & alia addidit longe majora, ac pluris facienda: ſolitudinis amorem, teneram pietatem, miſerationem calamitatum proximi, ardens deſiderium de omnibus benemerendi, & præſertim adeo profundam humilitatem, ut licet integerrimam vitam duceret, ipſumque criminis nomen ignoraret, neminem tamen eſſe putabat indigniorem ſe his omnibus favoribus, & minus merentem, cujus ratio haberetur. Has divitias natura ſimul & gratia in magnam hanc animam effuderat, quibus mox illa ita uſa eſt, ut dici poſſit, ex fundo tam locuplete percepiſſe fructum omnem, quem poterat, illum excolendo vigilantia ſua, applicatione, ac fidelitate. Hoc reipſa parum eſſet recepiſſe adeo nobiles, ac felices diſpoſitiones ad virtutem, niſi fideliter iiſdem reſpondiſſet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Naturæ, & gratiæ privilegia, quibus S. Genovefa ornata erat.

Sancta Genovefa intellexit ſeſe devoventem Jeſu Chriſto, ejus cruci deſponſari, & ſeſe adjicere neceſſitati non vivendi, neque moriendi, niſi propter illum; acutiſſimos dolores, & amariſſimos calices eſſe partem ſponſarum, quæ in partem accedunt bonorum Sponſi cæleſtis: ab illo nonniſi cruces eſſe expectandas, quia vitæ ſuæ principium habuerat in ſtabulo, & exitum in crucis ſupplicio. Sancta hæc virgo, quin hujuſmodi veritatibus terreretur, conſolatione repleta fuit: illis alebatur tanquam fidelis, ac ſtrenua ſponſa, quæ Dominum ad Calvarium uſque erat ſecutura tanquam Magdalena, ibique cum illo moritura; cum enim ab Altari diſceſſit, ubi vota ſua nuncupaverat, intus audiit Filium Dei ſibi dicentem: Ego ſum ſponſus ſanguinum; Beata eris, ſi morieris pro me quemadmodum mortuus ſum pro te. Sponſæ meæ propius ſequuntur me, ut mihi ferant auxilium crucem meam geſtanti. Hæ vere ſunt filiæ Jeruſalem, quæ in paſſione mea plorabunt, earumque lacrymæ nunquam erunt defecturæ. Deficientibus autem tyrannis, qui effundant earum ſanguinem, opus eſt, ut mortificatio eundem effectum pariat. Hic ille gladius eſt, quem in terram tuli; Genovefa ſtatim ſermonem hunc intellexit, & præ gaudio exultavit. Conditionem accipit, & ingredi non vult in Jeroſolymæ ædificium inſtar vivi lapidis, niſi cæſa malleo fuerit, & afflictionibus perpolita. *Sermo Manuſcriptus.*

Ardens charitas S. Genovefæ erga proximum, præſertim vero erga pauperes & afflictos.

Sancta Genovefa ignea erat, cum proximo erat opitulandum; ſed incomparabilis erat illius ardor cum pauperes, & miſeri ejuſdem ſubſidio indigebant. Illis ſubveniebat, & quæcunque poterat ſolatia afferebat charitate indefeſſa, & mirabili eventu, qui nonniſi cælitus immitti poterat. Quod palam in fama publica innotuit, qua

Digitized by Google

qua Metropolis extrema laborabat inopia. Maximo enim dolore confecta videns pauperes in plateis, compitisque fame intereuntes, per Sequanam navigavit fruges conquisitura; quod iter illi benevertit, rediit enim Lutetiam eum undecim naviculis onustis frugibus; ex quibus illa ipsa panes subigebat, excoquebat, & omnibus indigentibus distribuerat. Amplissimum divitibus argumentum, qui nullam prætexere poterunt excusationem in die Judicii, cum Dei Filius ostendet illis charitatem pauperis feminæ ovium custodis, quæ damnabit eorum duritiem erga pauperes præ illorum foribus gementes, quin ab illis vel minimam opem valeant obtinere. Argumentum etiam verecundiæ nobis omnibus, qui in Dei cultu adeo tepidi sumus, & adeo ignavi, ubi bona opera exercenda sunt. *P. Novet.*

Magna lumina quibus S. Genovefa præventa fuit.

Deus unus est Pater luminum, & creatura non potest vere illustrari, nisi quatenus accedit ad Deum, ac sese Deus illi communicat. Tale etiam fuit magnum principium eminentis sapientiæ, quæ illexit in vita Genovefæ. Hæc quidem simplex erat puella, sed per mirabilem gratiæ effectum simplex hæc puella modum invenit sese conjungendi cum Deo, ex quo illum cognoscere potuit, & Deus vicissim oblectatus est in illam effundere plenitudinem donorum, & spiritus sui. Hoc illius simplicitatem commendavit, & tantam illi peperit apud homines celebritatem, ut longe omnem sæculi prudentiam superare credita fuerit. Oportebat quidem, ut Genovefa licet rudis, & ignara sublimes de Deo conceptus foveret, quoniam a prima pueritia sese illi perfectissimo modo dicavit. Parum fuit illi a Deo pendere tanquam ancillam, voluit illius esse tanquam Sponsam, intelligens eum, cui famulabatur, merum esse spiritum: Ut eum illo sanctas contraheret nuptias, æternum fecit cum carne divortium; sciens illum propter singularem virginitatis amorem factum fuisse Virginis Filium; ut illum corde conciperet, iniit consilium virginitatis servandæ, quod ut majori cum merito exequeretur, voto, ac solemni professione sese ad id adstringere voluit. Etenim jam tunc celebrat hunc S. Pauli Theologiam, quicunque adhæret Deo, fieri unum dumtaxat spiritum cum eo; & non ignorabat, Virginem in Christianismo, Virginem dico per electionem, atque statum tantum reliquis præstare fidelibus, quantum Dei Sponsa famulis ejusdem, vel ut cum Apostolo dicam, *Domesticis Dei præcedit*. Cum hujusmodi sensibus Genovefa suam Deo virginitatem devovit, simulque obtulit illi corporis, animæque suæ Sacrificium, de neutro volens amplius, quamvis legitime, disponere; alacri animo abrenuntians libertati, ac proprietati suæ ea in re, ubi de omni jure suo decedens summa afficitur lætitia; & communibus Baptismi sui obligationibus illam adjiciens, quæ eidem secundi Baptismatis loco erat futura. Quoniam secundum S. Cyprianum aliosque nonnullos Patres, obligatio, qua Virgines tenentur, est species Sacramenti, quod in illis cumulum, & perfectionem addit fidei Sacramento. *P. Bourdaloue.*

Singularis est S. Genovefæ gloria primas fuisse, quæ in Gallia votum Virginitatis emiserit.

Una ex præclaris, ac præcipuis notis gloriæ S. Genovefæ hæc est, quod scilicet prima fuerit, quæ in Gallia Deo voto solemni suam dicaverit Virginitatem. Illud autem emisit in manu Carnotensis Episcopi, & Spiritus Sanctus Præsulem hunc inspiravit, ut illam sacro velamine obnuberet, hanc aliis præferens Virginibus, quæ idem ceperant consilium; ut proculdubio ad gloriam illius semper dici posset, quod S. Ambrosius olim de Sanctissima Virgine dixerat: videlicet, quemadmodum Dei Mater prima fuit, quæ nobis virginitatis dederit exemplum; ait S. Genovefam primam in hoc regno extitisse, quæ vexillum explicuerit, & quæ exemplum, animumque dederit illis, quæ post ipsam Deo sacrificium obtulerunt. Tanto amore virtutem hanc prosequebatur, ut reliquarum virtutum praxim nequaquam amplexa fuisse videatur, nisi quod eas necessarias esse credebat ad illius candorem tuendum. *Ex Christianis Sermonibus.*

Deus illam a sæculi corruptione præservavit per sanctam educationem.

Gessit Deus curam S. Genovefæ, ex quo rationis compos facta est, ut illam semoveret a Mundo præservaturus eam a sæculi corruptione; & quamvis tunc nulla essent Monasteria, nullæ Religiosæ domus, ubi educari posset in pietate, ac timore Dei; paterna domus fuit illi schola virtutis, ubi cum illi contigisset ex Christianis parentibus nasci, piam sortita est educationem eo tempore, quo major Galliæ pars jacebat in tenebris infidelitatis, regnantibus Chilperico, & Clodovæo, qui primus Regnum Galliæ Christianam Religionem professus est. Principium felicitatis Sanctæ hujus Virginis, & providentiæ omnino particularis in illa fuit, illustratam esse fidei luminibus; eodem fere tempore quo rationis lumen eidem affulsit: inæstimabile profecto divinæ bonitatis beneficium: sed non admodum communis fuit fidelitas in hac Virgine, semper vitæ suæ rationem ad hæc lumina conformasse, & diluculo in praxim redegisse cognitiones, sensusque pios, quos Spiritus Sanctus, qui primus, ac præcipuus ejusdem Magister fuit, illi inspiravit: ita ut sex annos nata præbuerit specimina, ex quibus cognosceretur qualis erat deinceps futura. Etenim S. Germanus Antissiodorensis Episcopus, non extremum sæculi sui lumen, cum iter facturus esset Nanterra, quod erat natale solum Genovefæ, videre voluit, utrum vera essent, quæ dicebantur de peculiaribus gratiis, quibus divinitus Virgunculæ hæc cumulata fuerat, & utrum veritas respondisset famæ, quæ ad suas usque aures pervenerat. Hujus rei non solum testis oculatus fuit, verum etiam perculsus fuit fulgore sanctitatis prodeunte ex facie illius, & soliditate spiritus, minime redolentis ætatis ejusdem levitatem, aut imbecillitatem. Admiratus est cor adeo rectum, atque sincerum, candorem adeo amabilem, modestiam adeo raram, & pietatem minime vulgarem; Sed præsertim illectus fuit sublimibus de Deo sensibus, quibus illa animum suum imbuerat, & quos sermonibus suis inspirabat omnibus, qui cum illa aliquam conversationis speciem obtinere poterant, licet nondum e pueris excessisset; ita ut Sanctus hic præsul tot miraculis raptus, eo oris habitu, ut divino afflatus numine videretur; exclamaverit, Cælum lætitia affectum fuisse in puellæ hujus nativitate, quæ nata erat ad Galliæ felicitatem; atque exinde approbavit mentem hujus Virgunculæ, quam hæc illi aperuit, Deo scilicet virginitatem consecrandi, & hunc unum, neque alium amandi. Quodnam felicius præsagium! & quænam insigniora cælestis electionis monumenta! Cælum ipsum probavit judicium, quod magnus ille vir de Sancta hac tulerat; quandoquidem tanquam arrham fidelitatis ejusdem, ac pignus quod Jesus Christus illam sibi in Sponsam acceperat, voluit, ut illa semper gestaret numisma quoddam miraculosum, in quo crucis signum excusum videbatur. Quam futuram, quæso putas hanc benedictionum filiam? Quid tibi videtur de hac virgine, cujus prima principia tantam nobis spem faciunt? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Simulac se Deo, dicavit, cœpit exercere in se mortificationé, & austeritate, quam in totum vitæ spatium retinuit.

Simul ac per ætatem licuit, Genovefa voto solemni sese devovit Deo, & juxta morem, qui tunc obtinebat apud virgines, incepit leguminibus vesci, aquam bibere, & jugiter cilicium deferre. Humi cubabat, in oratione traducens noctes omnes, quæ præcedebant diem dominicum, feriam quintam, & festos dies, quibus erat sacra Synaxi reficienda. Verum cur addit Genovefa asceticis exercitationibus suis tantam vitæ austeritatem? Cur seipsam damnat assiduis jejuniis, & corpus suum in pœnitentiæ victimam convertit? Sancta erat in qua nunquam regnaverat peccatum; anima erat ab omni labe pura, in qua Baptismi gratia perseveraverat; cur ergo in seipsam tanta cum austeritate sævit? Heu! Fideles, hoc mysterium est quod prudentia carnis ignorat, sed quod placuit Deo simplicitati Genovefæ revelare. Virgo erat, sed illi præservanda sua Virginitas erat a malo, cujus contagio facillima est, videlicet sensuum mollitie. Sancta erat, sed habebat corpus, suapte natura corpus peccati, ex quo, ut S. Paulus ait, facere debebat hostiam viventem. Erat subjecta Deo, sed rebellem ferebat carnem, quæ subigenda erat, ac spiritui subjicienda. Hinc illa oblita est innocentiæ suæ, ut pœnitentis vitam peragaret. Sed non ita mundus ratiocinatur; at jam vobis dixi, magna Genovefæ sapientia est, longe aliter ac mundus, ratiocinari. Mundus licet nequam, sibi jus esse putat vivendi inter delicias, & Genovefa licet justa, legem irrogat sibi in praxi mortificationis vivendi. Praxis eximia, per quam sese sublimioribus disponit communicationibus, quas fortasse nemo habuit cum Deo. *P. Bourdaloue.*

S. Genovefa Deo consecrat primi sui rationis usum.

Altius repetamus primos S. Genovefæ annos, & videbimus rationem quasi repente, totamque simul obtinuisse perfectionem suam, & virtutem primam illius comitem fuisse, ita ut virtute, ac ratione præditam esse illi unum fuerit, & idem. Ejus cognitio, & amor Dei simul prodierunt; hoc illud est, quod concludi potest ex eo Sacrificio, quod sui ipsius obtulit Deo. Repente pergit ad crucem Salvatoris, qui terminus est, quo nonnisi post longum curriculum illi perveniunt, qui non æque perfecte, ac illa incipiunt. Ne quæratur igitur utrum hæc Virgo dicaverit Deo primum rationis usum quemadmodum facere deberet Christianus ad excitandam Baptismi sui fidem, & offerendum per semet quidquid a Deo tenet, cum illud nonnisi per alios obtulerit. Heroicus actus, quem Sancta hæc emittit in S. Germani manibus, palam ostendit, jampridem illam sese dedisse Jesu Christo in secreto cordis sui. Mundum ingressam tædebat jam vitæ; ex quo seipsam agnovit, unice Deum suum adamavit, cumque jam illum teneret per fidem, sentiebat magis pondus miseri hujus exilii, & ardenter cupiebat cum illo insolubilis charitatis vinculo uniri. *Revens Auctor.*

Ex aspectu omnia objectorum se le attollit ad Deum.

Gratiæ mirabilia non ita facile intelliguntur. Puella rudis, & illiterata, qualis est Genovefa, loquitur tamen de Deo æque ac Angelus. Nihil scit, & unctio, quam recepit a Deo, omnia illam docet. Manet in terra infelicissimo exilii loco, sed spiritus ejus semper sursum fertur; & ejus conversatio cum Angelis est. Cum Docti homines vix horæ unius spatio vacent orationi, quia cogitationum multitudine perturbantur, quæ Sanctam hanc exercitationem illis molestam efficiunt; ecce puellam ovium custodem, quæ dies noctesque in oratione tradueit. Non solum septies quotidie orat, ut David, sed orat indesinenter; objecta omnia, quæ alios dissipant, illam colligunt: contemplatur invisibilia Dei

Ad Rom. 1. magnalia in perfectionibus creaturarum : *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Naturæ illi volumen erat semper apertum, omnia in hoc volumine de illius dilecto loquebantur; aspectus gregis sui, agrorum prospectus, quidquid se illi offert, ipsi de Deo loquitur. Heu! quam procul ab sapienti hac simplicitate distamus! Tot lectiones, tot explicationes, tot librorum locutiones plerumque nos perturbant: Genovefa sine hoc præsidio penetrat quidquid maxime profundum in *Prov. 3.* Deo est, quin cum simplicibus loqui oblectatur. *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* P. Bourdaloue.

Sancta hac præclare utitur dono, & gratiis, quæ a Deo receperat. Quomodonam cogitatis Sanctam Genovefam usam fuisse gratiis, quibus a Deo fuerat cumulata? Semper præsto est, ut Dei consilia exequatur, & satis est Deum illi voluntates suas prodere, ut illas adimplendas suscipiat. Hinc ille naturalis hortor, quo fastidit solatia ætatis suæ propria, ornamenta, & nugæ, quas illius sodales deperiebant, illam coegerunt, ut ab earum consortio abstineret, & quæreret solitudinem, ut cum Deo solum conversaretur; qua in re magno illi fuit adjumento conditio, & munus illi commissum; namque suum agenti pecus vacabat, mentem suam occupare cogitationibus illius, qui dignatus est fieri Pastor animarum nostrarum. Nemora, prata, rivuli, & quidquid oculis ejus occurrebat, occasionem ei suggerebant sese ad Deum attollendi. In suavi requie, quam illi officium suum permittebat, tota occupata erat Deo, de Deo solum cogitabat, Deo uni placere cupiebat, de Deo tantum loquebatur. Incessanter divinæ bonitati gratias agebat, quæ ipsam eo in statu nasci voluerat, ubi cum occupatione primorum mortalium, qui terram coluerunt, imitari poterat eorum innocentiam, atque virtutem, quin experiretur tumultus, quos ambitio parit in elatioribus fortunis. Ita prout crescebat ætate, recentes in singulos dies progressus in virtute faciebat, & desiderio sese unice Deo dicandi percrebescente. Sancto fervore succensa Episcopum Carnotensem convenit, de manu illius sacrum velamen receptura, quod erat signum Virginum devotarum Deo; & coram illo votum emisit, cujus consilium, ac voluntatem Sancto Germano communicaverat, qui tunc e re non censuerat, ut tam cito tantæ huic perfectioni se obligaret. Sed Carnotensis Episcopus resistere non potuit enixis precibus, quibus Sancta nostra ætate provectior illum fatigavit, acta divino Spiritu, qui verbis illius vim adjiciebat. Sancta hæc puella diluculo abrumpens omnes conjugii spes, libere in praxim redegit Magni Apostoli consilium, ut nonnisi de Deo esset sollicita, unice illi adhæreret, neque partiretur cor suum, quod integrum dicabat suo Creatori. Deus, cujus adorabilis Providentia illam huc usque ducere volebat, omnia ita disposuit, ut nihil obsistere posset magnis consiliis, quæ divina illius bonitas de Sancta hac Virgine conceperat; & mors parentum, quæ præter propter eo tempore acciderit, cum illam juris sui reliquisset, reliquit patrium solum, ut sedem suam transferret Lutetiam, ubi tepertura erat majus subsidium, ut perveniret ad Sanctitatem, majoremque occasionem exercendi erga alios ardentem charitatem, qua ægebatur, & qua cor illius plenum erat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Gratiæ & non vulgares favores quos Deus illi ætate perfectiori communicavit. Cum Sanctæ Genovefæ genitores ad plures abiissent, illa Lutetiam se contulit, ubi humilem, obscuramque viram duxit in jugi exercitio austerissimæ pœnitentiæ; & assiduæ Orationis. Tunc enim incepit Deus eam favoribus non vulgaribus cumulare, & implere eo gratiarum genere, quo nonnisi electas animas prosequitur. Etenim in morbo gravi, quo nihil absuit quominus e viventium numero exturbaretur, & in quo triduo animam jam efflasse credita fuit, translata fuit spiritu in Calvarium, ubi Salvator se illi conspiciendum tradidit in cruce, & significavit ei magnitudinem supplicíorum, quæ propter ipsius amorem passus fuerat; verum simul animam ejus replevit eo gratiarum genere, quæ gratuitæ vocantur, & quas nonnisi primi ordinis Sanctis communicat, ita ut pauper hæc, & simplex pecoris custos brevi facta fuerit ævi sui miraculum. Omnes undique ad eam videndum confluebant, alii ut Cæli vias edocerentur, alii ut per illius intercessionem a Deo gratias obtinerent. Habebat illam, quam S. Paulus vocat Spirituum discretionem ita perfectam, ut Summi viri, & eorum temporum maxime perspicaces ad eam consulendam accederent. Detegebat illa versutias omnes Satanæ, & illusiones omnes, quibus homines fallere solent, secretissimas penetrabat cogitationes; & admonebat peccatores de occultissimis eorum peccatis. Futura portendebat, & nonnisi diu post eventura, & quorum nulla videbatur dispositio, ex qua posset aliquid conjici; quare fiebat, ut ad illam tanquam Oraculum confugeretur, & haberetur tanquam persona, cui Deus favores suos large effuseque donaverat, atque ut ita dicam, omnes suas divitias profuderat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Pœnitentia & austeritates quas eo tempore exercuit Genovefa. Postquam Dei filius prædicavit pœnitentiam in remissionem peccatorum, & instituit sensuum mortificationem tanquam antidotum contra eam, quam habemus ad eundem lacessendum proclivitatem, lex est, ac fundamentale axioma Evangelicum, nisi sensuum voluptatibus abstineamus, sanctisque austeritatibus corpus nostrum coerceamus, innocentiam servari non posse, neque vitam duci Christianam; tantum abest ut ad altiorem sanctitatis gradum promoveri valeamus. Sancta Genovefa, cui persuasum erat de hisce veritatibus, innocens corpus suum afflixit, tanquam si rea esset gravissimorum criminum, vel tanquam si gravissimis obnoxia fuisset flagitiis. Neque illi satis fuit ab ultima pueritia omnia sibi interdicere juventutis solatia: nunquam majori afficiebatur lætitia, quam cum paupertas ipsam omni solatio privabat, omnes occasiones aliquid sustinendi propter Deum, respiciens tamquam felicissimos casus, quibus mirabili dexteritate utebatur. Neque satis; nam ex quo Sanctus ille Præsul, quem superius memoravimus, illi præcepit, ut super se gestaret crucis signum, constituit illud longe aliter gestare super corpus suum adhuc infirmum; videlicet per austeritates, quæ ætatis ejus vires superabant, & quæ brevi naturam ipsius labefactassent, nisi Deus illam sustinuisset. Vigiliæ, cilicia, humi cubare, severitates erant, quas illi suggerebat solum desiderium patiendi pro Christo, cum nullum harum rerum vidisset exemplum. Quindecim annos nata arctam adeo servavit abstinentiam, vel ut melius dicam, jejunium adeo austerum, ut bis tantum in hebdomade comederet, & hordeaceo pane, eoque modico vescretur, cui decimoquinto quolibet die parum leguminum accedebat. Rigida sane abstinentia, quam ad annum usque quinquagesimum produxit, sibique illius in omnem vitam producendæ legem irrogaverat, nisi sancti viri, quorum monita cum cæca obedientia sequebatur, illam non coegissent, ut de mirabili hac austeritate aliquid remitteret, sumens per intervalla parum lactis, & piscis; non sine lacrymis, & acerbissimo cum dolore, quia duræ hujc necessitati se subjectam videbat. Quodnam Christianæ mortificationis exemplum in Virgine innocenti, in suum corpus exercente pœnitentium austerissimorum cruciatus! Quam hæc ipsa austeritas confundere debet tot Christianorum mollitiem, qui in corpore peccati, sicut loquitur S. Paulus, videlicet in corpore ad libidinem, & omnia flagitia prono; in carne deliciis affueta, omnes perquirunt voluptates, quas sibi licere putant causati, se nullum intueri præceptum, quo damnentur explicite; & cogitant hoc pacto seipsos continere inter cancellos, quos præscribit Evangelium, & Deo fideles permanere. Heu! hoccine illud exemplum est, quod nobis reliquit Auctor ipse Religionis, quam sumus amplexi? Hoccine præcepit nobis Evangelium, quod Canon est noster? Hoccine tot Sancti nos docuerant, & S. Genovefa prudenti præcautione observavit tanquam antidotum contra peccatum? *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Deus Sanctæ Genovefæ donis miraculosis communicavit. Sanctæ nostræ vita non aliud fuit quam series prodigiorum, & operum supernaturalium, quæ ipsa etiam infidelitas inficiari non potest. Numquid morbus est adeo pertinax, & incurabilis, qui virtuti orationis ejus non cesserit? & hoc donum curationum, quod Magister Gentium asserit unam ex gratiis communibus, & vulgaribus in primitiva ecclesia, quandonam, & in quo magis refulsit? Non loquor autem de secretis curationibus particularibus, coram exiguo testium numero peractis, & contra quas increduli putant sibi jus esse invehendi: sed loquor de curationibus publicis, cognitis, probatis, & quas ipsi etiam Religionis inimici in dubium revocare non possunt. Miraculum Ardentium, cujus Parisiensis Ecclesia servat adhuc monumenta adeo certa, & alia centum, quæ negari non possunt primo illi similia, quibus referire non debeo sermonem, qui nobis ad ædificationem prodesse debet, nonne palam vobis ostendunt eam potestatem, quam a Deo acceperat Genovefa pro his omnibus effectis gratiæ, & bonitatis, quæ naturam excedunt? Si corpus ejus post mortem non prophetavit, ut Eliæ, nonne videtur majora immo præstitisse? Nonne ex ejus monumento millies manavit virtus, illi similis quæ de Jesu Christo exibat, ut Evangelistæ testantur? Nonne in ipso etiam sepulcro fons est vitæ illis omnibus, qui ad pretiosas has exuvias confugiunt? Et spiritus minus propensi ad veritatem hanc confitendam propria convicti experientia, nonne tandem honorem illi adhibuerunt? Testem affero illam gratiarum actionem in Elogii formam, quam Erasmus elucubratus est, ubi palam affirmat Sanctam hanc apud Deum extitisse liberatricem suam, & se non vivere nisi propter illius beneficium. Hoc miraculorum dono quod inter præcipua ejus privilegia censebatur pro omnibus ipsa una excepta, usa est liberalissime, cum ipsa interim vitam suam duxerit gravissimis morbis afflictatam, volens hac in re sese Salvatori suo conformare, cui objiciebatur quod alios salvos fecisset, & seipsum salvum facere non potuisset. Sed invicta patientia, quam præ se tulit in malis omnibus, quibus opprimebatur: gaudium, quo cumulabatur patiens, vis illa spiritus, quæ in corpore infirmo efficiebat, ut par esset omnia faciendo, & exequendo, nonne miraculum majus erat, quam quidquid miraculosissimum in aliorum gratiam operabatur? Et hæc Dei virtus, qua induta erat, nonne magis elucebat, vel ut S. Paulus ait nonne magis perficiebatur in languenti valetudine, quam in corpore robusto? *Nam virtus*

Digitized by Google

2 Cor. 12. *virtus in infirmitate perficitur*. Vere igitur dici poteſt illa in jugi infirmitate, ac morbis adeo gravibus fuiſſe miraculum multo magis inſolitum, quam ea omnia, quæ pro aliis toto vitæ ſuæ ſpatio fuit operata. *Pater Bourdaloue*.

Genovefa fugiebat oſtentationem ſanctitatis, & hominū æſtimationem. Matth. 5.

Genovefa, quæ jam haberi incipiebat tanquam non vulgaris perſona, nil tantum reformidavit, ne ſæculi ſui ſpectaculum fieret. Latentem amabat vitam, trepidabat ad intuitum magnæ illius æſtimationis, qua apud homines fruebatur, & reminiſcens ſubinde illorum Evangelicorum verborum: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, ægrius laudes perferebat, quam a ſuperbis exoptentur. Non quærebat illa inani oſtentatione inſignis auſteritatis, neque ſingularis pietatis praxi, quæ ſpectatorum admirationem aucupantur, neque miraculorum, quæ operabatur, fulgore clarescere; Verum ſciens perfectionem noſtram eſſe in ſubmiſſione divinæ voluntati; hujus vocem tantum audiebat; Dei legem tantummodo conſulebat, ſeu ad pœnitentiam moderandam, ſeu ad pietatis praxim inſtituendam, ſeu ad opem proximo ferendam dono curationum. Illa ſibi quam diligentiſſime cavebat, ne qua ambitionis aura intumeſceret; & pro viribus ſatagebat celare beneficia, quibus cumulabatur a Deo: & quæ nonniſi charitatis, & neceſſitatis cauſa prodebat. Cupiiſſet, ut ſuæ tantum noxæ cognoſcerentur. Mirumne igitur eſſe debet, ſi Deus, qui requieſcete gaudet ſupet quietum, & humilem, tot ei lumina communicaret, ſi ei ſecreta ſua revelaret, ſi dona ſua committeret Virgini ita prudenti, quæ tantum aberat, quod illorum gloriam ſibi vindicate vellet, ut nihil tam vereretur, quam ne haberetur in pretio, in ſecreto cordis ſui inquirens intentiones Dei precibus enixis eaſdem executura. *Auctor recens*.

Atroces calumniæ, & perſecutiones, quas Sancta hæc patienter tulit.

Licet S. Genovefæ virtus adeo inſignis eſſet, ac publica, non evitavit tamen calumniæ morſus, & audeo dicere, ſi maximis honoribus excepta fuit; una etiam fuit eatum Eccleſiæ Sanctarum, quæ præ cæteris omni conviciorum genere petita fuit. Quamvis Fideles honorem non appetant, videntur tamen aliquam ipſis eſſe rationem metuendi detractionem; & juſtitia illos jubet rationem ſuæ æſtimationis habere, quia proximorum ſalutis prodeſſe poteſt. Illius jacturam extimeſcunt, ſcientes hoc bono, quantumvis fragili, virtutem fieri auguſtiorem, & cum detractio illis honorem furripit, egent patientia, ut hanc injuriam ſuſtineant. Hoc unum eſt ex ampliſſimis muneribus, quæ Salvatori, & hæc una eſt ex acceptiſſimis victimis, quas Patri ſuo valeant offerre. Hoc etiam fuit acerbiſſimum experimentum, quo Sanctæ noſtræ firmitas probata fuit, & in quo ejus conſtantia, & humilitas maxime nituerunt. Dæmon quippe mutuatus linguam peccatorum, contra illam teterrimas evomuit calumnias, quibus virtus poſſit ſædari. Induſtriam ſuam impenderunt homines nequam in excogitandis obtrectationibus, & ut innocentiæ illius labem aſpergerent, omnes virtutes ejus tanquam vitia traduxerunt, & omnes præclariſſimas vitæ ejuſdem actiones tanquam conatus adverſus rempublicam vel Eccleſiam conceptos. Humilis erat, & tanta cura Cœli gratias celabat, quanta ſuperbi eadem in vulgus proferre geſtiunt. Tamen illam ſuperbiæ nomine inſimularunt, & populo perſuaſerunt, in bonis operibus illam hominum exiſtimationem, & gloriam tantummodo aucupari. Purior erat infantibus adhuc ab utero rubentibus; virtus hæc in oculis ejus emicabat, in ejus operibus, ac verbis elucebat: nihilo ſecius impii puritati illius labem inferre ſtatuerunt, & Sanctam Jeſu Chriſti Sponſam tanquam ſcortum aliquod impudiciſſimum traduxerunt. Illa Pariſios ſumma in neceſſitate defendit, & præclaram eam Civitatem ab hoſtium impetu tutata eſt; terrorem injecit in caſtra obſidentium urbem illam, ad quam liberandam plura miracula operata eſt. Tamen impudentiſſimi calumniatores accuſarunt illam, quaſi clandeſtina foveret cum hoſtibus conſilia, ut illos intra mœnia reciperet, & faveret partibus Attilæ, cujus copias deleverat, & diſſiparat conſilia. Quod autem omnem ſuperat fidem, ne ipſis quidem miraculis peperecerunt, omneſque excogitabiles artes in praxim vocarunt, ut civibus perſuaderent Sanctam illorum Patronam inſignem eſſe fagam, atque veneficam. *P. Senault ex Oratorio*.

Morbi acerbiſſimi minorē illi dolorem attulere, quam atroces calumniæ.

Sicuti deſiderium, quo flagrabat S. Genovefa pro Deo patiendi, ſaturari non poterat, acerbiſſimi quilibet corporis morbi ei ſatisfacere non valuerunt; & Deus permiſit, ut ſenſibilibus etiam ſpiritus afflictionibus probaretur. Pro nihilo habebat inopinatos eventus, qui conſiliis ſuis adverſabantur, quoquo enim modo verterent, ſemper juxta illius voluntatem vertebant, ex quo ſecundum Dei voluntatem accidebant. Sed tota illius opus erat patientia, & omni gratiæ ſubſidio ad atrociſſimas perferendas injurias, & venenata calumniæ tela ſuſtinenda. At quid excogitari poteſt, fortaſſe a me veſtrum aliquis quæret, contra illius celebritatem, quæ nunquam niſi in Charitatis operibus exercerī videbatur, cujus pietas in Gallia univerſa perſpecta erat, & explorata, & cujus miracula omnium mortalium admirationem promerebantur? Sed quam modica fides hominum æſtimationi habenda eſt! Repente tanta facta eſt mutatio judiciorum, ac voluntatum erga illam, ut non ſolum in contemptum, verum etiam in mortalium odium inciderit. Veneratio, qua ab omnibus colebatur, in apertam deſiit perſecutionem: Pietas ejus olim adeo inſignis, pro hypocryſi habita fuit, quæ oculis populi fictis præſtigiis impoſuerat; ejuſque miracula in hominum mentibus non aliud erant, quam illuſiones, & opera execrabilis magiæ. Adverſus illam eruperunt omnium Ordinum ſæcularium, & Eccleſiaſticorum odia. Non audiebantur niſi maledicta, injuriæ, imprecationes contra Genovefam innocentem, quæ prodire non audet, quæ undique impetitur, quæ irridetur, quæ digito monſtratur, & quæ ſexcentis contumeliis coinquinatur. Graviſſima illi quidem hæc fuit perſecutio; ſed quem inde fructum percepit, ut fieret Sanctior, & acceptior Deo? Quod illa non fecit ſacrificium famæ, quæ illi vita erat antiquior! Si hæc omnibus theſauris anteferenda eſt, ut docet Sapiens, audeo dicere: hac in occaſione jacturam, quam fecit, longe illi utiliorem fuiſſe ad obtinendum meritorum theſaurum coram Deo, cui illa curam reliquit illius reparandæ, donec per invictam patientiam illum imitari conabatur, qui propter amorem noſtri voluit opprobriis ſaturari. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Quamvis Genovefæ innocentia cognita fuit patientia ejus adhuc tentata fuit recentibus calumniis.

Ita probavit Deus per aliquot annos ancillæ ſuæ virtutem igne acerrimæ perſecutionis, donec S. Germanus in Angliam traducens omnes invidentes illi confudit, & Sanctæ noſtræ virtutem probavit. Non diu tamen viguit malacia. Sancta hæc virgo volens confirmare Pariſienſes contra futuri belli timorem, qui late percrebuerat, Hunnos videlicet adventare, hoc actu Charitatis ſæviſſimam in ſe perſecutionem excivit, & prope fuit, ut tanquam ſaga quædam flammis admotis comburereturr. S. Germanus erat in Italia cum Valentiniano Imperatore, cum certior factus fuit periculi, in quo Sancta illa verſabatur. Sed inani conatu eam inde eripere ſtuduit. Antiſſiodorenſis Archidiaconus, quem illuc miſit, parum abfuit, quominus & ipſe læderetur. Diſceptabatur de genere ſupplicii, quo afficienda erat S. Genovefa; multi igni comburendam eſſe ſenſerant, cum repente Deus populi corda convertit. Suavitas, humilitas, patientia, & invariabilis tranquillitas, quas illa inter adeo grave periculum tulit præ ſe, fecerunt, ut perſecutores ejus oculos aperirent. Agnoverunt ejus innocentiam, & illi ipſi ſuum damnantes furorem, poſtmodum illam ſemper venerati ſunt. *P. Croiſet in Aſceticis exercitiis*.

Curavit Deus illius innocentia offendere, & famam ejus clariorem edicere.

Tot inter calumnias, contumelias, injurias, quas Sancta Genovefa ſuſtinuit, Deus curam geſſit exiſtimationis ejus, eamque clariorem fecit Epiſcopi Antiſſiodorenſis teſtimonio, quem videtur data opera adduxiſſe, ut illius innocentiæ patrocinaretur, ejuſque calumniatoribus obſtrueret ora. Sed magnus hic vir minime affectus iis honoribus qui ultro ſibi deferebantur, nihil habuit antiquius, quam fieri certiorem de Genovefa, & obſtupeſcens, propter iniquos rumores, qui inoleverant de hac Virgine, quam ſumma proſequebatur veneratione, ſtatim ſine mora perrexit magna illa ſtipatus caterva ad locum, ubi ſancta Virgo manebat, eamque invenit genibus flexis, oculiſque lacrymarum imbre manantibus, & in viſitatione, quam Sanctus eodem temporis articulo peregit, totius ſupellectilis ejus, nonniſi pœnitentiæ inſtrumenta reperta ſunt, quæ Pariſienſium animos commoverunt, eoſque recens conciliarunt in favorem Sanctæ majori cum reverentia, & admitatione ſanctitatis ejuſdem; quod tamen non obſtitit quominus aliquanto poſt eadem perſecutio ſævierit per occaſionem obſidionis, quam Attila Lutetiam circumvallaturus minabatur. Cum enim perterriti cives ex urbe excedere cogitarent, eos Dei nomine confirmavit, eiſque celerem promiſit liberationem; accuſata fuit, quaſi cum hoſte ſecreta haberet conſilia; & ipſa arceſſiviſſet illum, qui Dei flagellum appellabatur, in hujus manus concives ſuos traditura. Falſitatem criminis palam oſtendit eventus quem prædixerat, atque tunc ejus exiſtimatio convaluit ita ut deinceps nulla re amplius potuerit labefactari. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

S. Genovefa conatur bona pro malis retribuere illis, qui crudeliter illam fuerat perſecuti.

Per exttemam patientiam S. Genovefa tandem de inimicis, ac apertiſſimis perſecutoribus ſuis egit triumphum. Quo majoribus calumniis petita fuit, eo magis de inimicis benemereri conata eſt, ut in bono malum vincerct. Quo pluribus maledictis, atque calumniis proſciſſa fuit, eo pluribus benedictionibus, & gratiarum actionibus reſpondit. Quo magis virtutes illius calumniæ tempeſtatibus tentatæ fuerunt, eo conſtantior adhæſit Deo ſuo; præter propter ſicut arbores, quæ altis in montibus patentes ventis, eorumque flatibus agitatæ per ipſas tempeſtates fortiores evadunt. Quid pro illis non audet? Qua erga illos bonitate non utitur? Quin hoc in loco repetamus omnia miracula, quæ in illorum gratiam operata eſt, nonne licet infirma hanc ſibi depoposcit provinciam omnes luſtrandi civitates coemptura fruges, quibus cives recrearet extrema fame laborantes; & dum cives adeo ingrati, quin illi grati animi officia rependant, ſtudent labem aſpergere illius exiſtimationi. Sancta Virgo tantum abeſt, quod ullam teſtetur impatientiam, ut etiam Dominum exoret, ut illorum miſereatur; adhuc iterat preces, curaſque ſuas, ut illis opi-

opituletur. Hoc Sanctæ Genovefæ exemplum nonne rubore ſuffundere debet abjectas, tepenteſque animas, quæ leviſſima laceſſitæ injuria, ac ſimplici verbo, ſine lædendi intentione prolato, ſed in ſequiorem partem detorto in iras erumpunt? hos homines, qui aſſertis neſcio quibus meritis inflati putant ſe plurimi ab omnibus faciendos eſſe, & in honore habendos? Mortales, qui rati ſe præſtantiſſimis qualitatibus præditos putant ſe ſumma affici ab illis contumelia, a quibus nullo in diſcrimine habentur? Qui acri aſſertæ injuriæ ſenſu irritati omnes aucupantur occaſiones contemnendi, affligendi, deprimendi, ac perdendi quoſcunque putant adverſari inani hujc exiſtimationi, quam habent neſcio cujus meriti, quo ſe affluenter cumulatos eſſe arbitrantur. *Auctores varii.*

Uſus eſt Sancta Genovefa Deus ad ferociſſimas terræ poteſtates humiliandas: Infamis, & barbarus Attila hujus rei fuit memorabile exemplum. Hic Princeps cædibus, & ſanguini aſſuetus ingenti præerat exercitui. Jam triſtes furoris ejuſdem effectus experta erat Germania. Jam Galliam violentus hic torrens invaſerat, & terrorem quocunque incuſſerat, & coram ſe vaſtitatem faciebat. Quis huic reſiſtere poterat? Quæ preces ſuperbi, crudeliſque gentium domitoris ſuo obſequentis ingenio furorem poterant mulcere? Numquid illum lacrymæ, & victarum gentium ſupplicationes flectent? Sed eventu intumeſcens fit magis magiſque audax, & inhumanus. Verum accedit hora, qua crudelis tyrannus iſte profligandus eſt. Titio hic fumigans adhuc, ut loquitur Iſaias, repente extinguendus eſt. Quomodo vero? lacrymis, quas Genovefa ad aras effundet. Utique lacrymæ illæ ſufficiunt, ut totum hunc exercitum deleant. In eo jam gliſcit terror, qualis olim in Holofernis exercitu a Judith proſtrato, & jam victor intumuerat, victus arripit fugam. Ita, Domine, Regnum hoc tutatus es, omneſque in illo habitantes ad Virginis unius preces confirmaſti. Tibi uni acceptam gloriam omnem referimus, verum & ancillæ tuæ Genovefæ gratias agere debemus, eique utpote quæ Galliam omnem lætitia, & honore maximo affecit, non ſine beneplacito tuo dicere poſſumus: *Tu honorificentia populi noſtri. Pater Bourdalove.*

§. Genovefa in honore habita a Regibus & poteſtatibus terræ.

Docet hiſtoria Chilpericum unum ex primis Galliæ regibus, adhuc Ethnicum Sanctam hanc in honore habuiſſe eo uſque, ut illi vellet ſemper aditum patere in regias ædes, eo uſque ut illam conſuleret, cum illa colloqueretur, ejuſque ſequeretur conſilia, eo uſque, ut latam in reos mortis ſententiam antiquaret ad Sanctæ hujus preces, cui gratum omnino negare non potuit. Quanta vero illius fuerit auctoritas apud Clodoveum, nemo ignorat; patet quantum ipſa contulerit ad infidelis hujus Principis totiuſque Regni converſionem: quænam illa de tanti momenti re cum Sancta Clothilde habuerit colloquia; quæ illi propoſuerit media ad maximi hujus conſilii complementum, & quinam ſucceſſus votis ejus reſponderit, & opus adeo ſanctum feliciſſime conſummaverit. Omni deinceps ſequentium ætatum decurſu viſi ſunt ipſi Galliarum Reges ad Genovefæ tumulum accedere, regiamque majeſtatem ſeponere, ut flectant genua coram Sancta Virgine, ut illi obſequium exhibeant, ut illi ſuas offerant preces, illius poteſtatem confiteantur, eique tandem quodammodo ſuas coronas, regnumque ipſum ſubjiciant. Ullus ne eſt clarior noſtræ Religionis triumphus? Regum, Principumque ſepulcra prætereuntium pedibus quotidie teruntur, tumulus autem ovium cuſtodis tanquam ſacrarium quoddam colitur: quorſum iſtuc? Inde, quia juxta beatiſſimæ Virginis vaticinium Deus vult Sanctæ hujus noſtræ humilitatem coronare: *Et exaltavit humiles. P. Bourdalove.*

A Præſulibus honoratur.

Quem animo ſibi Sanctæ hujus Cuſtodis ovium conceptum effinxit S. Germanus, & quibus verbis illum ſignificavit? Divino actus Spiritu in Angliam iter inſtituerat ad hæreſim illic triumphantem impugnandam, & reſtituendam Jeſu Chriſti gratiam contra errores Pelagii; ſed qua fuit affectus lætitia eo quod ſecus viam invenerat Genovefam adhuc puellam? Quanam percitus admiratione vidit in tenella ætate rationem ita adultam? Studia adeo ſancta? adeo ſolidam pietatem? Quibus encomiis eam cumulavit? Quin ratio haberetur generis obſcuri, & paupertatis familiæ gratulatus eſt cum Sanctæ hujus genitoribus, eique in poſterum ſummam felicitatem portendit. Illam conſideravit, eamque tanquam pretioſiſſimum, quam Gallia poſſideret, theſaurum etiam, atque etiam commendavit. Quid non teſtatus eſt de hac puella glorioſus Treenſis Epiſcopus S. Lupus? Quos de illa ſenſus fovit Venerabilis Rhemenſis Archiepiſcopus S. Remigius, quin plurimos memorem animarum Paſtores, qui illius monita recipiebant, & ejuſdem conſiliis proficiebant? *Idem.*

Colitur a Sanctis.

Non eſt cur hic referam plura argumenta obſervantiæ, quam noſtræ huic ovium cuſtodi præſtabant eminentes Sanctitate viri; memorabile neque prætermittendum eſt illud celeberrimi Simeonis Styliræ. Vir iſte prorſus Cæleſtis, ſæculi ſui miraculum per auſteritatem pœnitentiæ ſuæ ex ultimo Oriente, & de illius columnæ culmine, ubi divinis vacabat orationibus, ut certior factus eſt fulgidi luminis, quod in Occidente clarebat, cognovit meritum, & Sanctitatem Genovefæ; ad illam ſuas cogitationes convertit, eamque in ſpiritu ſalutavit, & invocavit. Hæc denique apud omnes populos habita fuit in honore.

Ab omnibus populis colitur.

Quo enim nominis ejuſdem fama non pervaſit; & quibus in terris orbis Chriſtiani de eadem ſermo non habitus fuit? Nondum adierat poſſeſſionem hujus immortalis gloriæ, qua in beatorum ſocietate perfruitur, cum publica populorum fama illam Sanctorum faſtis adſcripſit, beatificavit, ejuſque celebravit apotheoſim; Fidelium judicio prævertente Eccleſiæ judicium; & eventus probavit vocem populi jam tunc Dei vocem fuiſſe. Ideo videmus univerſas Eccleſiæ ſocietates coire, & auguſtiſſimos convenire cœtus, populum univerſum, nobiles ſimul, & ignobiles confluere, & quemque pro virili parte præſentia ſua nonnihil conferre ad pompam harum cæremoniarum, feſtorumque dierum, ut majori honore Sanctam hanc proſequantur, quibus tanquam Arca Domini incomparabili cum apparatu pretioſæ illius circumferuntur exuviæ, quarum virtutem majores noſtri toties experti ſunt, & nos quoque ſingulis diebus experimur. Cultus hic univerſalis eſt: non deſunt enim devotiones peculiares, & propriæ quarumdam animarum, quorumdam ſtatuum, & communitatum; ſed hæc devotio eſt ſexuum omnium, omnium ætatum, & conditionum. Cultus hic vetuſtiſſimus eſt, & conſtantiſſimus omnium, qui fuerunt in Gallia. Cultus omnis tandem tepet, ac remittitur, & veterum fervor minuitur prout eorum augetur poſteritas; ſed pro certo affirmare poſſumus Sanctæ hujus Virginis cultum augeri in dies potius quam minui. *Idem.*

Miracula S. Genovefæ poſt mortem; & cultus qui illi adhibetur.

Si minus Sanctæ Genovefæ corpus poſt mortem prophetavit, ſicuti de nonnullis Prophetis narrant Scripturæ, non ideo tamen minus præſtitit. Nonne inde manavit virtus illi ſimilis, quæ ex Jeſu Chriſti corpore egreſſa ægros omnes ſanabat? Lintea, quæ Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli tumulo tangenda admovebantur, morbos curabant, quaſi arida illa oſſa adhuc eſſent animata. Nonne ſingulis diebus videtur populi confluentis concurſus laudes Sanctæ Virginis noſtræ celebrare propter curationes, quas illa obtinuit a Deo, eo quod vel linteis ſuis ejus reliquias tetigerunt, vel quod panes in illius nomine benedictos cum fide comederunt? Illud vero magis admirabile eſt, Sanctam noſtram nunquam uſam fuiſſe dono miraculorum pro ſe; quandoquidem omnem fere vitæ ſuæ curſum peregit in aſſiduis infirmitatibus, in quibus tantum abeſt, ut aliquod ſibi ſolatium procuraverit, ut immo iiſdem ſe afflictari gauderet, quod illi perſuaſum erat de eo; quod Gentium Apoſtolus inquit. *Virtus in infirmitate perficitur. Pater Bourdalove.*

Ad Corinth. c. 12.

Gloria, & nomen S. Genovefæ in futura ſecula ſe extendet. *Pſalm 111. Pſalm. 9.*

In Sancta hac Virgine adimpletum jam videmus illud Spiritus Sancti Verbum: *In memoria æterna erit juſtus*, cum e contra peccatorum peribit, vel *periit memoria*. Tot viri principes ſua magnitudine, ac fortuna tumentes requirebantur, colebantur, metuebantur in terra, dum Genovefa id unum cogitabat, quomodo ſerviret Deo, illi ſuæ tantum gloriæ vacabant; hæc vero unice Dei gloriam quærebat. Illi in mundo æternitati nomen ſuum commendare ſtudebant; hæc in dies ſingulos magis Dei nomen celebrare contendebat. Quid contigit? Tota illorum evanuit magnitudo; eorum perit fortuna; ipſi evanuerunt, & mors illos ab hominum oculis eripiens de noſtra memoria delevit. Ubinam de illis verba fiunt? de quorum aliquo ſi habetur ſermo, num habetur, ut illorum feſti dies celebrentur? num ut eorum laudes publice decantentur? num ut eorum ſubſidium apud Deum impetretur? Numquid ut eorum tumulis honos adhibeatur? Eorum inquam deſertis, & derelictis tumulis, ex quibus nonniſi lugubrem, triſtemque inferimus imaginem humanæ fragilitatis; tumulis, ubi ſæpe quin cogitemus, quinam umbris eorum tegantur, & quoſnam in tenebris ſuis ſepultos capiant, intuemur ſolum ornatus, quibus circumdati ſunt, & qui noſtros afficiunt oculos, & artis induſtriam in illis elaborandis admiramur. Ecce, o Sæculi Magnates, quo tandem cedet tota hæc magnitudo, & gloria, quam tantopere conſectamini, & pro qua creditis vobis omnia, ipſam quoque animam eſſe ſacrificandam. Sed Sanctorum gloria, potiſſimum vero S. Genovefæ gloria eſt ſolida, & in omnem æternitatem duratura. Quin illa in mundo clareſcere quæſierit, ibi notior eſt majorique in honore habita, quam omnes ſimul terrarum domitores, atque Monarchæ. *Idem.*

Ex ea gloria quam recipit in terra eam debemus conjicere, quam poſſideat in Cælo.

Quænam eſſe debet incomparabilis Genovefæ gloria in Cælis, cum tantam eidem in terris reges, & Mundi principes illi contulerint? Cum oſſa illius, pretioſæque corporis ejuſdem reliquiæ adhuc eadem operentur miracula, quæ, dum viveret, operabantur? Cum cineres illius animati ſunt adhuc ſpiritu Dei per eam poteſtatem quam habent in viventes? Cum denique hæ Sanctæ reliquiæ adeo frequenter Pariſiis deferantur in triumphum, videntur adhuc exercere potentiam ſuam in tempora, atque temporum inclementiam, & pro populorum neceſſitatibus imbres, ſerenoſque dies largiri, & eſſe tanquam generalem omnibus hujus vitæ caſibus medicinam? Et ſane florentiſſimi hujus Regni Metropolis

quot

quot inde recepit subsidia? Num alia afferenda sunt argumenta, quam subita, ac miraculosa ignoti morbi curatio, quæ ultra centum mortalium millia abstulit, qui adeo ardenti igne incendebantur, ut hoc morbo afflictati appellarentur ardentes? Sed statim ac Sanctæ hæ reliquiæ eo collatæ fuerunt, ubi malum violentius grassabatur, repente cessavit morbus, quin aliquod deinceps illius vestigium supereſſet. Denique ad cumulum gloriæ, qua Deus Sanctam hanc vult prosequi, dum ipsum fere ignoratur nomen tot Reginarum, Principumque mulierum, quæ in Gallia floruerunt, in civitatum ejusdem Regni principe asservantur pauperis ovium custodis ossa, & cineres; auro nectuntur, pretiosisque lapillis ornantur, & a Regibus ipsis in genua procumbentibus adorantur. Numquid par honor maximis terrarum Monarchis uspiam fuit habitum? hæc pars est gloriæ, quam procurat Deus Sanctis suis, qui in terris pro virili parte adnisi sunt Deum pauperem, ac humiliatum imitari: *Quæ divitiæ gloriæ, & hæreditatis ejus in sanctis*. Igitur ad insignis Sanctæ hujus exemplum conemur has virtutum, ac meritorum divitias acquirere, ad quas congerendas tantopere adlaboravit, certi futurum ut aliquando justu Dei eadem gloria perfruamur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

PRO S. ANTONII ABBATIS PANEGYRICO. MONITUM.

Escio quo errore contigerit, ut in numero Institutorum Ordinum præmisertim S. Antonium secundum ordinem, quem mihi superiori volumine proposueram. Sed reor, non futurum extra locum, ubi illum referam inter Sanctos charactéris prorsus singularis, qui mihi religendi fuerunt, cum loqui nequeam de omnibus. Cum vero nomen ejus in Ecclesia celeberrimum sit, plurimi Concionatores facere nequeunt, quominus die ejusdem festo Panegyricum in ejus laudem efficiant.

Scio equidem quantumvis illustre sit nomen, & meritum hujusce Sancti Antonii, ordinem ab illo institutum, & qui ex illius nomine nuncupatur, non admodum in Galliam sese effudisse ut in Ægyptum, aliasque regiones, quærit enim deserta, & solitudines secundum spiritum Institutoris sui; quod tamen non prohibet, quominus Sancti hujus elogium satis commune sit, in operibus Sanctorum Patrum, & Concionatorum tum veterum, cum recentiorum.

Supellex, quam hoc in argumento collegi, pertinet ad tres status illos in quibus vixit, eaque inservire potest pro Panegyricis Sanctorum, qui eandem vitæ rationem professi sunt, videlicet Solitariorum, Regularium in communitate viventium, qui cœnobitæ vocantur, & eorum, qui zelo succensi sunt pro Sanctuarii dignitate, vel qui Ecclesiam contra Hæreticos, & Infideles propugnant. Ad hoc igitur pertractandum argumentum credo non solum quærendum esse quod illi commune est cum aliis, qui idem vitæ genus sunt amplexi, verum etiam quod illi proprium est, & particulare; ad quod virtutes, & actiones Sancti hujus, quas in his collectaneis congessimus, poterunt non modice inservire.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ad Coloss. 3.

I. MOri, & vivere cum Jesu Christo; mundo mori, & in Deo vivere, hæc ex Apostoli sententia est omnium Fidelium professio: cum enim baptizati fuerint in morte, & Sanguine Filii Dei, æquum est, ut ejusdem spiritu repleantur, & vivant vitam non abnormem a vita illius, alienam a sensibus, expeditam ab animi cupiditatibus, prorsus puram, atque cælestem. Sed hæc peculiaris est eorum Fidelium vocatio, qui non ad sanctitatem solum, verum etiam, ut S. Bernardus ait, ad Sanctitatis perfectionem anhelantes procul a corruptione, & mundi commercio viventes semet sepelierunt in tumulis, non alium prospectum habentes, quam Cælum, non aliud exercitium, quam Orationem, non aliam spem, quam salutem, non alium actionum suarum testem quam Deum, qui earum objectum erat, & finis, & qui earumdem futurus erat remuneratio. Talis fuit S. Antonius, cujus hodie laudes celebraturus sum. Homo hic, quem Deus, ut ita dicam, ex aliorum mortalium massa eduxit, & quem annos fere centum peculiari gratia in faciei suæ secreto abscondit, ut loquitur Propheta, ut illum a sæculi nequitia præservaret, & secuturis ætatibus innocentis pœnitentiæ præberet exemplum: Hic Angelus humana indutus carne, qui licet mortalis, invisibilis quodammodo factus, precibus suis protegebat imperia, fidei suæ puritate sustinuit Ecclesiam, Nomen Jesu Christi confessus est, vitæ suæ passionibus atque austeritatibus humanam confudit Sapientiam Evangelica simplicitate, hæreticos profligavit vi verbi sui, & ipsa silentii sui virtute, dæmones domuit, & Cælioope, atque animi sui constantia de inferno triumphavit; & cujus vita superans captum, & communia rationis lumina, fuit miraculum gratiæ Jesu Christi, & argumentum veritatis Religionis, ut loquitur S. Athanasius. Vir denique, qui sese super omnia fluxa, & visibilia attollens, & vitam suam abscondens in Deo, juxta verbum Apostoli, non vixit, nisi ut illum adoraret, non locutus est, nisi ut laudibus illum ornaret, non concupivit, nisi ut illum possideret; non labores sustinuit, nisi ut illum promereretur. Hæc me impellit causa, ut vobis hodie spiritualem hanc S. Antonii mortem ostendam in omnimoda a Mundo secessione, spiritualem hanc, cælestemque S. Antonii vitam in secessus sui exercitationibus.

Psalm. 30.

1. Antonius mundo mortuus cum Jesu Christo in deserto.

2. Antonius vivens in Deo in deserto, sicut Jesus Christus. Hoc hujus Sermonis argumentum est. *Flechier.*

II. *Quid existis in desertum videre?* Matth. 11. Numquid hoc, Christiani Auditores, magnificum non est elogium, quo Veritas ipsa prosecuta est illius meritum, quem jam hominum maximum appellaverat? Verum mihi ne succensebitis si hodierna die iisdem non solum verbis, sed sensibus utar, eademque partitione, quæ componit hoc elogium admirabile primi incolæ desertorum novæ legis, ut inde Panegyricam orationem texam admirabilis S. Antonii, cujus hodierna die memoriam recolitis? Similitudo inter utrumque, & utriusque hujus solitarii Sanctitas ita par, & æqualis mihi visa est, ut secundi characterem vobis repræsentare non posse videar, nisi per imaginem prioris, quam nobis Dei Filius reliquit. Quamobrem illud ipsum a vobis quæro, quod Salvator quæsivit a populo Judæorum, & a vobis scisciter,

1. Quid cogitatis cum intuemini in deserto S. Antonium cum dæmone conferentem manus, & gravissimis tentationibus lacessitum? Putatisne hanc esse arundinem vento agitatam, quæ flectitur, vel violentis flatibus convellitur, an columnam immotam, quæ validissimis furoribus inconcussa resistit? Hoc primum erit Sermonis punctum.

2. Rursus a vobis quæro, ut magis urgeam quid vos in hoc deserto inventuros esse existimatis? hominem mollibus vestitum, mollemque vitam agentem in luxu, in voluptatibus, & inter delicias mensæ æque opiparæ, ac delicatæ? *Hominem mollibus vestitum?* Non ita, sed hominem cilicio tectum, viventem adhuc & in sepulcro inclusum, & exercentem pœnitentiam, quæ cum illa S. Joannis Baptistæ potest comparari.

3. Quæro tandem ex vobis, quid sentiatis de hoc homine, qui nonnisi cum Deo conversatur, qui charissimum hoc non interpellat commercium, nisi ut suos fratres erudiat, & Arianos Hæreticos confundat, qui persequuntur Ecclesiam, & ut Martyribus animum addat, cum sibi honor Martyrii negetur; & vobis respondeo, Virum hunc Prophetam esse, & plusquam Prophetam, quandoquidem & Prophetæ munus obiit, & aliquid hoc majus præstitit. Hæc mihi viri hujus proponenda vo-

bis est tabula. Hæc brevis tantum deformatio operis est, sed illum melius agnoscet, ubi tria hæc vobis exposuero lineamenta, quæ perfectissima vobis referent ejus imaginem in triplici parte Sermonis mei. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

III. *Tanquam prodigium factus sum multis.* Psalm. 70. inter omnes Sanctos, qui præter ordinem sanctificati fuerunt, S. Antonius jure suo dicere potest: *Tanquam prodigium factus sum multis*; certum est enim,

1. Ipsum victorem fuisse de sua imbecillitate, omnibusque dæmonis viribus.

2. Victorem fuisse sine prælio de Tyrannorum furore.

3. In humili insciția sua victorem fuisse de superba Ethnicorum, hæreticorumque scientia. Hæ tres erunt elogii ipsius partes. *P. Texier.*

IV. *Ductus est in desertum a Spiritu.* Matth. 4. Quinam conceptus hoc amplior animo fingi potest de S. Antonio in vasta solitudine sepulto, quo illum Dei Spiritus duxit? Cogitate de hoc Sancto viro quodcunque vobis libitum fuerit: considerate eum velut alterum Joannem Baptistam pœnitentiam simul agentem, & prædicantem; velut Eliam in persona Arianorum exterminantem Pseudoprophetas Baal, velut Elisæum secum ferentem Spiritum æque ac pallium Venerabilis Pauli; velut Moysem de Ægypto populum electum educentem, eumque cœlesti pabulo nutrientem in deserto; ego vero, qui æque ac vos tanta hæc gratiæ prodigia admiror, malo eadem in ipsorum fonte considerare, vobisque dicere has totidem esse diversas impressiones Spiritus Dei, qui illum adduxit in desertum, ut olim deduxerat Jesum Christum, ejusdem Dominum & magistrum; *Ductus est in desertum a Spiritu.* Antonius multis, iisque validis rationibus actus in mundo permansurus erat, cui non paucis vinculis adhærebat; sed Sapientiæ Spiritu illustratus, consilio ejusdem in solitudinem se recepit. Antonius hoc in deserto integris dæmonum legionibus lacessitus gravissima sustinere debuit certamina; sed hoc fortitudinis spiritu animatus de terribilibus hisce adversariis triumphum reportavit. Antonius fidelis, ac strenuus Ecclesiæ Filius, dolore tabescebat videns illam ab Arianis scindi, ac perturbari: Sed plenus hoc Spiritu zeli egressus est de deserto suo, ut illam propugnaret, eique pacem restituit. Hic verus est Magni hujus Sancti character, cujus elogium paucis me complexum fuisse arbitrabor, si illum vobis exhibuero:

1. Tanquam patrem Eremitarum, quoniam illos in desertum adducit divini Verbi pane nutriendos.

2. Tanquam terrorem dæmonum, quoniam per ipsam imbecillitatem suam Dei spiritu suffultam de universo illorum furore triumphat.

3. Tanquam Ecclesiæ clypeum, quippe cum humili ac simplici ignorantia sua evertit, ac dissipat omnia subtilia argumenta superborum hæreticorum, qui eandem evertere conabantur. *Ex elogiis historicis.*

V. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. Hæc audiens verba, eaque sibi ad litteræ apicem sibi applicans consilium iniit sequendi ad litteram consilium hoc Evangelicum, & sine mora dixit mundo extremum vale, abjectisque etiam omnibus mundi affectibus, & desideriis, in saltus, ac deserta magis inhospitalia fecessit. Generosa hac, & integra rerum omnium abrenuntiatione erudivit æque omnes, & qui in sæculi commercio vivunt, & qui ab eodem recedunt.

1. Mundum relinquentes docuit Evangelicæ abnegationis perfectionem.

2. In mundo remanentes docuit hanc eandem abnegationem, & quomodo sit exercenda. *In specimine Orationum Panegyricarum.*

VI. *Ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Considerari potest S. Antonius tanquam plenus eodem spirito, qui Jesum Christum in desertum deduxit, & ostendere cur illuc recesserit, quomodo ibi vixerit, quæ causa illum impulerit, ut inde ad tempus egrederetur.

1. Cur illuc fecesserit? per spiritum Sapientiæ Sanctus hic Mundum reliquit, ut liberius vacaret Deo in solitudine, & ut a creaturis abesset; ibi vero Spiritus Dei gustandas illi præbuit consolationes, quibus anima fruitur, cum reliquit omnia, & seipsam etiam reliquit, ut uni Deo adhæreret.

2. Quomodo ibi vixit? Donec S. Antonius in deserto permansit, Deus illi dedit hunc fortitudinis spiritum, qui illum fecit dæmonum terrorem, cum illos vicerit in tentationibus maxime vehementibus, pertinacibus, & universalibus, Dæmonibus enim pluries ejectis, & confusis, omnibusque eorum artibus superatis, Sanctus hic vir tandem illam assecutus est requiem, ad quam inquirendam illuc recesserat.

3. Qua de causa solitudinem reliquerit? Zeli Spiritus illum in Mundum revocavit, ut Arianos profligaret, ut fallacem eorum doctrinam impugnaret, & dilueret mendacium, quod illi venditabant, hunc videlicet Sanctum virum partibus ipsorum favere, ut sese opponeret furori Cæsaris, qui Fideles cogebat, ut idolis thus adolerent, ut eosdem fideles ad Martyrium alacri animo subeundum inflammaret, sese eidem objiciens, nihilque ardentius cupiens, quam pro Jesu Christi causa suum cruorem effundere. Hinc innotescit quænam fuerit intentio Sancti Antonii, ubi sæculum reliquit: quomodo vixerit in deserto, & quare illud ad tempus reliquerit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, ex quibus reperiri potest copia rerum ad has Sermonum structuras exornandas, & Auctores, qui de hoc argumento pertractant.

SAnctus Athanasius scripsit vitam S. Antonii. Hæc eadem vita versa fuit in latinum ab Evagrio Episcopo Antiocheno, quem S. Hieronymus appellat *Atris*, & *ferventis ingenii virum.*

Omnes illi, qui de Monastica, vel solitaria vita scripserunt, hanc tribuunt S. Antonio laudem hunc fuisse vitæ hujus prototypum, ac viventem ejusdem imaginem.

S. Chrysostomus in secunda exhortatione in secundum S. Matthæi caput populo suo proponit exemplum Eremitarum Ægypti, præsertim vero S. Antonii, cujus præclarum habet elogium.

S. Hieronymus *Epist. 22. ad Eustochium* latius disserit de Sancti hujus laudibus, & inter cætera ait, S. Paulum Eremitam haberi posse vitæ Eremiticæ auctorem; sed S. Antonium illam celebrem effecisse & discipulorum multitudine, qui hoc vitæ genus amplexi sunt, & locorum, ubi primus illam instituit.

S. Gregorius Nazianzenus, Palladius, S. Ephrem, Rufinus, Antiquus Auctor vitæ Sancti Pachomii; S. Joannes Damascenus citans vitam, quam S. Athanasius elucubratus est, perhibent testimonium sanctitati ejusdem S. Antonii.

Baronius *ad annum Christi 256.* Bollandus, Surius, Ribadeneira deinceps Sancti hujus vitam scripserunt. Gerson quatuor edidit Sermones hujus argumenti, quin loquamur de plurimis Auctoribus, qui ejusdem elogium concinnarunt, & quos apud Bollandum invenies.

Abbas Trappensis in primo tomo Vitæ Monasticæ. — *Asterici eos de hoc loquuntur.*

P. Suffren in tomo secundo Anni Christiani.

P. Novet in tomo de vita Jesu in Sanctis suis.

P. Croiset in Ascetics exercitationibus pro mense Januario.

Molinier tomo 2. Sermonum in festos Sanctorum dies. — *Concionatoris recentes.*

P. Texier Tomo 1. Panegyricorum.

Biroat tomo 1. Panegyricorum.

Inter Panegyricos Flechier unus adest pulcherrimus hujus argumenti.

In elogiis Sanctorum unum pariter invenies.

P. Duneau in Panegyricorum tomo 2.

P. Senault Oratorii tomo primo tertiæ editionis.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. tomo primo Panegyricorum.

In Panegyricorum Specimine tomo primo tres adsunt Synopses, seu tria Compendia hujus argumenti.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Biblicæ huic Argumento.

Loci, qui huic argumento convenire possunt.

Circite quia mirificavit Deus Sanctum suum. Psal. 4.

Mirabilis Deus in Sanctis suis. Psalm. 67.

Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & glorificavit eum in conspectu Regum, Sapient. 45.

In fide, & lenitate ipsius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Ibidem.

Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ; Ibidem.

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Psal. 54.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Psalm. 93.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sapient. 10.

Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Isaiæ 35.

Et erit ibi semita, & via; & via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis via directa, ita ut stulti non errent per eam. Ibidem.

Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Ibidem.

Deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ angusta erunt præ habitatoribus. Ibidem.

Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitati tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem. Ibidem.

Ductus est a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo. Matth. 4.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, plusquam Prophetam. Matth. 3.

Fra-

Digitized by Google

Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. 1. Petr. 5.

Tentatus per omnia absque peccato. Ad Hebr. 4.

Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Matth. 10.

Exempla, & figuræ Scripturarum hujus argumenti.

Qui primi eremiticam vitam professi sint?

SUnt, qui credunt, Eliam, Elisæum, & Rechabitas omnium primos eremiticam vitam fuisse professos; sed veritati magis consonum videtur, illos fuisse figuras tantum Eremitarum, & Deum qui semper in veteri testamento præbere voluit signa quædam eorum, quæ in novo erant eventura, in exiguo illo incomparabilium virorum numero, quibus dignus non erat mundus, designasse hanc multitudinem Sanctorum Eremitarum, qui futuri erant gloria, sanctificatio, & præsidium Ecclesiæ. Non aliud sentiebant SS. Chrysostomus, & Hieronymus, cum de monasticæ vitæ origine locuti, ad Prophetarum usque tempora ascenderunt. Qui illa quæsiverunt in vita, quam S. Joannes Baptista duxit in deserto, & in Apostolorum conversatione, ut Cassianus, censuerunt, abnegationem, paupertatem, pœnitentiam, sanctitatem, & eorum hominum prorsus divinorum perfectionem ad Eremitas migrasse, & horum partem factam fuisse; & hos in re hac illorum esse filios, successores, atque discipulos. Scripserunt alii, Christianos, qui in ipsis Ecclesiæ incunabulis prope Alexandriam coibant, & ab aliis seorsim vivebant in paupertate, perfectaque bonorum omnium communitate, initium fecisse vitæ Monasticæ. Sed ne in illis immoremur, qui potius aliquas habuere qualitates, consuetudines, & austeritates cum Solitariis communes, quam status eorum veritatem, constat Sanctum Paulum Anachoretam primum esse post Evangelium, qui amplexus fuerit vitam Eremiticam, & sese abdiderit in Thebaidis inferioris desertum, ibi secuturus, & inventurus Jesum Christum in omnimoda separatione ab hominibus, & in nuditate perfecta. S. Antonius, cui Deus illum tradidit cognoscendum, illud ipsum vitæ genus in Ægypto servavit, quamvis elegerit sibi solitudinem minus inaccessam, & se videri passus fuerit ab inquirentibus, & ope sua indigentibus seu pro morborum curatione, seu pro animarum suarum sanctificatione. Idem S. Antonius cum seipsum in deserto sanctificasset longa laborum, annorumque serie, illud relinquere coactus fuit, ut præesset regimini complurium, qui sese illi subjecerunt tanquam superiori, & Patri; & frequentavit Ægyptum cellulis, atque cœnobiis, & tantum extitisse eorum pœnitentium ardorem, possumus affirmare, ut brevi deserta omnia magno Eremitarum numero fuerint repleta, ita ut deinceps, & intra breve tempus ad instar urbium frequentarentur.

S. Hieron. in vita S. Pauli.

S. Athanas. in vita S. Antonii.

Verum est S. Antonium cum S. Paulo Thebano principem fuisse Anachoretarum, ut Cassianus inquit in collatione Abbatis Pinamonis. Sed magnus iste Sanctus fuit primus Institutor vitæ cœnobiticæ, & Religiosæ, quæ quodammodo adversatur Eremiticæ; Equidem scio ante S. Antonium fuisse Anachoretas, & Religiosos in communi viventes sub alicujus Abbatis regimine; sed neutrum hoc vitæ genus ad perfectionem suam pervenit nisi per Sanctum virum hunc, qui si minus est primus Institutor, saltem fuit Instaurator, Moderator, Promotor, & a S. Antonio didicerunt, qui secuti sunt eam praxim quam deinceps servarunt. S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium hæc habet: *Eorum qui invium penetrarunt solitudinem, Auctor Paulus, illustratur Antonius, princeps Joannes Baptista*: Cassianus, aliique Auctores Cœnobitarum originem in Apostolorum tempus rejiciunt, cum fideles in communi vivebant, nihil habentes proprium; sed ut verius loquamur, licet illi venderent prædia sua, nihilque inde sibi reservarent, non cohabitabant; singuli domi suæ manebant, ac illis suppeditabatur quidquid ipsis opus erat per eos, qui communitatis erant administratores.

S. Antonius auctor fuit vitæ Cœnobiticæ Regularium in communi viventium.

Eremitæ qui eremos reliquerunt ut Ecclesiæ tot persecutionibus agitatæ ferrent opem.

Pluries visi sunt sancti in penitioribus desertorum latebris abditi, Jesu Christi charitate succensi, pugnare contra Hæreticos, de Tyrannorum manu gladios excutere, dissidentes spiritus conciliare, pertinaces prosternere, nutantes confirmare, ac tandem Catholicæ Religioni amissam pacem restituere. Quid non ausi sunt Simeones, ac Danieles Stylitæ dum gravissimis necessitatibus urgerentur Ecclesia? Nonne descenderunt de columnis suis alter quidem, ut ab Imperatore antiquaretur edictum, quo Fideles jubebantur Judæorum Synagogas restituere; alter vero; ut sese opponeret crudeli Tyranno Basilisco, qui volebat quodammodo abrogare veram fidem in Chalcedonensis Concilii Canonibus enunciatam? Quid non fecerunt sancti illi Eremitæ qui certiores facti Antiochiam prope dirutum iri quorumdam recentium Judicum concussionibus, exierunt ex desertis suis, ut tot, tantisque malis promptissima quæque opponerent remedia. Quid non ait Theodoretus de celeberrimis illis Aphraatibus, atque tot aliis Eremitis, qui Arianorum furori, ac Imperatoris Valentis eosdem protegentis sævitiæ obstiterunt? Verum sicut ubi de bono agitur, vel malo, semper ad eos usque ascenditur, quorum alii vestigia legerunt; Sancto Antonio accepta referenda est gloria, quod primus inter alios egressus fuerit ab eremo ad propugnandam Ecclesiam, quapropter additum illi fuit nomen columnæ, vel clypei fidei. Verum est igitur dicere Eremitas, ac Monachos semper de Ecclesia benemeritos fuisse, quamvis per invidiam, aut errorem vulgi dicantur, illi sibi tantum utiles esse.

S. Antonius cum S. Job comparatus.

Considerari potest Dei non vulgaris Providentia in S. Antonium, cum ille dæmoniis facultatem permisit illum vehementissimis tentationibus aggrediendi. Hujus ejusdem providentiæ singulare habemus exemplum in Sancto Job. Petiit a Deo Satanas, ut sibi liceret tentare Job; Deus illi fecit facultatem, ita tamen ut ejusdem parceret vitæ. Sed quem ille furorem in illius bona non exercuit? Evertit domos, fruges incendit; ejus filios sub ruina domus oppressit; armenta in prædam alienigenis tradidit, totum ejus corpus a vertice capitis ad pedes ulceribus operuit: qua re illum reddidit non aliis tantum, & propinquioribus suis, sed sibi etiam metipsi non ferendum. Sed inter tentationes Job, & Antonii hoc interest, quod Job ab uno tantum dæmone lacessitur, Antonius vero ab integra dæmonum legione: Dæmon se solum ostendit Job: Antonio vero sese ostendit sub multitudine larvarum, ursorum, tygridum, leonum, ac belluarum diversi generis. Sed frustra Satanas Antonio multiplicat inimicos; Sanctus vir contra fit fortior, & magis invictus, & animatus spiritu fortitudinis, quam illi communicavit Deus, quamobrem infernus totus ex hoc certamine redit alto rubore suffusus.

S. Antonius perfecte imitatus est Filium Dei.

S. Antonius perfecte Salvatorem imitatus est, ac eximium se præbuit divini hujus prototypi exemplum. Nullus est in mundo locus, ubi Dei Filius plura operatus fuerit miracula, quam in deserto. Illuc a Sancto Spiritu ductus fuit, ut dæmones vinceret, & de crudeli eorum servitute mortales eriperet. Ibi quadraginta dies jejunavit, & abstinentia adeo austera, & diuturna primas injecit suspiciones divinitatis spiritui nequam. *Ut vidit illum jejunantem suspicatus est esse Deum.* Ibi Angeli ei ministrarunt, ibi honores suis præliis debitos recepit. Ex eo temporis momento solitudo semper accepta fuit Jesu Christo. Illuc concessit cum Patre suo per Orationem collocuturus: *Erat pernoctans in oratione.* Illuc semet transfiguravit coram Apostolis suis, eisque manifesta præbuit specimina ejus gloriæ quam Beatis suis præparabat. Ibi maxima sua miracula operatus est; ter panem ibi multiplicavit, ut pasceret populos, qui illum fuerant subsecuti, & per hoc prodigium sese illi præparavit quod in fidelium cibum erat facturus. S. Antonius hæc omnia miracula imitatus est, & in solitudine fecit, quidquid Jesus Christus fecerat in sui Divinitatem suam probaturus. Nam illic bellum intulit dæmoniis, fregit potentes, ac superbos hos spiritus, eosque coegit, ut suam confiteremur imbecillitatem, quoniam, licet conjungerent vires, uni homini resistere non valuerunt: *Si persistatis in me haberetis, unus vestrum fortis esset.* Ibi sexaginta jejunavit annos, & parum cibi & raro sumens illis, a quibus videbatur, dubitationem injecit utrum purus esset spiritus, an homo. Angeli centies cælo dilapsi sunt testes futuri præliorum, atque triumphorum illius, & secum gratulati de victoriis quas ab hoste referebat, sæpe illi meliorem triumphi ejusdem partem constituebant. Nequaquam seipsum transfiguravit, ut olim Salvator in Thabor; apparuit saltem æque coruscans ac Moyses, & radii, qui ex illius facie emicabant, sæpe & reverentiam filiis suis, & inimicis terrorem immiserunt. Illic tot operatus est prodigia, quot infirmi, vel mortui eidem oblati fuerunt. Solitudo fuit theatrum potentiæ suæ, & Israelitarum Liberator nequaquam plura miracula operatus est, ut Pharaonis pertinaciam frangeret, quam Sanctus noster, ut dæmonum superbiam attereret.

S. Chrysost. Serm. 12. in Lucam. Luc. 6.

In ejus vita.

S. Antonius S. Joanni Baptistæ comparatus. Matth. 11.

De Sancto Antonio dici posset, quod de glorioso præcursore suo Dei Filius dixit; ejus tantam esse abstinentiam, ut neque manducaret, neque biberet: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens*: Non quod nulla penitus esca uteretur, sed quia secundum humanum loquendi modum dicimus aliquem non comedere, cum ita raro, & ita parum comedit, ut instar miraculi videatur, si vivat; vel secundum Patris cujusdam animadversionem: cum ea, quibus ille vescitur, non sint humanæ alimoniæ destinata, qualia erant, quibus Joannes Baptista vescebatur. Hoc de S. Antonio dici potest: jejunium ejus erat perpetuum; erat homo non manducans, neque bibens, quippe agrestes fructus, herbæ omni sapore carentes, panis frusta aqua infusa, ut mollia fierent ad hoc ut illis uti posset, hominis alimento non sufficiunt: quod de illius quoque indumenti genere dici potest quippe cilicium nequaquam inventum & adhibitum fuit ad hominem tegendum, neque illum a temporum inclementia tuendum, sed ad pœnitentiam faciendam. Ita arborum cavitates, & scissuræ petrarum belluarum sunt cubilia, non hominum habitatio, ita ut cum a vobis quæsiero quid videritis in hisce solitudinibus, in atris his specubus, & in montibus inaccessis, vos mihi respondere possitis eo in sensu, quem Dei Filius intelligebat loquens de S. Joanne Baptista; vos vidisse hominem, qui per pœnitentiæ miraculum neque bibit,

bibit, neque manducat, qui neque domum habet, neque vestimentum, & quem ignoratis utrum homo sit, an Angelus, videntes illum ita supra omnes naturæ necessitates positum. Dicetis quidem hunc hominem esse, quia hominis figuram gerit; sed ubi illum propius videritis jejuniis ad maciem redactum, clausum in sepulcro, illum vivens cadaver esse censebitis juxta Tertulliani mentem; qui pœnitentiam vocat, *prosternendi, & humilificandi hominis disciplinam*.

Applicationes quorumdam locorum Biblicorum huic argumento.

Quomodo verba, quæ in Evangelio omnibus dicuntur, tanquam uni sibi dicta putavit Antonius?

Si vis perfectus esse, vende omnia, & da Pauperibus. Matth. 19. His auditis, nihil ultra dubitat Antonius. Illuminatus, ductus, actus Dei spiritu, nulla mora ejus sequitur consilium. Putans hæc vitæ verba sibi tantum in Evangelio dicta, & a Diacono recitata esse ad sui unius doctrinam, vendidit locuples Patrimonium suum, collatamque inde pecuniam distribuit pauperibus. Spiritus, & cordis docilitas longe alia ab illa plurimorum fidelium, qui nunquam sibi dictas putant veritates essentiales, & primævas leges, quæ ad illos pertinent. Hæccine distractio est? nequitia? Applicationis defectus? obduratio? Quodcunque sit, divertunt a salutis via, & ea quæ ad eorum conversionem dumtaxat dicta sunt in nocentioris rebellionis occasionem sibi convertunt. Quoties in alium rejicitur, quod tanquam uni sibi dictum esset intelligendum? Quoties proximo applicatur ejus peccati censura, quam ille non meretur, & cujus ipsi rei sumus? Quoties, ut olim David contra nos, quin sciamus, mortis sententiam proferimus? Antonius duodeviginti natus annos cum se in statum adducere voluit, ubi hoc, nec ab aliis, neque a semet posset exprobrari. Satis esse minime putans Dei mandatis obedire, ejusdem adimplet consilia, ubi prima agnovit voluntatis ejusdem indicia. Satis esse non putans non ponere ibi cor suum, ubi sua erant divitiæ, has longe projecit a se per realem abnegationem. Ratus se in mundo permanere non posse, quin ejusdem sordibus coinquinaretur, primus fuit, qui illum reliquerit sine jussu, sine necessitate, & parum abest quominus dicere possim, sine exemplo; quod etiam si diceretur, nihil tamen nimium ad magni hujus viri laudem proferetur, quem omni tempore Ecclesia coluit tanquam primum Monasticæ disciplinæ Institutorem, Anachoretarum, Patriarcharum, Patrem Eremitarum, ducem, ornatum, & quomodo illa hunc appellat, *Stellam deserti*.

S. Antonius quærivit, quod perfectissimum & difficillimum est in mundo, & commercium cum hominibus fugat.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ad Colos. 3. Parum est, si spectetur S. Antonii Magnanimitas, relinquere bona sua & in solitudinem recedere: non sufficit illi hominum fugere societatem, quæret ille sibi specum in horrentibus desertis, in lustris serpentum, & ferarum, ubi ultra annos viginti versatus est, quin unquam vel aliquem viderit, vel ab aliquo visus fuerit. Satis non est virtuti illius recessisse in solitudinem corporis; sibi etiam disposuit solitudinem cordis, & mentis, ut Deum melius inveniret, & majori cum familiaritate conversaretur cum illo imitatus Angelorum vitam, qui semet intuentes, jugiter intenti sunt Deo: idque tanto gloriosius, ut simul ac se se ultra mundum corporeum attollit, qui extra ipsum est, adhuc eminentius se attollat supra mundum quem habet in se.

Tentatus per omnia absque peccato. Hebr. 4. Dæmon contra Antonium omnibus utitur viribus, artibusque. Concutienda erat anima in virtute roborata, impediendus progressus vitæ, quæ tanto futura erat exemplo; ex recessu extrahendus erat vir, quem suscitaverat Deus, ut frequentaret deserta ignota quadam specie Sanctorum, & ut quodammodo novam institueret Ecclesiam Pœnitentium, & Eremitarum, quorum futurus erat caput, & Patriarcha. Quid igitur Tentator? quærit illum terribilibus spectris deterrere; lascivis mollire imaginibus; flectere memoria consanguineorum, & patriæ; solitudinis tædio afficere, inflare pietatis, meritorumque ejus præstantia; oblitis opibus corrumpere; & imaginibus speciosæ pœnitentiæ fallere. Illi suadet aliquam laboribus suis relaxationem permittere, & suimet ipsius misereri. Ad imprudentes austeritates illum hortatur, ut sub pondere infirmitatum naturæ concidat! Laudat bonum quod in urbibus facere potuisset, & exprobrat otium, & talentorum ejus inutilitatem, ut in mundum revocet. Apparet illi tandem fictis luminibus septus, ut illi falsa subjiciat ipsius reprobationis, vel salutis præsagia, ut vel præsumptioni cedat, vel desperationi.

Solitudo, & recessus in Bibliis eo mandatur propter pericula, quæ in mundi commercio inveniuntur. *Apoc.* 18.

Exite de medio Babylonis. Isaiæ 52. Nihil est divinæ legi magis conforme, nihil frequentius in Scripturis commendatum, quam recessus, videlicet mundi fuga, & ab eodem secessio. Hoc primum est consilium, quod S. Petrus repletus luminibus, & impressionibus Spiritus Sancti tribuit animabus contritis: Fugite ab hac generatione corrupta. Hæc cælestis vox est, hoc est imperium Dei, in aere personans. *Exite de Babylone populus meus, ut ne participes fitis delictorum ejus.* Hæc prima est cogitatio, quam Deus illis inspirat, quos ad sequelam suam cupit allicere; & praxis est adeo necessaria, ut videatur S. Paulus redegisse omne consilium, omnemque fructum Incarnationis Filii Dei ad hanc separationem a sæculo; sæculo mendaci, & nefario, ubi mores laxitatibus corrumpuntur, veritates erroribus minuuntur, virtutes malis atteruntur exemplis: vitia per licentiam atque impœnitentiam augentur: Ubi mendacium omnia tegit, ubi vanitas sese in omnia cordi insinuat; ubi propria utilitas omnes occupat cogitationes, ubi nobis etiam invitis germinant sæcularia desideria sermonibus, actionibus, & sæcularium instituta: ubi peccatum roboratur per occasiones, ex quibus vincula fiunt, per consuetudines, quæ cedunt in necessitates; per urbanitatis officia, quæ in debita convertuntur; per imitationes, quibus ultro sese subjiciunt mortales; & per ambitionem, & complacendi studium, quod ultro, citroque communicatur. Sancti trepidaverunt hæc metuentes pericula, & Dei spiritu moti crediderunt præstare potius procul a peccatorum societate vivere, quam in mundo trahere vitam tumultuosam, salutem in periculo positam, agitatam conscientiam, & dubiam æternitatem. Deus per misericordiam suam Sancto Antonio has veritates aperuit.

Undenam erant sublimes cognitiones, quas habebat de Deo, & præceptis quæ illis tradebat?

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine; & de lege tua docueris eum. Psalm. 93. Mundus magnus liber est, qui brevi doctos nos facit in scientia Sanctorum, cum Deum unum respicimus. Hic solus erat S. Antonii liber, ex quo didicit tot admirabilia, ita ut colloquiis suis disertissimos quosque Doctores illiceret, qui stupebant videntes hominem adeo illustratum, ac eruditum sine studio. Ut agnoscatis præstantissimum magni hujus Eremitæ spiritum; en illa dogmata, quæ ex vita, sapientibusque ejus consiliis collegit Ecclesia.

1. Ut quamprimum perfectus fias, cogita, te hodie incipere servire Deo, & diem hunc fortasse extremum vitæ tuæ futurum.

2. Dæmon nihil tam timet, quam orationes fidelium, jejunium, ferventemque Jesu Christi amorem.

3. Discretio est virtutum omnium magistra.

4. Humilitas miraculorum omnium est maximum. Qui nihil habet in pretio præter Deum, non amittit unquam pacem, & gaudium spiritus.

5. Confidentia in Deo, & absoluta obedientia Sanctæ illius providentiæ hominem quodammodo faciunt omnipotentem. Hæc sublimis est scientia, quam insignis vir ille tradebat discipulis suis.

Dei efficax S. Antonius amplexus est quod in Christiana perfectione est perfectissimum.

Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus. Matth. 19. Juxta hunc Dei affatum S. Antonius instituit rationem illius recessus, cujus nullum ob oculos ejus versabatur exemplum. Ad illum sese disposuit omnimoda abrenunciatione commodorum vitæ, & actuali abnegatione eorum omnium, quæ possidebat. Audiit Jesu Christi verba, quæ in Ecclesia leguntur; *Si vis perfectus esse, &c.* non credidit lectionem hanc sibi fortuito contigisse, illam sibimet, non ad alios factam censuit, neque deterritus fuit ea sententia; quæ illum paupertate dimnabat, & quæ cupiditatem radicitus convellebat. Non stetit ille inter mediocris ac imbecillis virtutis cancellos, & quin ad examen revocaret discrimen, quod inter Evangelica Consilia, & Præcepta intercedit, sibi eripuit, quod perfectis tantummodo dicebatur. Neque suum retinuit patrimonium bonis intentiones prætexens, neque adduxit se in periculum eodem abutendi, causatus, se illud in usum præstantissimum esse conversurum. Sibi dicta censuit verba illa Filii Dei; simpliciter credidit Evangelio; Oraculum audivit, eique paruit. Tunc relictis omnibus, quæ habebat in mundo, constituit mundo vale extremum dicere, & inter deserta terrarum sese conferre per ultroneam, strenuamque ab omni humana consuetudine separationem.

Vita illius evitanda, qui vitam eremiticam ducunt.

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Psalm. 54. Quot videntur mortales Deo in solitudine devoti, qui tandem mentem suam alunt rebus inanibus, & vanitatibus sæculi, quas sibi narrari oblectantur. Est ne quidquam magis oppositum spiritui solitudinis, quem ad apicem S. Antonius exercuit? Vita ejus in deserto prorsus Christiana fuit, non autem vita Philosophi alicujus, qui gloriæ sibi vertit a mundo secedere, ut sese totum colligat, & vanis imaginationibus animum repleat. Hoc pacto complures nutriuntur amore proprio, ac sese replentes magna, quam de seipsis habent opinione, servant semper in animabus suis altissimum proximi contemptum. S. Antonius vitam prorsus alium duxit; & a Mundo recessit, ut Deo unice adhæreret. Sed, o Sancte, doce nos, quibus de causis a mundo recedere columbæ instar, quæ sibi mansionem statuit in foraminibus petræ, & in cavernis macerix. Si magnus hic vir egreditur de mundo, ut in alium magis profundum sese recipiat; expectat illum a quo liberandus est ab infirmitate sua, & a perversi hujus sæculi tempestatibus. Et profecto Jesus Christus in Evangelio nos docet, non satis esse a mundo recessisse, sed Deo uni adhærendum esse, ut dicere possimus cum illo: non sum solus, Pater enim mecum est. Talis fuit magni hujus Eremitæ solitudo in intima unione cum Deo; ille, qui ipsum in desertum evocaverat, cum illo erat; & nunquam eum solum reliquit; quia Antonius non recesserat, nisi ut Dei voluntatem imploret; quia semper cordi illi fuerat sese

Digitized by Google

ſeſe ad hanc vocationem formandi a teneris annis; quia jam fructum perceperat in ſe deſcribens virtutes Filii Dei, quem ſemper toto vitæ ſuæ ſpatio imitatus eſt. *P. Canchemer.*

S. Antonius virtutes ſuas ad altiſſimum tulit perfectionis gradum.

Veni, & ſequere me. Matth. 19. Non deſunt virtutes communes fidelibus vulgo; nemini quippe intercluditur aditus ad ſalutem. Sed adeſt peculiaris eorum fidelium vocatio, qui non ſolum ad ſanctitatem contendunt, verum ad perfectionem ipſam ſanctitatis, propius J. C. ſequentes; Procul a corruptione, & mundi commercio, non ſecus ac Dominus latens in deſertis, non alium habentes proſpectum, quam cælum, aliud exercitium, quam orationem, aliam ſpem, quam ſalutem, alium actionum ſuarum teſtem, quam Deum, qui cum ſit objectum, ac finis earum, debet quoque eſſe earum merces. In claſſe horum Sanctorum qui altiſſimum perfectionis apicem attigerunt omnium virtutum Filii Dei imitatione, S. Antonius non ultimum obtinet locum. Vita ejus vulgaria lumina excedit; fuit ille miraculum gratiæ Salvatoris, & vivens argumentum ad Religionem probandam. Cor ejus, & opera liber erant Evangelii mundo univerſo; & virtutes illius fortaſſe fuiſſent incredibiles, niſi Magnus Athanaſius ejuſdem amicus illas ſcriptis mandaſſet, poſtquam earum teſtis fuiſſet, tanquam abſolutiſſimum exemplar poſteritati. *Auctor recens.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc Argumentum referendæ.

Loci, qui perſonam Sancti reſpiciunt.

Magnus ille Antonius Apoſtolis proximus per omnium ora uſque hodie volitat. S. Chriſoſtom. homil. in Matth.

Eorum, qui aviam penetrarunt ſolitudinem, Auctor Paulus, Eremitæ, Illuſtrator Antonius, Princeps Joannes Baptiſta. S. Hieronymus Epiſt. ad Euſtochium.

Antonius non rhetorizatur, ſed toto conſpicuus orbe, litteris, ut ita dicam, vitalibus legitur. Petrus Damiani lib. 8. Epiſt. 7.

Illiteratus erat doctis doctior. Theodorus Studit.

Continuatione jejunii deſuetus a carnali pondere, avolavit ad cælum. S. Chryſol. ſerm. 21.

Antonius non quam ante Monachos fuit, quam ab eo omnium inchoata ſunt ſtudia. Sanctus Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ.

Antonius relicta ſolitudine totam circuibat civitatem, quo omnes doceret, Arianos veritatis hoſtes eſſe. Theodoretus lib. 4. cap. 24.

Tanto virtutis ſtudio incenſus fuit, ut quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet. In lect. Officii de hoc Sancto.

Frequens de Satana triumphus ſecurum non reddebat Antonium, qui Diaboli innumeras artes nocendi noverat. Ibidem.

Loci, qui Sancto hic quadrare poſſunt.

Ædificavit ſibi ſolitudinem, in qua tanto purius Deum cernaret, quanto hunc tum ſe ſolo ſolum inveniret. Sanctus Gregorius in cap. 3. Jobi.

Expedit eſſe nudum cum Diabolo luctaturum; nudus enim Athleta fortius dimicat. S. Bernardus.

Quale in ille viro feretrum Deus de Diabolo extruxit; quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, Tertull. lib. de patientia cap. 14.

Videte magnitudinem tentationis, videte magnitudinem virtutis. S. Hieronym. in Pſalm. 66.

Ad menſuram permittitur contra Diabolus. S. Auguſt. in Pſalm. 90.

Nemo ſibi innoteſcit niſi tentatus. Idem in Pſalm. 66.

Victoria eſt Diabolo magis exoptanda de Sanctis. S. Hilarius in cap. 4. Matth.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poſſit ex Theologia ad hoc Argumentum?

Duplex a Mundo ſeparatio. Altera præcepti. Altera conſilii. 1. ad Cor. 7.

DUplex eſt modus recedendi a mundo. Prior eſt in eo permanendi, ſed ſine ulla adhæſione, & affectu, ſecundum Apoſtoli conſilium: *Utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Alter vero reipſa a mundo ſecedendi; ſæculi prætereuntis figuram ab oculis amovendi ac ſplendorem vanitatum, & pompam illius ſub velamine vitæ abſconditæ, & pœnitentiæ operiendi. Ad legem Dei adimplendam ſufficit quidem hæc ſpiritualis, & moralis ſeparatio; verum receſſus corporalis ſimul, & ſpiritualis maximo adjumento eſt ad hanc cordis, & ſpiritus ſolitudinem, & integra ſeparatio, quæ per animam fit, atque corpus, longe perfectius abſconditam Jeſu Chriſti vitam imitatur. Talis fuit illa S. Antonii; prorſus ſe mundo ſurripuit; cor, & ſpiritus ejus æque a mundo aberat, atque corpus. Verum eſt Chriſtianum, qui per baptiſmum ſepultus fuit cum Chriſto, & qui per hoc ſacramentum vitam novam recepit, cujus ejuſdem Salvatoris ſpiritus eſt anima, atque principium, mortuum eſſe debere mundo, opibus, honoribus, voluptatibus, verbo omnibus pompis ejus; verum ut huic muneri faciat ſatis ſufficit, ſi illi abrenunciet affectu cordis ſui, quod plerumque ſe omnibus his rebus illici patitur, & quamvis liceat earum rerum poſſeſſionem, & uſum retinere, debet tamen interiori ſenſu ita ab illis avelli, ut inter divitiarum affluentiam ſit pauper, caſtus in conjugio, temperans in conviviis, licitiſque voluptatibus, & attentus Deo in ipſa neceſſitudine, & commercio, quod conditionis neceſſitas illum habere cogit cum hominibus. Sed hoc nimis parum eſt Solitario: hic conſiſtere non debet; oportet enim, ut actu avulſus ſit a rebus omnibus ſenſibilibus. Opus eſt, ut ſicuti æternitas unica illius pars eſt, ita ſit etiam objectum unicum omnium actionum ſpiritus ſui, omnium motuum, & affectionum cordis ſui. Opus eſt anima ſua ſit in nuditate perfecta ad hoc, ut omnes gratiæ impreſſiones recipere valeat. Conſilia quæ Dei Filius omnibus tribuit generatim, ſolitario facta ſunt per vocationem præcepta; & non ſatis contendit, ut omnino ſui ſtatus exequatur officia, ſi perfecta non eſt illius abrenunciatio, ſi abnegatio ejus non eſt realis, & practica, & ſi cordis ſenſus non migrant in opera. *Abbas Trappenſis.*

Quid nobis cogitandum ſit de ſolitudine generatim ſumpta.

Solitudo eſt mixtura quædam magnitudinis, & humilitatis, felicitatis, & miſeriæ, fortitudinis, & infirmitatis, & juxta illud principium, ex quo oritur, haberi poteſt tanquam virtus inſignis, vel tanquam vitium contemptibile. Hominem efficit infirmiorem ſejungens illum a civili ſocietate; ſi labitur, non habet, a quo relevetur, ſi mœret, non eſt, qui eum conſoletur; ſi felix eſt, adhuc tamen aliquid deeſt ejus felicitati, neminem enim habet ſuæ felicitatis conſortem. Hinc Scriptura Sancta illud ſoli protulit anathema; *Væ ſoli*; & S. Bernardus ait, *Solitudo eſt nomen miſeriæ.* Verum etiam confitendum eſt, illi neſcio quid magnum ineſſe; quia cuſtos eſt innocentiæ, orationi multum tribuit facilitatis, ac facultatis; & magnam ſpiritus vim præſupponit. Hinc Philoſophus cognovit Solitarium, vel hominem eſſe divinum, & ſimilem Deo, vel ſtupidum, & belluæ ſimilem; ſi enim ferox eſt, ac ſtupidus, ideo nequit ferre homines, quod hominum ſocietate carere poteſt; ſi ſolus vivere, & cum cæleſtibus Spiritibus verſari poteſt, ille profecto Deo ſimilis eſt; & ſit homo prorſus cæleſtis, quia carere poteſt iis omnibus, quæ extra ipſum ſunt, quia ſemetipſo contentus eſt, & vitam ducit intra cor ſuum collectus. Dicere poſſumus in Antonii ſolitudine aliquid duorum horum extremorum inveniri. Si in ſolitudinem ſe recipit, non ideo ſimilis eſt jumentis ratione carentibus, non ideo oſor eſt hominum, ſed evitare vult occaſiones peccandi, quæ in mundo ſunt adeo frequentes. Neque ideo præſumit fieri ſimilem Deo eo pacto quo rebelles angeli, ſed fieri divinæ vitæ participem, majori cum tranquillitate vacare orationi procul a mundi rumore, ac tumultu, ut in deſerto vitam ducat abſconditam in Deo cum Jeſu Chriſto, juxta conſilium Apoſtoli: *Vita veſtra abſcondita eſt cum Jeſu Chriſto in Deo.*

Solitarius aut Deus, aut beſtia.

Ad Coloſſ. 3

Cum Dei filius in perſona ſua omnes homines repræſentaret, opus etiam erat, ut tentaretur, ut inde diſceremus pugnare, & vincere tentationes; quod Scriptura per hæc verba nos docet: *Ductus eſt in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo*; idque ut facto hoc minime vulgari doceremur, nos coronari non poſſe niſi vicerimus, neque vincere, niſi pugnaverimus; officium noſtrum eſſe tentationes pati, & felicitatem, gloriamque noſtram eſſe ex illis victoriam referre. Regula hæc adeo generalis eſt, ut indiſcriminatim omnes Chriſtianos afficiat. Verum eſt pauciſſimos mortales ita fuiſſe tentatos, ut S. Antonius: ſed cum ille adeo apertum dæmoni bellum indixiſſet, Deus illi gratiam hanc concedere voluit, ut cumulatiſſimam ex eo victoriam reportaret.

Debemus pugnare, & vincere tentationes exemplo J. C. *Matth. 4.*

Jugis de ſemetipſo diffidentia, inconcuſſa in Deo confidentia, oratio, & inviolabilis adhæſio ſanctæ illius voluntati, ſunt modi tutiores, & aptiores ad tentationes ſuſtinendas, & ſalutis noſtræ inimicum frangendum. His uſus eſt in hoc ſpirituali bello Antonius. Quo majorem in ſe virtutem ſentit, eo magis de ſeipſo diffidit; quo magis videtur illum relinquere Deus, eo magis auget ſuam in Deo confidentiam? quo magis dæmon illi objicit larvas, & terriculamenta, eo magis hunc quietis ſuæ perturbatorem contemnit. Hoc pacto Sanctus noſter horribiles, & frequentes tentationes vincit, talem de inviſibilibus inimicis refert victoriam, ut confiteri debuerint, nunquam ſe majori ſuffuſos fuiſſe verecundia, quam in iis prælliis, quæ magno huic Sancto intulere.

Modus pugnandi, & ſuperandi tentationes.

Anachoretæ primum ſemper in monaſtica vita locum obtinuerunt propter virtutis perfectionem, & ſanctitatis ſuæ eminentiam. Hoc illis commune eſt cum Cœnobitis, quod ſibimet eundem finem proponunt ſervire Deo, intime illi adhærere, & poſſidere illum in perfecta omnium terræ bonorum abrenunciatione. Cœnobitæ tendunt ad Deum per voluntatis ſuæ crucifixionem, per labores, & exercitia exactæ converſationis in ſocietate fratrum, eorum precibus, & exemplis adjuti ſub obedientia, & regimine Superioris. Alii vero in Deum ten-

Diſcrimen inter vitam eremiticam & Cœnobiticam.

Digitized by Google

tendunt semet a mortalibus separantes, civilem societatem deferentes, & commercium sæculi: terrenis omnibus abrenunciantes per sui ipsius integram abnegationem; sese expedientes ab iis omnibus, quæ non sunt Deus, & per immeditatam, ac jugem applicationem objecto huic infinito cum sola Salvatoris ope, & Sanctorum Angelorum præsidio, sequentes ad litteram illa Matth. 6. 1. Scripturæ verba: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis .... Respicite volatilia cæli, &c.* Penitus sese tradunt Providentiæ, cum in iis quæ ad corporis sui curam pertinent, tum in iis quæ ad animæ curam spectant. Sed ut distinctius intelligatis quid possit de hoc Angelico statu cogitari: Anachoretæ, & Cœnobitæ homines sunt vere admirabiles: qui terrenis omnibus terga vertentes, honores, voluptates, divitias pueriles nugas esse arbitrantur; a Spiritu Sancto in altissimis abrepti solitudines, habent eundem spiritum ducem, & rectorem vitæ suæ, & Angelos cum aula cælesti, testes pugnarum suarum, & victoriarum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

S. Antonii elogium a S. Joanne Chrysostomo concionatum.

UT consideremus magnum, beatumque S. Antonium, qui adhuc est totius terræ admiratio, & quem produxit Ægyptus Apostolis fere parem, meminisse debemus Sanctum hunc virum natum esse in eadem regione, qua Pharao, qui tamen ideo minus Sanctus fuerit. Hic dignus habitus fuit, cui Deus peculiari modo se ostenderet; totaque vita ejus nihil aliud fuit nisi diligentissima praxis eorum, quæ in Evangelio Deus docet. Qui vitam ejus legent, agnoscent veritatem eorum, quæ dico, multisque in locis videbunt, illum Prophetiæ dono fuisse insignitum. Prævidit enim, atque prædixit mali, quæ Arianorum hæresis erat paritura in Ecclesia, Deo ex tunc revelante, & ob oculos illi subjiciente quidquid erat eventurum. Constat autem inter cæteras rationes, quibus Ecclesiæ veritas probatur, hanc satis esse perspicuam, ne unum quidem inter hæreticos hominem videri huic similem. Verum ne uni mihi credatis, legite librum vitæ ipsius, ubi fusius videbitis illius facta, & ubi plurima invenietis, quæ vos ad virtutis apicem attollent. *Ex D. Chrysostomo.*

Deserta & solitudines bona.

Nescio utrum unquam animadverteritis in lege veteri, deserta maxime horrentia, & solitudines ab hominum commercio remotissimas habitas semper fuisse tanquam habitaculum Dei: quippe in hujusmodi locis apertiora ille tribuit suæ præsentiæ argumenta. Verum dicere audeo in lege nova hæc eadem deserta non minus celebrata fuisse, ex quo Dei Filius illa sanctificavit suo quadragesimali recessu: & ibi Sanctum Joannem Baptistam mortalium omnium sanctissimum, atque perfectissimum jecisse fundamenta altissimæ Sanctitatis, propter quam dignus extitit Messiæ Præcursor; namque post illud tempus, S. Chrysostomus ait, loci illi, quos videtur natura satis reliquisse, frequentes fuere plurimis Anachoretis, qui eos in Sanctorum sedem, Innocentiæ asylum, certumque converterunt perfugium contra pericula, quibus reliqua mundi pars repleta esse videtur: 1. Joann. 5. *Totus mundus in maligno positus est.* Hinc jure Sanctus idem Doctor, & post illum S. Eucherius affirmant, si minus solitudines excultæ, immo steriles bonorum naturæ fuerunt, illas e contra fertilissimas fuisse fructuum gratiæ, & cælestibus donis cumulatissimas; & si in lege veteri eas constituit Deus quodammodo theatrum prodigiorum suorum cum per desertum deduceret populum suum; in nova ostendisse miracula sanctitatis, & eminentis perfectionis, cujus homo Deus regulas, & canones in Evangelio descripsit. En igitur primi fructus hujus deserti, quos vobis exhibeo in incomparabili Sancto Antonio. Eum hoc nomine appello, licet non fuerit ille vitæ adeo sublimis Institutor; ille enim antiquiores se nactus est, sub quorum disciplinam sese subjecit. Tunc Palæstinæ deserta jam frequentia erant hominibus prorsus cælestibus, qui in mortali corpore beatorum Spirituum vitam agebant. Primus tamen est, qui in Ægypto præbuerit exemplum voluntariæ solitudinis, quin coactus fuerit, ut alii, per eas persecutiones, quæ contra Christianos excitatæ fiint, quos de terris omnino auferre conabantur generali cæde, quæ in omnibus urbibus peragebatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

S. Antonius primus frequentavit solitudines & deserta sanctis.

Antequam Antonius ingrederetur in adeo jucundam solitudinem, illius bona vix, & ne vix quidem agnoscebantur. Errantes quidam Christiani illuc concesserant, sine capite, sine ordine, sine disciplina, ut inviorum eorum locorum subsidio timidam fidem contra persecutionum procellas servarent incolumem. Eliæ aliquot furore Jezabel acti salutem suam fuga quæsiverunt, & timentes minus feras, quam homines, se rati sunt tutiores fore, ut Daniel, inter leones, quam cum, & coram Nabuchodonosor Idololatra. Fugam eorum equidem laudo, sed adolescentuli Antonii solitudinem admiror. Hactenus dici poterat solitudinem esse terram desertam, invium, & inaquosam: Sed sicuti juxta impenetrabilia Dei consilia deserta hæc tellus erat inhabitanda; terra hæc invia habitura erat vias, & semitas stratas; terra hæc inaquosa irriganda erat imbribus, & benignis influxibus Cæli. Quid inde? Antonium suscitavit providentia, qui cum omnium primus ingressus esset in hanc solitudinem, convertit terram hanc desertam in Sanctorum sedem; primus stravit vias terræ hujus inviæ sapienti, & rigida disciplina, qui denique primus super hanc terram inaquosam cælitus elicuit favores, & gratias. Cum ita loquor Antonium appellans caput, & Patrem Eremitarum, nihil auferre animus mihi est laudibus Eliæ, S. Joannis Baptistæ, aut insignis Pauli Eremitæ. Audite rationes, & S. Hieronymi sententiam animadvertentis ævo suo quæsitum fuisse, quinam deserta frequentare incepisset; qua de re auctores abierant in diversa. Dicebant quidam Eliam, & S. Joannem Baptistam illuc inter primos profectos fuisse, & jure, sed reddebant alii, nullos illis fuisse discipulos, qui statis regulis sub obedientia, eademque disciplina tanquam sub capitibus convenirent. Asserebant quidam Paulum Eremitam omnium primum post Jesum Christum amplexum fuisse hoc vitæ genus. Cum persecutio sub Decio, & Valeriano omnes fere depopulata fuisset Ægypti, atque Thebaidis Ecclesias, recenti morte, Romæ quidem S. Cornelii, Cartagine vero S. Cypriani, qui capite fuerant damnati; plures Sacerdotes, & laicos festinanter ex urbibus egressos fuisse. Sed respondebant alii, Paulum nimis contentum si solus salvaretur, non aliam quam Dei sui societatem quæsivisse; & Christianos hos huc illuc fusos nunquam in unum corpus coaluisse, neque habuisse patrem, aut commune caput, a quo regerentur. Ad quem ergo referenda gloria est Institutionis vitæ monasticæ? Quis vocandus est primus Eremitarum Patriarcha? Nempe, Antonius, ex D. Hieronymi sententia, quod vulgo habitus semper fuit Auctor hujus generis vitæ; Antonius, qui primus deserras illis terras frequentavit; Antonius, qui primus salutaribus monitis vias ostendit, quas Discipuli sui sequerentur in locis antea inviis, qui primus elicuit cælestium benedictionum rorem in terras illas aridas, & inaquosas, qui primus tot collegit ora, quot Anachoretas ad concinendas per impetum lætitiæ laudes Domino, & qui tandem exemplo suo excitavit ardorem, & animavit zelum tot eremitarum, qui illum secuti sunt, quamvis reipsa primus non fuerit qui in desertis habitaverit. *Elegia historica.*

S. Antonius in horrentem eremum egressus, cavernâ solo defodere pœnitentiæ facilitate licet semper vitam duxisset integerrimam.

Ingrediamur Thebaidis deserta: Solitudo semper fuit maxime commune theatrum miraculorum Dei. Figamus, quæso, oculos in horrentem specum, qui sese subterri in profundum extendens, fugere videtur lucem diei. Primo intuitu, credaretis hoc esse cubile leonum, ursorum, & cruentarum ferarum. Hæc tamen domus est hominis, atque hominis adolescentis, ac divitis ex præcipuis Ægypti familiis. Visitur adhuc in urbe *Coma* Castellum, ubi majores illius incolebant, & quod nobilis hic adolescens strenue reliquit, ut extremum vale diceret mundo, & pompis ejus, & in hanc rupis cavitatem sese reciperet. At enim hic magnus quidam peccator fuit, qui scelerum suorum enormitate deterritus, & conscientiæ suæ aculeis lancinatus mulcere vult Dei justitiam pœnitentia, quæ quodammodo anteactæ vitæ respondeat. Quam temerarium hoc est judicium! quam procul a veritate! Hic innocens est Antonius; annos natus viginti, vel præter propter, qui a pueris cælestibus gratiis præventus in terris vixit tali in solitudine, ut vix suos agnosceret consanguineos, uti narrat vitæ ejusdem Historicus; & qui ita procul abfuit a nequitia, & adolescentiæ delictis, ut nonnisi cum Deo in oratione colloqueretur, neque alias gustaret delicias, nisi quas in virtutis praxi invenlebat. Non igitur præteritorum scelerum recordatio, neque metus inferni illum e mundo ejecerunt; sed illum inde perfectionis amor eduxit. *P. Texier.*

Antonii fuga, & solitudo.

Vobis exhibere possem S. Antonium in actuali, & omnimoda separatione a mundo, & humana societate. Exhibere illum vobis possem pluribus annis in quodam veluti sepulcro latitantem, alienum a natura universa, Solis ipsius radiis abscenditum; mundo magis mortuum quam qui tumulati sunt, imi cognitum homini, qui subinde afferebat illi, unde aleret vitam mortificatam, atque ut ita dicam jam mortuum. Illum exhibere vobis possem inter rudera dirutæ domus, ubi nullum humanæ habitationis vestigium supererit, unde eo ingrediente non fine quadam reverentiæ specie serpentes egressi sunt; minus veriti, ne inde exruderentur, quam ne attentionem illius perturbarent, vel interpellarent solitudinem. Exhibere illum vobis possem errantem modo in montibus, modo in desertis quærendo locos mortalium curiositati inaccessos; pertæsum, quod videret, ac videretur, & quasi propriæ virtutis fastidio captum, quæ illi gloriam comparabit, efficiebatque, ut postquam mundum reliquerat, mundus ad perturbandam cellulæ ipsius requiem accederet. Sed spiritus illius magis adhuc procul aberat a mundo, quam corpus. Ejus enim in Cæliis erat conversatio. Contemplatio, labor, oratio, psalmodia noctes, dieque occupabant. Quo magis vacuus erat mundo, eo magis repletus erat Deo; & Domini consolatio-

lationibus in ejus anima foventibus gaudium merum sine ulla mali mixtione, summa perfundebatur voluptate conversans cum Deo, atque de temporis pernicitate conquerebatur, quod nimia festinatione laberetur, neque sibi permitteret per otium illum amare, eique servire, quoad cuperet. Hæc integra est separatio; hodie nonnisi imperfectæ, ac dimidiatæ videntur solitudines. Satis se in pietate profeciſſe putat, qui poſt vitæ tumultuoſæ ſtrepitum actus quibuſdam converſionis motibus, quæ tamen in ſola externa ſpecie conſiſtit, frangit hoc univerſale commercium, quod cum mundo initum fuerat, ut illum coarctet ad delectos quoſdam neceſſarios, quorum familiaritas aliis præfertur. Quæritur ſuavitas, non ſanctitas vitæ; moleſtus amovetur mundus, ſed arceſſitur mundus, qui placet. Arctior quidem eſt circuitus; ſed in hunc congeritur quidquid amatur. Quæritur ſocietatis voluptas, ſimulque meritum & ſocietatis, & ſolitudinis. Hinc illæ peculiares converſiones, hæc neceſſitudinis commercia, quæ ſolitudo ipſa majorem in ſuſpicionem vocat, & magis periculoſa videntur; ubi ſecreto dicuntur, quæ palam dicere nemo auderet; & ubi ſub pietatis, immo etiam regiminis colore futilia immiſcentur colloquia ſpiritualibus; & multa, quæ ad curioſitatem cum iis, quæ pertinent ad conſcientiam. Hoc in ſolitudine vivere appellatur. Quot extant perſonæ devotæ, dicatæque Deo, quæ mundanam alunt curioſitatem, quæ imaginationes ſuas nutriunt vanitatibus, quas ſibi enarrari geſtiunt, quæ peccatorum linguam intelligere, & loqui volunt, & in Jeruſalem nefarias Babylonis artes pertrahere; mundo adhærent inanibus ſtudiis, mutuiſque conſenſionibus; cumque ipſæ facere nequeant, quod ibi fit, tamen certiores fieri volunt de illis, quæ ibi tranſiguntur. Nihil ne magis obſtat huic ſpiritui ſolitudinis, quem S. Antonius amavit? *Flechier.*

S. Antonii conſilium in ſolitudinem concedendi.

Iniit Antonius igitur conſilium deſerendi mundum non ſolum quidem affectu, verum etiam effectu, ut de Deo tantum ac de ſalute ſua in eremo ſollicitus eſſet. Conſilium quidem ſanctum, & generoſum! Sed quot ille obices nactus eſt tum a conſanguineis ſuis, tum ab ipſo mundo, qui ſeſe illi oſtendit ex ea parte, quæ illum magis allicere poſſet; hoc eſt per ea quæ in ipſo maxime nitent? Non erat Antonius ita ab omni ſenſu remotus, ut non intelligeret ſe poſſe in mundo locum obtinere non contemnendum, & majorum ſuorum exemplo ad eundem ſuſtinendum excitabatur. Non deerant illi ingenium, nobilitas, & omnia naturæ bona, ut ad honores viam ſibi faceret, ubi inter cæteros eniteſceret. Satis ampla fortunæ bona poſſidebat, ut ſui generis decorum ſervaret, ac parentis ſui mors cum locupletiſſimi patrimonii relinquens hæredem, ſui etiam juris eum arbitrum relinquebat. Omnes hæ conſiderationes menti ejus occurebant; ſed ne putetis Sanctum hunc fragilem arundinem eſſe, ut nequeat reſiſtere. Licet infirmus & fragilis ſit omnipotens cæleſtis gratiæ adjutus auxilio vocem audit interiorem, quæ ipſi illi ſingulariter dictum applicat, generale conſilium, quod tribuit Deus illis, qui ipſum ſequi deſiderant. Hoc ſibi in præceptum convertit, illudque ad apicem uſque ſibi ſervandum propoſuit. Omnibus ſtatim mittit nuncium, omnes abjecit ſpes fortunæ, omnemque licet naturalem patriæ charitatem, ut eo currat, quo a Domino evocatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Mundi cenſura non deterret Antonium.

Neque putetis metum judiciorum, humanarumque rationum, qui ſæpe optima quæque prohibuit conſilia, habere eandem vim in Antonio, quam in pleriſque mortalibus habere conſuevit. Satis eſt conſtans, ut minime verbis moveatur, quæ in aerem evaneſcunt; ſatis eſt in vocatione ſua confirmatus, ne cedat iis obicibus, qui communem virtutem evertunt, aut labefaciunt. Deus illi magna ſuggerit conſilia, & ipſe illa ſtrenue aggreditur, & perficit. Omnia momenta, quæ impenduntur deliberando, utrum Dei voluntates capeſſendæ ſint, illi videntur infidelitates, ac rebelliones, has ſecundum cæli lumina conſideranti. Statim igitur & in arena, bona ſua vendit; quorum partem pauperibus diſtribuit, alteram vero ſorori ſuæ, cui providere feſtinat contra mundi, & dæmonis inſidias; perfractiſque omnibus vinculis, quibus in mundo retineri poterat, in deſertum ſeceſſit. Magnum fortitudinis, & Chriſtianæ conſtantiæ exemplum in Dei ſervitio admodum neceſſarium! Cum nos evocet gratia, & ad ſanctiorem vitam invitat; cum nos urget, ut infringamus nexus, qui nos detinent, & quos ipſi nobis nexuimus; quæ mora, qui prætextus, quæ ambiguitas in adhibendo a nobis conſilio, quæ tarditas in Dei juſſibus exequendis! Nonne de id genus mortalibus dici poteſt: *quid exiſtis videre? arundinem vento agitatam.* Gracilem arundinem? imaginem inconſtantiæ? triſtes reliquias, quas originale peccatum in nobis reliquit, & quas nonniſi per Salvatoris gratiam poſſumus reparare! *Idem.*

Fructus virtutum, & bonorum, operum, quos peperit ſolitudo, ex quo S. Antonius illam ſe coluit. *Iſaiæ 32.*

Jampridem Propheta protenderat: *donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo, & erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur.* Ne prætermittamus ullum ex his myſticis verbis, neque hoc temporum antiquorum vaticinium revocemus niſi, ut veram indigitemus illius epocham ævo S. Antonii Patris, & Capitis Eremitarum. Video deſertum antehac incultum ac ſterile mutatum in agrum ſanctis manibus excultum, & fructibus redundantem. Etenim nonne hoc nomine appellari poteſt hæc virtutum bonorumque operum congeries, quæ tanquam præſtantes arbores, ac pretioſa ſemina locupletarunt Antonii ſolitudinem, & uberrime flores, & fructus peperere? Quæ paupertas! quæ humilitas! quæ charitas! quæ ſui abnegatio! Quilibet ex hiſce novis incolis occupatus in terra hac excolenda, pertinaci labore eam findit, ac minus ſudoribus ſuis, quam ſuo irrigat cruore. Video in hoc Antonii deſerto juſtitiam, pacemque ſedem ſuam ibi figere; juſtitiam, inquam, quæ tota eſt Religionis eſſentia, ejuſque diverſa moderatur officia, & pacem, quæ tota eſt animæ lætitia, & quæ arrha quædam eſt æternæ quietis. *Elogia hiſtorica.*

Ingrediamur, quæſo, in hoc deſertum, & conſideremus tentationes, quibus Dæmon S. Antonium laceſſit, & victorias, quas ille de tam formidabili, verſutoque inimico reportat. Contra Sanctum hunc nihil intentatum relinquit; conatus, & dolos. Agebatur enim de labefactanda anima in virtute jam roborata, de prohibendo progreſſu vitæ, quæ magno futura erat exemplo, de extrudendo ex latibulo ſuo homine, quem ſuſcitaverat Deus, ut repleret deſerta ignota quadam ſpecie Sanctorum, atque ut novam quamdam veluti Eccleſiam inſtitueret Pœnitentium & Eremitarum, cujus ille futurus erat Caput, & Patriarcha. Quid interim tentator? quærit illum deterrere larvis, & phantaſmatibus terribilibus, cum laſcivis imaginibus emollire; flectere memoria conſanguineorum, & patriæ; ſobrietatis faſtidio dejicere; pietatis ſuæ, ac meritorum præſtantia inflare; oblatis divitiis corrumpere; & ſpecioſæ pœnitentiæ imaginibus fallere. Suadet illi indiſcretas auſteritates, ut victus pondere naturalis infirmitatis concidat. Proponit illi bonum, quod in urbibus facere poterat, eique otium, & talentorum ſuorum exprobrat inutilitatem, ut illum in mundum redire cogat. Apparet illi fictis ſeptus luminibus, ut ei falſa reprobationis vel ſalutis ſuggerat præſagia, & illum vel præſumptionis, vel deſperationis cogitationibus injectis evincat. Hic immoramini, ſpiritus increduli, neque has veritates figmenta quædam putetis. Modica quæ vobis eſt experientia vitæ ſpiritualis, & chriſtianæ veſtra remorari debet judicia & ſi tuti eſtis adverſus dæmonis tentationes, inde hoc fit, quia illius facitis opera, & voluntates. Scitote, Deum ſecundum altitudinem judiciorum ſuorum, quæ ſemper ſunt adorabilia, permittere nonnunquam, ut dæmones tentent Sanctos ſuos, illos retinere, aut laxare, quemadmodum eidem placet; & illis uti, ut exequatur juſtitias ſuas, vel miſericordias, & ſicut eos adhibet, ut puniat impios, ita nonnunquam exercere, & expiare bonos, eorum miniſterio. Hæc fuit Sancti Antonii gloria. Totus ſimul congregatus Infernus ex corde illius conſentionem ad peccatum nequit convellere. Dæmonum impetus illum cautiorem effecere, magis mortificatum, atque fidelem. Adhibuit ille arma univerſa, quibus uſus fuerat Dei Filius in deſerto, jejunio, precibus, Scriptura; ſemper victor, ſemper humilis agnoſcens infirmitatem ſuam, & in Domini ſui potentia confidens. *Flechier.*

Gratia in hoc Sancto viro oſtendit fortitudinem, & conſtantiam, qua illic reſiſtit tentationibus in præliis duriſſimis, quæ illi ſuſtinenda fuerunt in ſolitudine contra poteſtates tenebrarum, quæ illum omnibus viribus ſuis, ac fraudibus adortæ ſunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut ejus conſtantiam labefactarent. Sed illa omnibus earum inſidiis, verſutiis, atque conatibus labefactari non potuit. Tutelares deſertorum Angeli, qui certaminum ejus teſtes fuiſtis, dicite utrum ſignum aliquod deprehenderitis infirmitatis, vel inconſtantiæ in homine hoc prorſus divino? utrum aliquid quod ſuſpicionem ingerere poſſit illum fragilem fuiſſe arundini ſimilem, illum ceſſiſſe, vel ſaltem concuſſum fuiſſe violentiſſimis nequiſſimi tentationibus? *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Quod immo e contra certius argumentum fortitudinis, & virtutis non vulgaris eſt ſemper propulſaſſe, ac debellaſſe aggreſſorem eundem, qui in ſimili deſerto & in acie eadem auſus eſt oppugnare omnium fortiſſimum; idque toties, quoties eum opprimere, ac ſuperare conatus eſt! *Spectaculum Deo dignum*, Vetus quidam ajebat, *vir fortis cum fortuna compoſitus.* Intueri virum cum fortuna luctantem, omnibus ejuſdem telis oppoſitum, ſemperque eundem ſpiritus, & cordis in eventibus omnibus ſtatum ſervantem: Hoc quidem magnum ſpectaculum eſt, ſed longe majus videre Sanctum noſtrum cum dæmone dimicantem, non cum fortuna, quæ chimæra eſt, neque ſolum contra carnem, & ſanguinem, qui plerumque ii terribiles ſunt inimici, cum quibus nobis confligendum eſt, ſed contra ſpirituales ſubſtantias, de quibus loquitur S. Paulus, qui & ipſe illas expavit; contra ſpiritus animatos odio, & furore, & armatos verſutiis, atque nequitia. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritualia nequitiæ.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Contra inimicos æque terribiles atque verſutos deſcendit in aciem S. Antonius in deſerto, ibique ſexcentis

Digitized by Google

tis in occasionibus generosus Athleta suam constantiam, & fortitudinem insignivit, cum dæmones gloriæ, & felicitatis ejus inimici nullum tentationis genus prætermiserint. Nullum fuit creatarum rerum genus, quibus velut armis, usi non fuerint in illum; nullæ fraudes, insidiæ, ac stratagemata, quæ non excogitaverint, ut eum de gradu dejicerent. Omnes sese illi obtulerunt conspiciendos sub horribili aspectu, ut eum deterrerent, & nonnunquam sub jucundissimis imaginibus, ut eum seducerent, ac pertraherent in laqueos, quos illi posuere. Conantur alii efficere, ut fugiat deserta, eique nauseam, ac fastidium immittere vitæ illius, quam amplexus est; alii vero ejus labefactare constantiam pœnis, ac laboribus, quibus illum obruunt. Alii in eum tanquam furentes leones sæviunt, alii tanquam blandi serpentes adrepunt; neutri vero illi requiem permittunt, ut illum ab inito consilio dimoveant. Antonius omnibus his tentationibus se præparaverat; noverat Spiritus Sancti monitum: eum qui Deo servire vult, debere se se tentationi præparare. Neque illorum furori satis fuit minas intentare, ut Sanctum hunc ab incepto deterrerent, sæpe ille expertus est effectus rabiei, & crudelitatis eorum vulneribus, plagisque saucius, & nonnunquam semianimis humi relictus. *Idem.*

Quibus armis usus est Antonius ut dæmoni resisteret.

Fides, oratio, confidentia in Deo arma fuerunt, quæ S. Antonius opposuit omnibus Dæmonis insultibus: hic fuit clypeus, quo omnia illius tela excepit; hæc arma illum invictum, ac imperturbabilem reddidere. Princeps Apostolorum docuerat illum per fidem inimicorum vim propulsari: *cui resistite fortes in fide.* Itaque in ore illius jugiter versabatur illud Scripturæ verbum, quo se ipsum tueri debebat. Sed non minus in eo confidentiæ inerat, quam fidei: etenim non solum animos non despondit unquam; verum etiam inimicorum imbecillitatem irridebat, & cum Propheta dicere consueverat: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*: Licet omnes dæmones, omnesque inferni Potestates in me, exitiumque meum conjurassent, non timebo, nihilque mihi terrorem incutere poterit. Hinc mihi oborta mens est Sancto Antonio applicandi hanc elogii partem, quam Mundi Salvator glorioso præcursori suo tribuit; hunc videlicet nequaquam fuisse arundinem vento agitatam inconstantem in consiliis suis; quoniam integro ferme unius sæculi spatio in Dei servitute perseveravit; non fuisse arundinem fragilem, gracilemque, quam levium tentationum aura flexerit, atque concusserit; neque enim vehementissimis quassationibus, sævissimisque procellis aut confracta fuit, aut eversa. Exemplum constantiæ, & fortitudinis; quod modicam firmitatem, nostramque inconstantiam confundere debet: cum ad minimas difficultates, levissimasque tentationes optima quæque consilia nostra evanescant. Eheu! cogitemus, nullibi nos fortitudine, & constantia indigere, nisi in Dei servitio; ibi enim nanciscimur tot hostes a nobis superandos, tot prælia sustinenda, tot obices infringendos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Psalm. 26.

Documentum S. Antonii ad discipulos suos ad tentationes superandas.

Licet Oratio commune sit fidelium omnium exercitium, hoc tamen esse debet perenne Eremitarum negotium. Cum non sint amplius de hoc mundo; Deo magis inhærere debent. Ex plurimis evafere periculis, ideoque plures illis gratiæ agendæ sunt: pluribus petuntur tentationibus; sæpius illis confugiendum est ad Deum, qui illos liberare potest, atque tueri; præ aliis a Deo magis amantur, & favoribus cumulantur; & illis ardentius, majorique cum animi grati sensu Deus est amandus. Ideo præ cæteris discipulis suis etiam, atque etiam commendavit Antonius, ut jugiter orationi vacarent, quam tantopere laudat Apostolus, & quam ipse attentius, & accuratius exercuit. Fingite vobis Sanctum hunc Anachoretam; cujus corpus jejuniis attritum, pœnitentia consecratum, omnino fere ab eo, quod in ipso terrestre erat, defœcatum, & spiritale quodammodo factum, opem ferebat ad alacriter obeunda animæ officia, quin illa retardaret; cujus spiritus carne minime juvatus ex se tendebat in Cælum, quin per has distractionum nubes, quæ Deum inter & nos in orationibus nostris interferuntur, pertranseret: memoria cujus, ex qua omnes deletæ erant imagines mundi, retinens fideliter, quidquid viderat, & audiverat, erat illi tanquam vivens liber in ejus meditationibus, atque cogitationibus, dicit S. Athanasius. Fingite vobis hanc mentis attentionem; qua fiebat, ut dies in solitudine illi videretur breviores, & ut mane summo non sine sancta quadam indignatione post noctem in admiratione Magnalium Dei, ejusque mysteriorum transactam diceret: Sol cur importuna tua luce interpellas meam æterni luminis contemplationem? Fingite vobis cor grati animi sensibus penetratum propter Dei Beneficia, & misericordias Dei, ubi cum perfecta charitas absumpsisset imperfectos naturæ, necnon etiam pietatis sensus, post solertissimum cordis sui examen, ab eo identidem his eliciebat voces: Non possum amplius timere Deum; illum non amare non possum. Quotidianum hoc exercitium illius fervorem instaurabat. Hinc ille doctus licet studiis operam minime dedisset, obscurissimos Scripturarum sensus quarum perspicuam, sublimemque cognitionem fuerat adeptus, assequebatur. Hinc sine arte, ac methodo meditans, ac divino spiritui sese tradens, feliciter in perfectionum ejus abyssо evanescebat. Hinc Deus illi futurorum integumento sublato ostendens proximam Ecclesiæ suæ vastitatem propter hæresim Arianorum, & mox secuturam fidelium pacem, atque tranquillitatem, zelum fidemque illius inflammabat in tempus tribulationum, eumque spe gloriæ, virtutisque triumpho consolabatur. Hinc inter gratias, & magnalia Dei agnoscebat nihilum suum, & in humilitate sua se roborabat. *Fleschier.*

Vita pœnitens & mortificata quam duxit S. Antonius in deserto.

Hoc erat generosum consilium, quod inierat S. Antonius in desertum secedens vitam ibi pœnitentem agendi & sibimetipsi moriendi; hæc enim vita est, quam Anchoretæ profitebantur. Quæ vita, bone Deus, vel potius quæ mors! quandoquidem omnibus sensuum voluptatibus, omnibus naturæ studiis moriebantur; non cogitabant nisi de carne crucifigenda per jejunia, cilicii, vigilias; corpori nihil concedentes nisi quod omnino necessarium erat, ne moreretur. Difficile esset omnes vobis mortificationes, sanctitasque recensere austeritates, quæ in hoc adeo admirabili vitæ genere exercebantur. Sancti Patres integra conscripsere hujus argumenti volumina; sed S. Ephrem duobus his verbis ea nobis in tabula veluti quadam proposuit, cum ait, se audire non potuisse earum narrationem, quin hæc ipsi sanctum horrorem injiceret innocentis crudelitatis, qua illi in semetipsos sæviebant: *Horum vita horrorem mihi incutit.* Quid autem, si addidero, Antonium illum extitisse, qui corporis sensuumque mortificationem longius provexerit? illum hac in re exemplo fuisse ipsis etiam Solitariis, qui peculiariter ad vitæ ejusdem exemplum se conformarunt; & illum præ cæteris per horribilis pœnitentiæ exercitia enituisse. Per vos igitur, si lubet, liceat mihi iterum ex vobis quærere, quod a Judæis quærebat Salvator de austera, ac pœnitenti vita, quam S. Joannes in deserto agebat: *quid existis in desertum videre?* Putatisne Sanctum hunc ullicum esse, in delitiis innutritum, & magnificis vestibus indutum? Hujus cilicium, non secus ac illud Joannis magni hunc vobis debet errorem excutere. Hac veste noster Anachoreta indutus fuit, quando primum in hoc stadium ingressus est: hanc toto vitæ suæ spatio gestavit, quin deinceps usquam eam abjecerit. Inde incepit ille vitam prorsus aliam, & oppositam Mundo ducere; sed hæc minima fuit austeritatum illius, & quoddam veluti specimen suæ pœnitentiæ. Quid igitur vos in hoc deserto inventuros putatis? Quid? hominem commode habitantem, tanquam unum ex illis, *qui in domibus Regum sunt.* Ipsi etiam in desertum illius descendamus veritatis hujus testes futuri; videbimus nullum illi stratum esse, & pro domo, atque conclavi merum sepulcrum, ubi vivens adhuc se sepultus est: & sicuti Spiritus Sanctus nos invitat, ut ad mortuorum sepulcra eamus, ibi perdiscuti veram sapientiam, quæ est bene vivendi ratio? Sanctus hic perfectius mundo moriturus, se claudit in tumulo, ibique noctes, dieſque rerum perituraram vanitatem meditatur; ibi incessanter ob oculos habet terminum fatalem in quem omnes conatus, & ambitiosa hominum consilia illisa franguntur. In sancta hac exercitatione interpellatur; & quoniam ipse mundum reliquit, mundus illum quærit illectus celebritate virtutis, & Sanctitatis adeo mirabilis, quæ intra sepulcri hujus tenebras contineri non potest. Catervatim omnes illum in hac solitudine tanquam alterum Joannem Baptistam conveniunt. *Quid existis in desertum videre? Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

S. Antonius S. Paulum eremitam invisit.

Statim ac Deus Antonio revelavit in deserto Eremitam adesse ipso antiquiorem, & provectiorem ætate, quam festine ad illum inquirendum cucurrit; trahens corpus suum abstinentiis infirmatum, & sub annorum, laborumque altissimæ contemplationis pondere incurvum? Qua reverentia, ac timore se ille prostravit ad hujus speluncæ aditum, ut quasi per miserationem a Sancto viro ibi incolente admitteretur? Quo doloris, & pœnitentiæ sensu Pauli gloriam meditatus, pectus suum tundens exclamabat: *Va mihi, misero peccatori, qui ne nomen quidem mereor Eremitæ.* Qua vi efficiebat, ut rupium convexa hoc admirationis nomen resonarent: *Vidi Eliam, vidi Joannem Baptistam, vidi Paulum in suo Paradiso!* Qua veneratione sibi, infirmisque humeris suis tristes imposuit Sancti hujus reliquias, ut illi parentaret, eique extrema sepulturæ officia persolveret! Qua reverentia quotannis solemni die Paschatis Sancti hujus Tunica induebatur? illam in vestem triumphalem convertens ut eadem indutus Jesu Christi triumphum honoraret. *Fleschier.*

Sancti hujus erga discipulos suos lenitas.

Quænam extitit S. Antonii lenitas, ac moderatio erga discipulos suos? Hos erudit, consolatur, edocet quomodo tentationes superandæ sint; prædicat illis non quidem austeritatem, sed prudentem mediocritatem. Solitudo sæpe efficit, ut agreste ingenium induatur, vel enim tibimet austerus es, vel nihil aliis indulges. Vis cuicunque onus imponere, quod ipse ultro geris, quin vel spiritus captum, vel gratiam aliis datam metiaris. Prout ab hominibus magis distamus, magis, magisque humanitatis obliviscimur. Alienam correctionem prætexentes alios persequimur; & nimis pœnitentiæ concedere volentes, charitati mittimus nuncium. In hac vivendi

ratio-

Digitized by Google

ratione ſuperbia non deeſt; neminem perfectum putamus niſi quem nobis ſimilem fieri intuemur. S. Antonius fuit moderatior, & fere primus eſt, qui noverit, ſuiſque exemplis oſtenderit rigidum eſſe ſibi, aliis vero indulgentem. Ille omnia Jeſu Chriſti gratiæ retulit accepta, & credidit rationem habendam eſſe imbecillitatis, nos poſſe acceptos eſſe Deo, quin eidem ſimiles fiamus. *Idem*.

Suam tuetur humilitatem inter honores quibus afficitur.

Quicunque honor Sancto huic Eremitæ adhibitus fuit, ſemper ſartam tectam ſervavit humilitatem ſuam inter honores, qui ſibi a mortalibus deferebantur, & ea in poteſtate, quam illi contulit Deus, Populi, & Imperatores illius præſidium, & preces implorant. Prodigium! Elementa voci ejus obtemperant: feræ ipſæ apud illum cicures fiunt, morbi deſperatæ curationis viis ejus, & vi orationum ejus receduut. Illud vero quod majorem ciet admirationem, hoc eſt, quod omnia Deo referens accepta, non inflatur curationibus, quas operatur; non dolet, ſicubi quædam ex voto non accidunt; æquis oculis utraſque videt; potentiam æque ac impotentiam ſuam nullo habet in diſcrimine; & Deo gratias agit miraculorum tum quæ fecit, tum quæ facere non potuit. *Idem*.

Magna Antonii celebritas.

Nonne admirabile eſt, quod homo, qui ut ab uno Deo cognoſceretur, diutiſſime in ſepulcro latuerat, & qui in penitiores receſſerat ſolitudines, ſedem mutans ſtatim ac ad ſe mundum confluere videbat, prohibere non potuerit, quo minus ſanctitatis ſuæ odor effunderetur, non dico ſolum in Ægyptum, verum etiam in Orientales, atque Occidentales plagas, & in omnem fere terram, quæ incolitur; Fruſtra quæruntur tenebræ, cum aliquem Deus ſua luce perfundit. Sancti noſtri celebritas eo uſque crevit, ut ab iis qui de eo loquebantur, quin nomen proferrent, diceretur *Magnus ille*. Hic eſt Vir magnus, vel homo Dei. Et profecto dicendum eſt nominis ejuſdem famam late percrebuiſſe quandoquidem pervenit ad aures Conſtantini; qui pluries ad eum litteras miſit, eique imperium ſuum commendavit. Cum S. Athanaſius illum Alexandriam arceſſivit, ut Catholicorum cauſam adverſus Arianos tueretur; occurrit illi ex ſedibus veluti ſuis convulſa tota ingens illa civitas, & qui illum oculis ſuis aſpicere poterat, beatum ſe eſſe putabat. Fama ejus Romam uſque pervaſit, ubi palam ejus imago expoſita fuit. Si honor illis defertur, qui a Regibus decorantur; ſi illis ſimulacra excitantur, num mirum eſt, ſi ille, quem Deus honorari vult, honoretur; *Sic honorabitur, quem Deus voluerit honorare*. Si ex me quæritis, cur voluerit Deus, Sanctum hunc tanto in honore haberi; facilis mihi eſt reſponſio, quia Deus pollicitus eſt ſe illos glorificaturum, a quibus glorificabitur. Certum eſt S. Antonium pro virili parte amplificaſſe gloriam Dei, hortando fideles, ut veram fidem amplecterentur, hæreticos, ut hæreſes ſuas ejurarent, infideles, ut veram fidem amplecterentur, Catholicos, ut pie, & colerent, & diligerent Jeſum Chriſtum. Auctor fuit quamplurimis, ut omnibus ſæculi vanitatibus nuncium mitterent & frequentavit deſerta anachoretis, qui ſub illius diſciplina vitam ducebant Angelicam. Deo igitur acceptus referendus eſt magnus hic nitor, qui Antonii nomen in omnibus Provinciis adeo celebravit. Non ſcriptorum multitudo, non humanæ ſapientiæ diſputationes, non generis nobilitas, non divitiarum magnitudo illum adeo commendarunt; ſed Deus, qui ex caligine tenebrarum eduxit hominem, qui in inviis, atque in inhoſpitalibus ſolitudinibus delituerat, ut inde illum produceret tanquam lumen Africæ, Hiſpaniæ, Italiæ, & mundi totius Metropoli coruſcans. Ita Deus ſervos ſuos licet invitos colit, Sanctum hunc plurimis modis honorificavit. Illi enim & miraculorum & Prophetiæ donum contulit. Dæmones ſolo ſuo nomine licet abſens ejiciebat, omne morborum genus curabat; cordium ſecreta explorata habebat, & portendebat futura, cujus rei teſtis eſſe poteſt perſecutio ab Arianis Alexandriæ excitata. Denique qui omnia hæc inſignia facta referre vellet, opus nullum unquam finem habiturum ſuſciperet. *P. Duneau*.

Esther 6.

Deus qui S. Antonium in deſertum adduxerat, ut a ſeculi flagitiis illum præſerraret, illinc eduxit eum ut ſeculi malis mederetur, & hæreticos confunderet.

Neque ſatis erat vieiſſe mundum, & ſeipſum, ac toties de Dæmoniis triumphaſſe; Providentia alia de Antonio miſcebat conſilia. Illum in deſertum adduxerat, ne malis mundi præverteretur exemplis; & ex deſertis illum volebat educere, ut optimis exemplis, quæ daturus erat, mundum ſanctificaret. Deus illum in deſertum adduxerat; ne error ſpiritum ejus corrumperet, & ne illum mutaret nequitia; illinc autem educere volebat prohibiturus, ne error, & nequitia ſpiritum aliorum corrumperet. Adduxerat illum in deſertum Deus, ut triumphum referret de Dæmoniis, qui ad illum tentandum impetu facto irruerent; atque illum adducere volebat, ut eoſdem Dæmones contereret, atque confunderet in Arianis miniſtris, atque vicariis eorum. Illic Deus uſus fuerat eo, quod infirmiſſimum erat: ad fortiſſimas poteſtates conterendas, hic utitur eo quod minus eſt ſapiens, ut confundat id, quod ſapientiſſimum videbatur. Illic Antonius ſine armis, & ſine vi integras inferorum legiones proſtraverat; hic Antonius ſine doctrina, ſine ſtudio, ſine commercio diſſipat quidquid acutiſſimum eſt, vel ut cum Apoſtolo dicam, quid magis ſpiritale eſt in nequitia. Quod prodigium! Hoc nunquam intelligeremus, niſi ſciremus. Antonium nequaquam ſolum in deſerto præliatum fuiſſe contra Dæmones, ſed Deum in Antonio, neque ſolum Antonium Alexandriæ locutum fuiſſe contra Arianos, ſed Spiritum Sanctum per Antonium. Credere poſſumus S. Athanaſio, quem veritas, & grati animi ſenſus erga generoſum animum impulere, ut glorioſum hoc teſtimonium perhiberet, nullum unquam inventum fuiſſe potentiorem verbis, & operibus quam Antonium, nullum Eremitam, qui, tantam ſibi reverentiam conciliaverit; nullum Confeſſorem qui audacius veram fidem fuerit profeſſus, & adverſarios illius fortius debellaverit. De hac ſcripſit Conſtantino Imperatori, qui eum ſua dignabatur amicitia, de hac verba fecit cum Epiſcopis Catholicis, quos ille animavit, ut ad mortem uſque ſuſtinerent gloriam Chriſti Jeſu; de hac ſemones ad populum habuit unctione, & virtute plenos, & ubique reliquit æterna ſuæ conſtantiæ, & zeli ſui monumenta. *Elogia Hiſtorica*.

S. Antonius Sophiſtas Arianos cōfutat.

Præſtantiſſimum teſtimonium, quod S. Antonius Jeſu Chriſto perhibuerit, illud fuit, tunc cum auditis in deſerto Arianorum blaſphemiis de ſolitudine egreſſus eſt, atque ad tempus a diſcipulis ſuis receſſit, ut generoſe pergeret ad confitendam Jeſu Chriſti divinitatem contra infelices illos hæreticos, qui eandem evertere conabantur. Tunc præſetulit quantum adhæreret veritati fidei; tunc diuturni ſilentii finem faciens elata voce conſeſſus eſt Verbum Patri conſubſtantiale; tunc exhibens mundi oculis ſenem, qui inter auſteritates, & in deſertis incanuerat; ac ſuſtinens ſuæ ſanctitatis exemplum, atque celebritatem ſtupendis miraculis, quæ operatus eſt, non minus eluxit in maxima hac Religionis veritate firmanda, quam diſerti Sanctorum Doctorum calami in eadem tuenda. Quis non admirabitur, tanquam prodigium, humilem Antonii ignorantiam victricem de ſuperba Hæreticorum ſcientia, gloriam divinitatis Dei Filio negantium; Ariani, ut impietati ſuæ fidem concilient, in urbe Alexandriæ jactitant inſignem hunc Anachoretam eum illis ſentire; magni hujus hominis fama nonnullos decipit, ſed ad enixas Epiſcoporum preces, & nominatim S. Athanaſii, illuſtris hic divinitatis Jeſu Chriſti patronus Eremita noſter deſerta, montesque relinquit, deſcendit in urbem, ibique ſuo aſpectu, ſuiſque ſermonibus impudentiſſimos confundit hæreticos. Populus univerſus exultat gaudio, & palam profitentur nigrum thita ſuffigendum eſſe errori qui a tanto hoc viro damnatur. Nonne prodigii loco habendum eſt, quod Doctores, & Eccleſiarum Antiſtites humilem hunc arceſſant ignarum, ut in veritate propuganda ab eo lumen, præſidiumque mutuentur? Pauperem hunc Anachoretam, qui non aliam habuit Academiam, niſi dirutæ arcis maceriem, aut arbores in deſerto, ſublimioris Theologiæ Doctor evadat? Nonne dici poſſet cum S. Gregorio Nazianzeno vocem illius fuiſſe tonitru, quia vita illius fulgor extiterat; ſuffragium illius tanquam fatis amplam erroris oſtenſionem fuiſſe; ſententiam illius locum habuiſſe demonſtratæ veritatis; quoniam nomen ejus ſanctitatis validiſſimum erat fidei argumentum? *Ex Specimine Panegyricorum, & ex P. Texier*.

S. Antonius diſputat cōtra Philoſophos Ethnicos eoſque confundit.

Deus non ſolum delegerat Sanctum Antonium, ut Anachoretas eruditet, verum etiam ut confunderet Ethnicos. Et profecto nonnulli Philoſophi inſolentius doctrinam ſuam oſtentantes cum credere non poſſent rudem hominem habere poſſe eas omnes qualitates, quas publica fama ferebat, periculum facere cupiunt ſpiritus ejuſdem, atque doctrinæ. In deſertum igitur ſe conjiciunt illum adituri. His obvius occurrit Antonius, eoſque ex oris corporiſque habitu cognoſcens. Cur inquit, tantum itineris laborem ſuſcipitis, ut per interpretem cum inſipiente loquamini? Si credidiſtis vos inventuros ſituum, næ vos quidem in irritum voſmet fatigaſtis: ſin autem creditis mihi ſenſum, ac rationem ineſſe, me imitamini. Capti illi viri hoc verbo adeo cordato, ac prudenti, præſertim vero accedentibus miraculis, quæ coram ipſis operatus fuit, receſſerunt ſpiritum, ac poteſtatem illius admirantes. Novit ille eis opportune, ac ſolerter exprobrare deorum ipſorum infamias, noſtræ Religionis illis aperuit myſteria, & validis Apologiis ea diluit crimina, quæ Ethnicorum ſuperbia in Chriſtianiſmo veluti contemnenda objiciebat. Fateor equidem quidquid a Sancto Athanaſio narratur, ſuaviſſimum eſſe, & ſi qui capere poſſunt opera illius hoc in argumento, vellent eundem curioſitatis ergo conſulere, invenient me ne tranſverſum quidem unguem a fideli magni hujus Epiſcopi narratione aberraſſe. *P. Texier*.

S. Antonius generoſe ſe objicit martyrio & ad illud hortatur confeſſarios nomi. J. C.

Maximianus Imperator Jeſu Chriſti gregem depopulabatur, & ſitiebat ſanguinem Chriſtianorum tanquam lupus rapax. Antonius martyrio ſe præparat, & diſponit, deſiderio ſuccenſus vitæ ſuæ finem faciendi glorioſo certamine inito contra ferventiſſimum Idolorum cultorem. Sanctus noſter hoc animatus ſpiritu, quo repleti erant primi Martyres, loquebatur eo modo, quo Ignatii, & Polycarpi. Frumentum Dei ſum, ajebat ille; utinam leonum dentibus molar: utinam omnia dæmonis tormenta ituant in me; nihil timeo, dummodo ſancte conſum-

Digitized by Google

ſummem curſum meum. Exeditur ergo de latebris ſuis, & videtur ad martyrium feſtinans properare: illos inflammare, qui in aciem ad coronam hanc ſibi promerendam deſcendebant, eiſque oſtendere Cælum apertum, ut ad martyrium ſubeundum accenderet. Offerebat ſe, ut ſocius fieret pœnarum, & ſuppliciorum; vel ſaltem cupiebat eſſe ſpectator triumphi eorum, ejuſque particeps fieri, quaſi ipſe viciſſet. Videbatur venerabilis iſte ſenex pœnitentia, & auſteritatibus ad maciem redactus ſola fortitudine ſuffultus, modo ſtare ad carceris fores, eras ad eculeos comitari Sanctos Confeſſores: conatus eſt etiam carnifices, ac Tyrannum irritare, prodiens quadam die in ſublimi loco alba indutus veſte, ut oſtenderet, ſibi in votis eſſe, fratribus ſuis comitem accedere, neque rediit in ſolitudinem poſt hanc procellam, niſi plorans eo quod inventus non fuerit dignus, qui ſanguinem ſuum cum tot Martyrum cruore immiſceret; ac petiit ſolitudinem ſuam, ut iteratis auſteritatibus in ſe perficeret, quod facere noluerat tyrannus, & factus eſt magis, quam ante, martyr pœnitentiæ. *Sermo Manuſcriptus.*

Eadem argumenti. Sancti Antonii ævo periculum fuit, non ſolum ut corrumperetur Eccleſia, verum etiam ut prorſus exterminaretur a Tyranno, qui in Ægypto cruentiſſimam excitavit contra Chriſti fideles perſecutionem. Antonius illam prædicens prophetaverat, ſed ſperavit ſe futurum plus quam Prophetam, adjiciens martyris qualitatem, ad quam anhelabat. Hoc profecto illi non contigit decus, quod magno Joanni Baptiſtæ fuerat conceſſum; tamen gloriam, & meritum martyrii adeptus eſt coram Deo propter flagrantiſſimum illius deſiderium. Hoc ſpectaculum, Angelorum ſimul, & hominum admirationem excivit; videre Anachoretam ex deſerti ſui latebris prodeuntem, ut Martyres animaret, & ut ſeipſum millies objiceret martyrio; ita ut, cum alios mortis timor, vel potius timor, ne ſatis ſibi virium, ac fortitudinis eſſet ad ſubeundos cruciatus, quos Chriſtianis tyranni minitabantur, in ſpecus, ac deſerta compulerat, deſiderium, & ſpes ejuſdem martyrii hunc ex latebris eduxerit ſuis, ut ſe conferret Alexandriam, quæ facta erat horroris theatrum; & ubi Chriſtianorum ſanguis per omnes plateas diffluebat. Ita eadem ille excitatus æmulatione, qua alias imitabatur virtutes, quas in fratribus ſuis pœnitentibus, & ſollicitus ſuſpiciebat; martyribus tantam invidens felicitatem, ſequebatur illos cum ad patibulum pertrahebantur, eis ſpe coronæ propoſita, quæ ipſos in cælo manebat ad pugnam hortaturus. Ipſe ſemet offert tortoribus effuſurus modicum illud ſanguinis, quod ætas, & pœnitentiæ rigor eidem in venis reliquerat. Jucundiſſimum, iterum dicam, erat ſpectaculum, illum videre curſitantem ad carceres, ut eos conſolarerur, qui illic detinebantur, ad labefactandam conſtantiam diuturnæ captivitatis faſtidio; & comitantem eos, qui rapiebantur ad ſupplicia, ne cruciatuum aſpectu deterriti a fide deſciſcerent. Tortores fruſtra ſanctum hunc ſenem repellunt, ac Tyranni vetant, ne illi permittatur acceſſus. Domuum tecta aſcendit, alba induitur veſte, ut ſe conſpiciendum facilius præbeat, ac inde vocem attollit ſuam, ut illis animum adjiciat, attollit & manus, ut illis cælum oſtendat, quo mox triumphum agentes ingreſſuri ſunt. Eos vero, qui vocem ſuam audire minime poſſunt, nutibus, geſtibuſque adhortatur, & quodammodo toties martyr eſt, quoties vitam objicit ſuam; & quot illi ſunt, quos ad martyrium ſubeundum acribus, viviſque ſuis hortamentis inflammat. Sed ratio, quæ habita fuit ætatis, atque virtutis ejuſdem (etenim ex æquo ferme illud idolorum cultores, & Chriſtiani reverebantur) prohibuit, ne illi votorum ſuorum ſummam conſequeretur minime admiſſus in ſocietatem eorum, quos adeo potenter ad patiendum hortabatur; ſed in deſertum ſuum poſt perſecutionem reverſus pœnitentiæ martyrio conſecravit reliquum illud vitæ ſpatium, cui tortores, tyrannique pepercerant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem argumenti aliter elatum. Antonius zelo ſuccenſus vitam ſuam pro Salvatore tradendi ſe confert Alexandriam; currit eo ubi Martyres ſunt; ingreditur carceres, deſcendit in tenebroſos locos conſolaturus illos Athletas Chriſtianiſmi; concomitatur Sanctos Confeſſores ad judicum tribunalia, libera voce illos ad perſeverantiam hortatur, ſine cruciatuum, aut mortis timore; Tyrannus Antonii conſtantiam admiratus, videns illum animum adjicere martyribus, vetat ne quis horum Anachoretarum in publicum prodeat, & præcipit, ut ſine mora omnes excedant ex urbe. Reliqui cenſuerunt operæ pretium die craſtina palam ſibi nequaquam prodeundum eſſe: & proculdubio prudenter operati ſunt; ne Tyrannum magis, magiſque contra martyres irritarent. Sed Antonius Spiritus Sancti motu actus Tyranni interdictum contemnit; induitur toga candida, ut facilius inſpiciatur; eminentius occupat faſtigium, ut a Tyranno, ejuſque lictoribus melius deprehendatur. Tota die permanet eodem in ſitu, quin Præfectus, aut ejus ſatellites ne verbum quidem audeant proferre, non ſine ſtupore illic ab Ethnicis ſimul, & a Chriſtianis conſpectus. *P. Texier.*

Ad quem perfectionis gradum Sanctus hic Anachoreta noſter pervenit? Ipſi conjicite ex mediis iiſdem quibus uſus eſt. Omnia a teneris unguiculis relinquere, in deſertum ferre Baptiſmi innocentiam ſancta educatione exeultam; ſanctificatum fuiſſe exemplis parentum, qui irreprehenſibilem vitam ducentes in viis Domini gradiebantur, latere in deſertis, ne ullum amplius haberet cum hominibus commercium, ſed cum beatis ſpiritibus tantum; dies noctesque in labore, & oratione traducere; ardenti perſecutionis ſuæ deſiderio flagrare, & omnia bona exempla colligere, quæ in aliis Solitariis intuebatur ad illa imitanda; nonne hæc vera via eſt, per quam ad perfectionis apicem pervenitur? Quam amplam meſſem non collegit illa, quandoquidem tantum ſeminaverat? Videbat Antonius Solitarium, qui eminenter lenitatis virtutem poſſidebat, & hunc ſibi proponens tanquam exemplum, illum exæquare, immo etiam ſuperare conabatur, ſibimet ipſi dicens; non fruſtra a Deo exemplum hoc ſibi proponi; & hanc vocem eſſe, qua ſibi dicebatur, ut olim Moyſi: *Fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* In alio Eremita emicabat vigilantia, in alio donum orationis: Antonius imitabatur apum induſtriam, fugebat veluti ſuccum harum virtutum; ſervabat in theſauro cordis ſui pretioſa hæc ſpolia, & contendebat intra ſeipſum complecti hæc varia dona in aliis quidem diſperſa, ſed in ſe hoc pacto collecta. Simus, quæſo, fratres mei, Sancti hujus imitatores; & nobiſmet perſuadeamus, Deum non fruſtra nobis bona exempla proferre; hæc imitari conemur, locupletemur bono, cujus jacturam non faciunt fratres noſtri; ſed quod econtra reddit virtutes noſtras uberiores, & ampliori mercede dignas, ubi illi in nobis ſanctam æmulationem influentur. *P. Cauchemer.*

S. Antonius ad Chriſtianæ perfectionis apicem pervenerat.

Mors S. Antonii. Denique Magnus Antonius Salvatoris amore, & ſumma devotione erga Sanctiſſimam illius matrem, cui ſe totum dicaverat, incenſus dono Prophetiæ, & miraculorum in ſingulari veneratione apud viros Principes, nec non apud omnes terrarum populos, habitus Hæreticorum malleus, dæmonum terror, Eccleſiæ ornamentum, deſerti miraculum, ſæculi ſui admiratio; quintum ſupra centeſimum annum agens, quorum octuoginta quinque in auſteriſſimæ pœnitentiæ exercitatione traduxerat, poſtquam extremum vale dixit dilectiſſimis filiis, & ab illis extremos amplexus accepit non vulgarem præferens lætitiam ad beatorum ſpirituum aſpectum, qui aderant extremo ejuſdem ſuſpirio, tranquilliſſime reddidit animam ſuam Deo. Sancti hujus Anachoretæ vita pluris valet, quam mors quam ſubire concupierat, & quantum zeli præſetulerat in animandis Martyribus, tantum zelus idem enituit in efformandis illuſtribus Confeſſoribus, & Sanctis Eremitis, qui de illius nomine nuncupantur, qui glorioſam illius poſteritatem conſtituunt, qui ad hanc quoque diem ſub ejus auſpiciis contra mundum decertant; & qui Patris ſui exemplum ſecuti de Eccleſia, & Religione cum laboribus ſuis, tum virtutis ſuæ exemplis benemerentur. *Ex variis Auctoribus.*

Quanta eſſet celebritas Sanctitatis S. Antonii dum adhuc viveret? Magnus Antonius non hærebat amplius terræ; corpus ejus, nonniſi animæ ipſius carcer erat, animi affectiones non turbabant ultra rationem; ſenſus non feducebant ſpiritum ejus, & feliciter ſupra ſejpſum aſſurgens potius homo ſpiritualis erat; quam homo mortalis. Ipſi etiam Monarchæ illum tanquam Sanctum intuebantur; in difficillimis rebus cum conſulebant, in neceſſitatibus eſſe illi commendabant, coronas ſuas & imperia illius patrocinio ſubjiciebant, & ad illum epiſtolas ſcribentes cum illo quaſi cum homine prorſus divino ſefe gerebant. Sed quomodonam recipiebat ille hos honores? quo ſtylo epiſtolis eorum reſpondebat? quomodo agebat cum ſummis illis Principibus, qui videntur felices, ac beatos efficere ſubditos ſuos? Miſerebatur fallacem eorum magnitudinem, quæ illos perſtringebat, verebatur magis inſidias, quas illi ſtruunt adulatores, quibus ſepti ſunt; orabat, ne eorum potentia cauſa fieret illorum interitus, ut in regni ſolio ſervarent humilitatem, & reminiſcerentur ſe homines eſſe, cum omnes qui illis circumſtabant, perſuadere illis volebant, ipſos eſſe Deos. *P. Senault ex Oratorio.*

Converſiones, quæ operata eſt lectio vitæ Sancti hujus. Exhortatio ad illum imitandum. Quot celebres converſiones Sanctus noſter Anachoreta, dum viveret, operatus eſt? Quot vero poſt mortem? Nonne ad vitæ ejuſdem lecturam aulici in Mundo impediti vinculis eximiæ fortunæ, omnia perfringunt, cæcitatem ſuam confitentur, & ambitionem, atque agnoſcentes nihilum mundi ineunt conſilia traducendi reliquum vitæ ſuæ ſpatium in lacrymis, & gemitibus ſicut Antonius? Paulæ, Marcellæ, Sophroniæ ad lectionem vitæ S. Antonii commotæ nonne Romæ delicias reliquerunt, ut recederent in ſolitudines, quas ſuis pœnitentiis ſanctificarunt & numero earum, quas odor virtutum ſuarum attraxit? Nonne in legenda magni Sancti hujus vita Auguſtinus prima Iniit conſilia ſe Domino conſecrandi? Sanctus hic, cujus mens adeo perſpicax erat, effectus gratiæ in S. Antonio admirabatur, & confitebatur unum Jeſum Chriſtum efficere poſſe homines adeo raros, & minime vulgares. Oh ſi tractus illi, quos nobis S. Auguſtinus reliquit in narratione de S. Antonii vita, poſſent in cordibus noſtris gignere eundem effectum, quem in aulicis Theodoſii Imperatoris, & in ejuſdem Auguſtini corde genuerunt! Sancti hujus virtutes non

ſunt

Digitized by Google

sunt inimitabiles, quandoquidem illas in semet ad unguem expressit debilior sexus. Nunquid nobis non licebit facere id quod tot animæ sanctæ fecerunt, quas ante pœnitentiam luxus molles reddiderat? Si in Sancti hujus Patriarchæ historia admirabiles continentur virtutes, nonne illas ad captum nostrum redigere possumus, easdem exercentes in gradu, qui nostram deceat imbecillitatem? Non exigit a nobis Deus, ut imperemus dæmoniis, quod Sanctus hic operatus est, & cui illa paruerunt; neque ut curemus infirmos, & cæcis oculorum aciem restituamus; sed petit profundam humilitatem, abrenuntiationem terrenarum rerum omnium, perfectam nostrummet abnegationem, odium corporis nostri: eorum, quæ superflua sunt, abdicationem; jugem orationem; jejunia congrua numero, & magnitudini criminum nostrorum, & nostræ valetudinis statui. S. Augustinus virtutes has ad altissimum gradum extulit, Deus communem dumtaxat gradum petit, ut faciamus satis, & Evangelio, quod nobis hoc munus imponit, & ineluctabili necessitati imitandi virtutes Sanctorum. *Sermo Manuscriptus.*

Salutaris consideratio Sancti consilii, quod cepe-runt aulici duo, de quibus locuti sumus, sedentes legere vitam S. Antonii.

Magni hujus Sancti Elogio finem facere melius nequeo, quam salutari ea consideratione, quam fecerunt Aulici duo legentes vitam illius, & quam Augustinus adhuc peccator se quoque fecisse testatur. *Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei causa militamus? Major ne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi, quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddit oculos paginis, & legebat, & intuebatur intus, ubi in videbas: & exsurgebat mundo mens ejus, ut mox apparuit: Namque dum legit, & volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, & discrevit, decrevitque meliora; jamque tuus, ait amico suo: Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo servire statui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior; ee si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socio tanæ mercedis, tantæque militiæ.* Prudentes istæ duorum aulicorum considerationes, & illa, quam Sanctus ipse Augustinus fecerat, cum Potitianus, qui conversionis eorum testis fuerat, omnes illius retulit circumstantias: Cur vos etiam non faciatis? Vestra æque hoc interest, ac sua; eædem vos causæ impellunt; eædem vobis exponitur vita; Faxit Deus, ut hæc in vobis eosdem pariat effectus; ut vere cum Deo in gratiam reversi, ejusque amicitiam adepti fruamini ea mercede, quam ille repromisit diligentibus se. *Ex Confess. S. Augustini.*

PRO SANCTÆ AGNETIS VIRGINIS, ET MARTYRIS PANEGYRICO.

MONITUM.

Quandoquidem fieri nequaquam potest, ut supellectilem suppeditemus ad omnium Sanctorum panegyricos exornandos, jam vos admonui me collectaneæ hæc meæ pro iis tantum ministraturum, qui frequentius haberi consueverunt (& quatenus festivitatum ordo permiserit) pro illis, de quibus Auctores loquentes nactus fuero, ex quibus haurire possim ea, quæ ad sermonem replendum sufficiant. Quamvis autem in hac Electione eorum rationem habuerim, quorum character sit maxime singularis; nihilominus hac eadem rerum copia poterit esse communis cæteris, quorum character non longe absimilis est, vel non ita distat, cujusmodi sunt omnes fere Virgines, quæ martyrium pertulerunt per eosdem cruciatus, eadem constantia, iisdemque in circumstantiis.

Nihilominus S. Agnes juxta ordinem a me institutum, primum debuit locum obtinere inter alias, quæ forsasse illam meritis exæquarunt. 1. Quia una est ex notioribus, & cujus festivitatem non semel quotannis celebrat Ecclesia. 2. Quia illi præ cæteris contigit, ut præcipuæ Ecclesiæ lumina Ambrosii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, aliique plures laudes ejus celebrarent. 3. Quia licet Luciæ, Dorotheæ, Agathæ, Ceciliæ, alieque plures Virgines cum illa comparari possint multitudine, & sævitia tormentorum, quæ eadem de causa passæ sunt; Sancta Agnes tanto in numero eminet ob tot circumstantias ætatis, loci, ac multiplicis periculi, quod de ejus fidelitate factum est, ut Concionatores in his collectaneis inventuri sint, quod ad elogium prorsus particulare concinnandum sit satis, & super.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. ad Cor. 1.

I. INcomparabilis Sancta Agnes inter cæteras Virgines; quarum enituit fortitudo in fide, & puritate tuenda, adeo resulsit, ut merita fuerit elogia gravissimorum Ecclesiæ Doctorum, & sæculorum omnium admirationem. Quapropter non dubito illam hodierna die vobis exhibere tanquam exemplum summæ potentiæ, quam habet gratia, quæ infirma Mundi elegit, uti Apostolus loquitur, ut confundat fortia, videlicet ea duo superet, quæ secundum hominum opinionem sunt magis invicta. Credo equidem æqui bonique facietis hoc elogium, ubi vobis ostendero:

1. Sanctam Agnetem fortitudine cælitus indutam restitisse ea constantia, quæ sexum, ætatemque illius superabat, quidquid artium perditus amor Tyranni excogitare potuit ad cor illius seducendum, eique mentem auferendam, non alium unquam habendi Sponsum, quam Salvatorem.

2. Illam cum heroica constantia passam fuisse, quidquid suppliciorum alterius Tyranni furor adhibuit ad constantiam illius labefactandam, & efficiendum, ut illa fidei, atque Religioni suæ abrenuntiaret.

Pro parte priori videbimus: S. Agnetem ab alto fortitudine indutam strenue restitisse supra sexum, ætatemque artibus Tyranni. Rejiciendo promissiones, & oblationes rerum earum, quæ magis humanos illiciunt animos, honores, voluptates, opes, dignitates, existimationem, genus, meritum, idque citra omnem dubitationem; quoniam Sancta hæc ad alios anhelabat honores, alias voluptates, & opes incorruptibiles. 2. In ludibrium vertendo intentatas sibi minas, carceres, omniaque genera suppliciorum.

Pro parte altera: illam generosa constantia passam esse omnes alterius tyranni crudelitates. 1. Exposita fuerat in lupanar; quia omnino in Cælesti Sponso confidens, illi curam animæ corporisque sui curam commiserat, sperans fore ut ab omnibus periculis præservaretur, qua in re inanis nequaquam fuit ejus expectatio. 2. Passa est ignem, & gladium, non secus ac primorum sæculorum Martyres cum amore, sanctaque impatientia, quæ innuebat, illam hoc semper concupiisse, & votorum suorum cumulum jam esse assecutam. In duobus hisce exemplis fortitudinis, & incomparabilis generositatis animus fert totum Magnæ hujus Sanctæ complecti panegyricum, & confirmare quod dixit Apostolus: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, amorem videlicet, & mortem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

II. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31. Quemadmodum Actus maxime heroicus, cui par fit cor hominis hic in terris, situm est in sacrificio vitæ suæ, suiquemet ipsius quod supremo rerum omnium Domino facit; sequitur Virginitatem, atque Martyrium esse effectum amoris purissimi, & perfectissimi, quem cognoverimus. At Sancta Agnes duplex hoc sacrificium obtulit, idque iis cum circumstantiis, quæ eo magis gloriam ejus commendant, quo magis particulares sunt, & personales. Eas paucis com-

Digitized by Google

plexus est S. Ambrosius. *Devotio supra ætatem, virtus supra naturam.* Eas animadvertite, si vobis lubet, illis enim uti fert animus, & inde fundamentum, atque partitionem elogii præstantissimæ hujus Virginis efficere.

1. Deum amavit eo usque, ut illi personæ suæ faceret sacrificium ea in ætate, qua aliæ vix illum agnoscunt; *Devotio supra ætatem*, hæc prima pars erit.

2. Deum amavit eo usque ut illi vitæ suæ faceret sacrificium ea ætate, qua infirmitas corporis sui videbatur illam constituere extra jactum sævitiæ inimicorum Christiani nominis: *Virtus supra naturam*; quæ pars erit altera. Quid pulchrius primo hoc sacrificio, ætate adeo tenera expleto? Quid majus altero sacrificio hoc ætate adeo parum provecta absoluto? Admiramini igitur Sanctam, quæ Deum adeo perfecto amore dilexit ea ætate, qua ab aliis vix cognoscitur; Admiramini igitur Virginem, quæ suam obtulit vitam propter Deum ætate adeo parum provecta. O me felicem, si vobis utramque hanc propositionem enucleans, excitare in vobis potuero non quidem sterilem admirationem, sed admirationem conjunctam cum desiderio Sanctam hanc imitandi. *P. Stephanus Camillart, Sermone Manuscripto.*

III. *Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.* Prov. cap. ult.

1. Dei Filius elegit puellam tresdecim annos natam, sexu infirmam, ætate infirmam, viribus infirmam, non autem animi robore, ut ostenderet potentiam gratiæ, & amoris sui. Nullum fuit illecebrarum, & sævitiæ genus, quod intentatum reliquerit infernus ad constantiam illius labefactandam; sed hos omnes tenebrarum conatus, & insidias inutiles reddidit, & semper cælesti Sponso fidelis permansit. 2. Superavit profani amoris flammas, quas in corde ipsius dæmon accendere conabatur. 3. Contempsit ardentem rogum sibi præparatum ad constantiam suam deterrendam. *Fortitudo.*

S. Maximus de S. Agnete. 2. Ornaverat illam Deus pulchritudine æque ac fortitudine; non quidem solum pulchritudine corporis, quam negligebat, & propter quam, ut insignis testatur Episcopus, pudore suffundebatur; sed virtutum, quibus abunde cumulata erat, & quæ una oculis ejus placere potuit. Ornaverat enim illam. 1. Angelica puritate, qua omnes mundi superavit illecebras, & omnes urgentissimas sollicitationes ad ampliſſimas nuptias, quibus eamdem honorare putabant. 2. Amore tenero, & inflammato erga Salvatorem, qui effecit, ut alium quemlibet affectum prorsus perhorresceret. 3. Perfecta confidentia in Jesum Christum, in cujus protectione suam constituit Virginitatem, & qui re ipsa ab omnibus, quæ ipsi nectebantur, insidiis illam liberavit. *Et decor indumentum ejus.*

3. Deus illam cumulavit lætitia, & gloria inter ipsos cruciatus. Ingressa locum, ubi pudicitiæ illius labes erat inferenda, aspectu suo infame lupanar illud in Sanctuarium convertit, & effundens ubique puritatis odorem, ingentem infidelium numerum in generosos convertit Martyres, sanctosque Confessores Jesu Christi, qui illi fuit tanquam murus æneus contra omnes Tyrannorum conatus, tanquam fidelis custos, & vigilans propugnator; quæ causa fuit, ut Sancta hæc Martyrii sui tempus respexerit, 1. Tanquam felix momentum, quo ab omnibus periculis liberabatur, 2. Tanquam initium suæ beatitudinis, & diem sui triumphi. *Ridebit in die novissimo. Ex Meditationibus P. Nouet.*

IV. *Liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, a præsura flammæ quæ circumdedit me: in conspectu astantium factus es mihi adjutor.* Eccles. 51. Initium Panegyrici Sanctæ Agnetis nequeo felicius facere, quam per eadem verba, quibus Ambrosius alias suum exorsus est: cum enim divinam admiratus fuisset Providentiam, quæ mentem illi injecerat elogium Virginitatis texendi, eadem die, qua celebrabat Ecclesia Magnæ Sanctæ hujus festivitatem ad omnes fideles conversus pari cum venustate, ac robore dicit illis: *Natalis est Virginis, integritatem sequamur: Natalis est Martyris, hostias immolemus. Natalis est Sanctæ Agnetis, miretur vir, non deſperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ.* Si illam Virginem appellavero, eam Angelis exæquabo cum Deo regnantibus, si martyrem dixero, illam supra Seraphim extollam, quæ possunt quidem amare Deum, sed quæ propter Deum mori non possunt. Si Virginem, Martyremque vocavero, hic absolutissimus erit illius Panegyricus, & illam constituam super Virgines, quæ sanguinem suum pro Jesu Christo non effuderunt, & super Martyres, qui eidem virginitatem suam non consecrarunt. Sed quia multæ sunt Sanctæ, quæ Virginum qualitatem addidere qualitati Martyrum; & quæ duplici victoria de voluptatibus, & de dolore triumpharunt; ut illam ab omnibus Sponsis Filii Dei secernam cum illa gloriosos duos hosce titulos possidentes, mihi per vos liceat illa connotare discrimina, quæ potissimum illam distinguunt, & vobis ostendere,

1. Virginem, quæ turpitudinis locos præsentia sua consecrat.

2. Martyrem, quæ per constantiam suam tormenta in delicias mutat, & in gaudii argumenta. In priori parte videbimus, magnam esse puritatis potentiam; quæ publicum impudicitiæ locum potest in Sanctuarium convertere; in posteriori autem; virtutem ab alto profectam facile posse de teterrima Tyrannorum crudelitate triumphare. *P. Senault ex Oratorio.*

V. *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. S. Agnetem triplici in statu possumus considerare. Primum in loco nativitatis suæ, & in paterna domo, ubi educata fuit, 2. In loco turpitudinis, ad quem perducta fuit. Tertio in platea, ubi cruciatibus omnibus fuit exposita. Sanctæ hujus Virginis virtus triplici hoc in statu, a tribus variis inimicis fuit oppugnata. Paterna in domo sollicitationibus Tyranni, qui ejus forma captus erat: In lupanari sollicitationibus impudentissimorum juvenum, qui pudori illius vim facere conati sunt; in loco supplicjorum sævitia carnificum, qui vitam illi abstulere. Sed videbimus fortitudinem, & generositatem insignis hujus Sanctæ; quandoquidem de tyrannotum sollicitationibus, de flagitiosorum impotentia, deque carnificum suppliciis triumphavit.

1. Triumphat de tyranni sollicitationibus, generose resistens omnibus minis, atque blanditiis.

2. Triumphat de impudentium violentia, per miracula, quæ operatur.

3. Triumphat de suppliciis carnificum per fortitudinem, invictamque constantiam. Hi tres sunt Sanctæ nostræ triumphi, & partes elogii. *Bivar.*

In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operata est. Eccli. 48. Quemadmodum Sanctæ Agnetis vita non aliud est, quam nexus prodigiorum, de illa dicere possumus, ipsam in vita sua operatam fuisse miracula, & in morte mirabilia.

Pro parte priori ostendere possumus Sanctam Agnetem opposuisse Angelicam puritatem omnibus tentationibus, quæ illi adversantur. Triumphavit de omnibus voluptatibus, quia ornata exquisitissimis corporis, ac spiritus prærogativis; summa pulchritudine, florenti juventa, quæ in ipsam mortalium omnium oculos convertebat; constanter restitit sollicitationibus, quibus Romæ Præfectus, & ampliſſimæ Imperii familiæ nuptias illius flagitabant. 2. Triumphavit de omnibus honoribus, & fortunis insignibus, quæ ipsi proponebantur, negligens etiam magnas opes, quibus familia sua abundabat. *In vita sua fecit monstra.*

Pro parte altera ostendi potest illam sexus sui infirmitati, & suæ ætatis imbecillitati constantiam nullis labefactandam periculis conjunxisse. 1. Superans timores in tenella ea ætate satis communes: 2. Triumphans de terrore, minis, & suppliciis: 3. Et de morte ipsa cum ea animi constantia, & magnitudine, quæ sexum ipsum superabat. Facile est intellectu, S. Agnetem dum viveret triumphasse de eo, omnibus mundi illecebris, & in morte, de omnibus tormentis. *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operata est. Sermo Manuscriptus.*

Adeste omnes, quæ Virgines estis, & quæ minime estis, S. Ambrosius ait, adeste huic spectaculo, quod dignum est hominibus, Angelis, & ipso Deo; adeste inquam vos, quæ in ætatis vestræ flore versamini, & quæ vergitis in senium. *Habetis in una hostia duplex martyrium, pudoris, & religionis.* Hæc una eademque victima est, S. hic Pater inquit; sed duo passa est diversa Martyria; alterum pro sexus sui gloria tuenda; alterum vero pro tuenda gloria Religionis, & fidei. *Et virgo permansit, & Martyrium obtinuit.* *Lib. 1. de Virginibus.*

1. *Virgo permansit*, licet illam urgerent importunæ, blandæque sollicitationes magni cujusdam viri eam ad nuptias vocantis.

2. Et *Martyrium obtinuit*, cum tertium supra decimum ageret annum, in adeo tenera ætate triumphans & de sexus sui mollitie, & de callida tyrannorum crudelitate. Tanta opus esset eloquentia, quanta præditus erat S. Ambrosius ad hoc sustinendum argumentum, cujus ille auctor est. Tamen illius gratia adjuti, qui tantam tribuit fortitudinem, atque constantiam huic Sanctæ, conabimur solum Panegyrici sui quamdam deformationem proponere. *Elogia Historica.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia possit ad propositas Sermonum structuras exornandas, & Auctores, qui hoc argumentum pertractant.

S. Patres aliique.

SAnctus Ambrosius *l. 1. de Virg.* eximium habet S. Agnetis elogium.

Idem de eadem verba facit etiam Sermone 91. & hic creditur Auctor Actorum Martyrii Sanctæ hujus.

Idem de eadem loquitur etiam in expositione Psalmi 104. & libro primo de Officiis cap. 4.

S. Hieronymus *Epist. 8. ad Demetriadem*, ubi asserit S. Agnetem apud omnes gentes in honore esse, & laudes ejus linguis omnibus celebrati.

S. Augustinus *Sermone 101. de diversis.*

S. Maximus Taurinensis homiliam habet in Sanctæ hujus martyrium.

Prudentius Poeta hymnum in ejus laudem composuit.

Sanctus Gregorius Magnus duas pariter habet homilias in

Digitized by Google

in festum S. Agnetis diem; in quarum altera applicat illi parabolam thesauri in agro absconditi, in altera vero illam decem Virginum.

S. Thomas duos habet Sermones in diem festum Sanctæ hujus.

S. Bonaventura itidem duos.

Albertus Magnus item duos.

Dionysius Carthusianus in peculiari Sermone fusius verba facit de Sanctæ hujus laudibus.

Guillelmus Parisiensis illius celebravit elogium jugi applicatione verborum ex Canticis.

Taulerus per occasionem Festi diei Sanctæ Agnetis Sermonem habet prorsus Moralem.

Ascetici, & Scriptores vitæ Sanctæ Agnetis.

P. Novet in meditationibus in vita Jesu in Sanctis suis.

P. Croiset in Asceticis exercitationibus pro Mense Januario.

Scriptores vitæ Sanctæ hujus; Surius, Ribadeneira, Bollandus, Baillet.

Biroat Tomo primo Panegyricorum.

P. Senault ex Oratorio, Tomo primo.

Historica Sanctorum elogia, Tomo primo.

Auctor Sermonum in omnia argumenta, Tomo primo Panegyricorum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Biblicæ.

Loci Scripturæ ad hoc argumentum pertinentes.

Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus; videbit in die novissimo. Prov. 31.

Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo; quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium. Eccli. 51.

Es in conspectu adstantium factus es mihi adjutor, & liberasti me secundum multitudinem misericordiæ tuæ a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. Ibid.

A pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuans. Ibidem.

Circumdederunt me undique, & non erat, qui adjuvaret; respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat; memorata sum misericordiæ tuæ, & operationis tuæ, quæ a sæculo sunt, quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. Ibidem.

Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea, & liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. Ibid.

Confortatum est cor tuum eo quod castitatem amaveris. Judith. 15.

Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an periculum? an persecutio? an gladius? Ad Rom. 10.

Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Prov. 31.

Infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. ad Cor. 1.

Exempla, & Figuræ Biblicæ.

S. Agnes inter flammas, tribus pueris in fornace cõparata.

QUinam fuit Chaldæorum stupor, ubi viderunt flammas revereri, & parcere tribus pueris Israelitis, quos in fornacem conjici jusserant! cum audierunt illos in ignibus illis voracibus Omnipotentis laudes recinere! Cum viderunt has flammas sævire in Sanctorum puerorum persecutores, ut illos absumereht! Cum in fornace eadem conspexerunt adolescentem Cælesti facie convertentem in rorem elementum, quod nulli parcit materiæ? Talis stupor fuit impii Præfecti Romæ cum vidit Sanctam Agnetem inter flammas stantem quin inde labem ullam reciperet; manus ambas attollentem in Cælum, ut Dominum adoraret omnimoda libertate, idque eo magis, quia nemo ad illam audebat accedere. Sancta hæc manus in Cælum attollens trophæum crucis elevabat, quam hoc situ referebat: ita ignis, qui omnia absumit, ac devorat, illius rationem habuit, non secus ac Angelus exterminator pepercit illis, qui in fronte salutare hoc signum ferebant.

S. Agnes velo nõ indiguit, quo tegere faciem suam ad removendas sollicitationes eorum qui ejus pulchritudine capiebantur et Sara erga Abrahæ Abimelech consilio indiguit.

In Scripturis Sanctis legimus, Abimelech, qui explicito Dei imperio jussus fuit intactam relinquere Saram, huic munus dedisse argenteorum mille, eique dixisse: suadeo tibi ut emas velamen, quo faciem tuam tegere valeas. Quocumque te conferes, tege formam, quæ rediget in te; & per hoc prohibe ne, qui tecum aderunt in eandem incidant tentationem, in quam prope fuit, ut ego ipse inciderem. Præcautio Sanctæ Agneti Virgini inutilis; velum pudoris, & modestiæ, quo puritas ejus tecta erat, non fuit asylum impenetrabile cupiditati nobilis cujusdam adolescentis. Verum quidem est illum re adhuc integra ad Sanctæ nostræ consanguineos accessisse recto consilio, & quemadmodum permittebat Ecclesia, ut ultro citroque miscerentur cum idolorum cultoribus conjugia: Sancta hæc virgo si libera fuisset, nuptiis sibi perhonorificis potuisset subscribere; sed cor ejus jam alteri datum erat; Cælestis Sponsus illius possessionem adierat. Divitiæ, nobilitas, celsitudo, voluptates, sublimis & potens fortuna, familiæ decor, politica ratio, spes etiam convertendi Infidelem, arctam cum eodem necessitudinem contrahendo, nihil potestis in eo corde, quod sanctioribus, augustioribusque vinculis jam vinctum est.

Virgines sunt comparabiles cum Angelis præcipuo vero S. Agnet.

Notandum est, Angelos, qui in Testamento veteri sæpissime apparebant, prout varie casus incidebant, ac palam se se conspiciendos præbebant Abrahæ, Moysi, aliisque, non nisi per quam raro in lege gratiæ, & fere semper Virginibus apparuisse. Angelus Sanctissimæ Virgini Incarnationis mysterium annuntiat; & Theologi cum Patribus tenent illam semper circumdatam fuisse non modico numero beatorum Spirituum, qui dæmones ab illa procul arcebant; quapropter isti non noverant illam post partum Virginem permansisse. Sed post illa tempora Matronæ, quæ illius puritatem imitatæ sunt, fuere glorioli hujus privilegii participes, potissimum vero S. Agnes. Angeli etiam visibili forma descenderunt in terram, & virtutem hanc possumus comparare cum scala Jacob, per quam ascendebant Angeli, & descendebant. Angeli ascendunt de terra in Cælum; cum Virgines terrena carne compositæ permanent puræ, tanquam cælestes Spiritus; sed Angeli de Cælo descendunt in terram, cum ad servandam harum Virginum puritatem, suo illas præsidio sustinent, & nonnunquam suo illas dignantur aspectu: ut accidit Sanctæ Agneti; seu, quod beati Spiritus ostendere velint qua reverentia colant puritatem hominum propter similitudinem, quam nobis tribuit cum his puris Spiritibus, quamobrem S. Petrus Chrysologus dixit: *Semper est Angelis coenata Virginitas*; seu sua interesse putant eorum gloriæ favere, quia respiciunt Virgines tanquam Sponsas Jesu Christi, & mittuntur ad puritatem illarum protegendam. Et sane non ne videmus in Sanctæ hujus exemplo, quantum Angelis esset curæ puritas ejus; namque ex quo ducta fuit in locum hunc abominabilem prostitutioni objicienda, visibili specie statim apparuit Angelus, ut contra procacium hominum effusam impudentiam illam tueretur? *Biroat.*

Exemplum aliquot Sanctarũ Virginum, quas Deus in turpibus locis puras servavit.

Dei providentia vulgo ostendit, ipsum esse virtutem infirmorum, ubi qualibet ope humana destituti sunt. Ita ad Sanctam Luciam puram, & sine labe servandam, illam reddidit immotam, ita ut nullus mortalium conatus eam trahere potuerit de loco ubi erat. Eadem arte usus est Deus cum Sancta Theodora simili periculo exposita, animum injiciens christiano juveni, simulandi se velle eidem inferre stuprum, qui mox cum illa vestes mutavit, ut tuto fugam posset capessere. Deus aliquando etiam leonum ministerio usus est, ut alias Virgines ab hominum contumeliis defenderet; sed in Sanctæ nostræ gratiam tot prodigia operatus est, ut in virtutem converterit ipsam infirmitatem, ut loquitur Propheta, & nemo impune aggrediatur eos, quos ille in suam clientelam recepit. Vix vestibus suis exuta fuit, cum in ictu oculi capilli ita creverunt, ut eam tegerent, & a lascivis oculis illam tuerentur. Vix clausa fuit in locum, ubi erat publico libidini immolanda, cum Angelus apparuit, ut eam ab omni opprobrio protegeret, & qui prior ingressus est, ut illi vim faceret, ad illius pedes mortuus ceciderit.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

S. Agnes oratione cõvertit in sanctuariũ lupanar quo abrepta fuit.

Omnia munda mundis. Ad Titum. 1. Nunquid Sol aliquam contrahit labem, licet suum lumen, caloremque effundat in locos omni inquinatos contumelia? Ita Deus per adorabilis suæ potestatis effectum, locum libidini devotum fecit Sanctæ Agneti scholam virtutis, ac theatrum honoris. Huic Virgini mundæ omnia sunt munda. Ingreditur illa locum, quem pudor appellare vetat, ibique nanciscitur Angelum suum cum illa oraturum: *Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini invenit præparatum.* Hic igitur locus factus est Cælum; quoniam illic habitas, Domine; quoniam Cælestes spiritus illic inveniuntur, ut debitum tibi tribuant obsequium; quoniam hæc Virgo puella laudes suas cum illis conjungit in hoc loco, ubi, antequam illa ingrederetur, erat latronum spelunca, & impurissimorum dæmonum contubernium. Cum ergo, Domine, & quonam prodigio casti hujus Virginis oculi dant castos oculos illis, qui paulo ante erant *Oculos habentes plenos adulterii, & inexpugnabilis delicti?* Tu hujus rei causam, Domine, aperuisti mihi; eaque est, quod *Omnia munda mundis.* Ne Sanctæ tuæ meritis id neges, quod alias iisdem largitus es; & si minime possumus, ut illa, eadem prodigia operari, impudentissimo cuipiam pudorem injicientes, nobis per illius preces concede, ut de puritate cum oculis nostris paciscamur.

S. Agnetis cor nullis mundi, vel dæmonũ telis penetrari potest.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ne mors dilectio. Cantic. 8. S. Agnes posuerat Jesum Christum super cor suum tanquam signaculum; quippe alteri cuipiam amori clau-

clauſum erat. Romæ præfectus oſtentat quidquid habet illecebrarum, offert Virgini noſtræ, quidquid in divitiis, atque generis præſtantia ſuavitatis eſt, ut in illius cor ſibi aditum aperiat, ſed reperit hunc hortum eſſe concluſum, fontem ſignatum: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus.* Habebat Agnes ſummam vigilantiam, qua omnes ad ſe aditus cuſtodiebat; lampas ejus ſemper accenſa eam omni timore liberabat; lumine illius procul proſpiciebat omnes inſidias, ac ſe ſe muniebat. Per mortificationes ſuas nihil eorum guſtabat, quæ ſenſibus, & naturæ placent. Denique poſuerat illa Jeſum Chriſtum ſuper cor ſuum tanquam ſignaculum non ſine juramento, & voto illius nunquam amovendi. Non vivo, ajebat, niſi Jeſu Chriſto, *ipſi ſoli vivo.* Uni illi intemeratam fidem ſervabo, *ipſi ſoli ſervo fidem.* Jeſus Chriſtus ſe ipſum poſuerat ſuper cor Sanctæ Agnetis, ut ſignaculum; illud clauſerat velut librum illum ſeptem ſignatum ſignis, quem ſolus Agnus aperire poteſt. Fruſtra igitur eo objicitur in loco, ubi omnia ſenſus palpant, & cor muleent. Cor illius clauſum eſt, tanquam os ſepulcri, in quo Salvator poſitus fuit: Angeli ſoli per poteſtatem, quam illis Cæleſtis Sponſus confert, alere poſſunt commercium prorſus ſanctum & ſpirituale cum Sponſa hac generoſa. Eſto ſuper noſtra etiam corda, Domine, tanquam ſigillaculum, ac ſignum, ut inimicis tuis aditus intercludatur. Per Baptiſmum illorum adiſti poſſeſſionem; inde fortem armatum expulſiſti, ne ſinas illum unquam reverti, ne altera poſſeſſio deterior priore, nullam habeat medicinam.

Videtur Eccleſiaſticus S. Agnetis panegyricum elaboraſſe omnes mores ejuſdem circumſtantias memorando.

Liberaſti cor meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, a preſſura flammæ, quæ circumdedit me: & in conſpectu adjutantium factus eſt mihi adjutor. Eccleſ. 51. Præterquam quod omnes Eccleſiæ Patres elogium elaborarunt generoſæ hujus Martyris, & divinam eloquentiam ſuam oſtentarunt, ut illius prudentiam in tenella ætate, puritatem ejus in ſumma pulchritudine, & fortitudinem in ſexus infirmitate admirarentur; Eccleſiaſticus Panegyricum Virginis hujus immiſcuit cum illis ſummorum virorum veteris Teſtamenti, omneſque peculiares martyrii ejuſdem circumſtantias deſcripſit. Etenim quaſi vidiſſet, quidquid Romæ factum eſt poſt plura ſæcula ab urbe condita, nobis teſtatur, Deum liberaſſe hanc Sanctam a ſollicitationibus, & amatorii nugis perditi amaſii, qui illam ſeducere moliebatur. *A laqueo linguæ iniquæ*, illam præſervaſſe in lupanari quo ignavi Judicis injuſtitia rapiebatur: *liberaſti corpus meum a perditione*, illam protexiſſe a flammis, quibus erat circumdata, *a preſſura flammæ, quæ circumdedit me*, & coram univerſo populo, qui ſpectator aderat ſupplicii ſui factum fuiſſe illius adjutorem: *Et in conſpectu aſſiſtentium factus eſt mihi adjutor.* Quod mihi fidem facit, facile mihi futurum texere elogium hujus Sanctæ, in cujus laudibus Prophetæ, ac Sancti Patres operam ſuam ante me locarunt, & quas in tantam lucem adduxerunt. *Ex P. Senault Oratori.*

Heroici S. Agnetis ſenſus in ætate adeo tenera.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa. Sap. 4. Vita ejus brevis quidem fuit, ſed virtus ejus ad ſummum perfectionis apicem evaſerat. Nonne prodigium eſt ſenſus adeo heroicos in tenera hac ætate invenire, & conſtantiam nullis labefactandam periculis in ſexu adeo infirmo? Audiamus loquentem Sanctam hanc, nihilque de noſtro illi commodemus. Videamus utrum ejus prudentia illam ſubdolorum inimicorum ejus excedat; ut David, qui de ſe ipſo dicens, ſe adoleſcentulum eſſe, addit tamen, ſe a Domino factum prudentiorem illis, qui ipſum perſequebantur. *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus ..., Super inimicos meos prudentem me feciſti.* Videamus, utrum Agnes tredecim annos nata majori prædita ſit intelligentia; quia Deum ſuum amavit, & illius legem adimplevit. *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi.* Romæ Præfectus ſe ſe offert huic Virgini, quæ ſe J. C. ſacraverat; nam ſtatim ac illa rationis uſum fuerat adepta, ampliſſimus Romæ civis Salvatori conatur locum præripere, quem jam obtinebat in illius corde. Quo tunc in ſtatu fuit hæc Sancta Virgo? quid illa recenti huic amatori reſpondit, *Recede a me peccati victima, & mortis fabulum*, inquit, *quia jam ab alio amatore præventa ſum*, cui fidem meam jam obligavi, & deſponſata ſum. Si hunc vis cognoſcere, magnum cor illius Cælis altius eſt; immenſæ ejus divitiæ, non fluxæ, nec perituræ. Amor ejus ita ſuavis eſt, ut ſuperet omnes voluptates, quæ in vita hac poſſunt guſtari. Oculi ejus ita puri, & caſti ſunt, ut oculi columbarum. Speciоſiſſimus eſt præ filiis hominum aſpectus, & tactus manuum illius reſuſcitat mortuos. Hic eſt dilectus meus; *jam caſtis ejus amplexibus adſtricta ſum.* Nonne hi ſenſus ſunt animæ perfectæ in adeo tenera ætate? *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.*

Pſal. 118.

Ibid.

Corpora noſtra ſunt templa Spiritus Sancti & membra Salvatoris.

Liberaſti corpus meum a perditione. Eccli. 51. Quid prætermittit Dominus, ut pura ſervet corpora, quæ ſibi devota ſunt, & quæ ſunt templa ejus viventia? Abluit illas in ſanguine ſuo per ſalutares aquas Baptiſmi. Adjicit illis gecens ſigillaculum per Sacramentum Confirmationis; Carnem noſtram in ſuam carnem convertit per Euchariſtiam: fit alter noſmetipſi; fit vita noſtra, & motus, principiumque omnium actionum noſtrarum. Nos ſumus membra corporis myſtici ejuſdem, & videmus illum operari prodigia, ut liberet S. Agnetis corpus a periculis, quibus eſt expoſita. Deus morte punit obtutum nimis procacem in Sanctam hanc Virginem conjectum: inſpirat amorem puritatis illis, qui paulo ante incompoſita fovebant deſideria. Concede, igitur, Domine, ut corpus meum reverear, quia tibi ita charum eſt, quia eſt templum tuum; quia tibi tot titulis devotum eſt. Ne permittas, ut unquam illud in uſus profanos impendam. Non petimus, Domine, portenta, quæ in S. Agnetis gratiam feciſti, ſed a nobis prohibe omnia pericula, & objecta, quæ nos valent labefactare. Fac, ut ad pedes noſtros corruat Satanas, ſive ille leonino robore nos aggrediatur, ſeu calliditate ſerpentis utatur, vel igneis telis, quibus dæmon meridianus comburit, & diruit nonnunquam ædificia ſolidiſſima, & munitiſſima; ut tibi cum Sponſa tua dicere valeamus: *Liberaſti corpus meum a perditione.*

S. Agnes triumphat de iis omnibus, quæ in mundo ſunt magis terribilia.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. ad Cor. 1. Hæc ratio eſt, qua ut plurimum Deus operatur: infirmiora eligit inſtrumenta pro illis operibus quæ majorem nobis cient admirationem. Ex nihilo hanc Mundi molem eduxit, cujus partes totidem portenta ſunt. Ex limo finxit humanum corpus, in quo radius divinæ Majeſtatis reſulget. Pariter in ordine gratiæ duodecim piſcatores elegit, homines rudes, & indoctos, ut confunderent, & ad ſapientem inſipientiam fidei Philoſophos, & Reges perducerent. Ita operatus eſt Deus, quia noluit cum homine gloriam ſuam partiri, ut fictile vas propriam ſentiens infirmitatem ſibi vindicare non poſſit nos magnos effectus potentiæ Dei. In theatrum ipſo perſecutionis tempore producit Virginem, tertium ſupra decimum annum agentem, quæ ſeſe attollens ſupra ætatis, & ſexus imbecillitatem, atque mollitiem corporis ſui, ſola ſine præſidio, ſine ope, ſine conſilio, tamen ſatis eſt, ut reſiſtat, ac ſuperet, quidquid mundus, & caro habent illecebrarum, quidquid honores virium habent, ut impreſſionem efficiant; quidquid poteſtatis habet auctoritas, ut terreat; quidquid minarum, pœnarumque habet crudelitas, ut commoveat. Virguncula hæc autem omnia ſuperat. Illa & judices, & Romæ Præfectum confundit: trepidationem lictoribus injicit, irridet ſupplicia; proſternit quicunque audacius in ipſum oculos figunt; ignis vim cohibet; in eo tanquam in balneo moratur, in eo orat tanquam in templo; & ipſos fornices, ac lupanaria in templa convertit. Hoc infirmum eſt inſtrumentum, quo uſus eſt Deus, ut mundi fortiſſima quæque confunderet. *Infirma Mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat.* ad Rom. 8.

Inviſta S. Agnetis conſtantia.

Quis nos ſeparabit a Charitate Chriſti? tribulatio? &c. Dicendum ſane eſt Ethnicis perſuaſum fuiſſe, Chriſtianam Religionem ſummam inſpirare conſtantiam; quia minas, pollicitationes, lenocinia, violentiam, cruciatus, ac tormenta expediebant, ut Chriſtianorum conſtantiam labefactarent; eoſque cogerent, ut vero Deo abrenuntiarent. Admirabile hujus rei nobis occurrit exemplum in S. Agnete, cujus glorioſum martyrium oſtendit ſupremam gratiæ poteſtatem, quoniam hæc Sanctam Virginem roboravit eo uſque ut ſibi tribuat elogium, quod nonniſi Apoſtolo convenire videretur. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* num tribulatio? num fames? ſitis? nuditas? Certa ſum neque Cæli, neque terræ, neque inferni poteſtates; non perſecutionem, non rotas, non cruces, non carceres, non gladios ſeparaturos eſſe me ab amore, quem vovi Jeſu Chriſto. Uni illi conſecravi me, ac deſponſavi; uni illi fidem ſervabo. Inutile igitur eſt, Judices, adhibere hoc in loco promiſſiones: nihil habetis, quod æque fulgeat, ac pretioſi lapilli quibus me decoravit. Honores, quos mihi promittitis, inanis vapor eſt, qui momento evaneſcit; & coronæ, quas ab hoc Cæleſti ſponſo expecto, ſunt immortales, ut ipſe immortalis eſt. Voluptates de quibus loquimini æque breves ſunt, ac indignæ corde ſublimi; ſpirituales autem voluptates, quæ mihi promittuntur in Cælo, non habent finem. Nolite igitur ultra jactitare, quod poſſidetis, omnia quippe contemptibilia ſunt, & neque promiſſiones, neque minæ veſtræ me ab amore Jeſu Chriſti ſeparabunt. Si mihi mortem intuleritis, citius meo conjungetis principio, quod me creavit, quo omnia quæ rapiunt deſideria mea, & quo per meam perſeverantiam me ſpero perventuram.

Generoſus Agnetis ſenſus.

Fortitudo indumentum ejus. Prov. 31. Agnes nunquam jactavit ſpeciem ſuam, quam in ipſa omnes admirabantur. Quin ſuperbiret, dolebat ineſſe ſibi formam, quæ mortalium oculos in ſe converteret. Deum orabat, ut potius periret corpus ſuum, quam objiceretur ſollicitationibus Præfecti Romæ. Fortitudo, conſtantia, animi magnitudo cum illa natæ videbantur; nihil niſi virtutem habebat in pretio; & omnis illius gloria ab animæ ſuæ pulchritudine proficiſcebatur; hac una afficiebatur illa, non autem corporis forma. Ita cum ſupplicio objecta fuit, habuit firmitatem, atque conſtantiam mulieris fortis, quæ in ſpirituali commercio locupletata eſt pretioſis muneribus omnium virtutum, ita ut inopiæ tempus non reformidaret. Cum Sancta Agnes ad ſupplicium trahebatur, ſpectatores aderant ſuffuſis lacrymarum imbre oculis, ſed Sancta Virgo hilarem habebat faciem, lætamque; dies enim mortis ſuæ dies erit, quo Cæleſti corona erat donanda. Hæc erat ſumma votorum

ejus;

Digitized by Google

ejus; in hoc exilio multo plura fuisset perpessa, si martyrii tempus dilatum fuisset. Itaque per amoris impatientiam ministrum excivit, ut festinaret. *Quid persecutor moraris?* O invictam constantiam, quæ ultima vitæ suæ momenta eo intuetur animo, qui dignus est Sponsa Salvatoris: *Spiritu magno vidit ultima.* Hodie in ejus clientelam confugiamus. Deus qui tot edidit miracula per Sanctam hanc Virginem, quantum hæc apud ipsum valeat ostendit. Illa nostra intuetur pericula; oremus illam, ut per merita sua intercedat, nos indui Jesu Christo, amore & fortitudine ipsius, ut inimicos nostros oppugnemus, atque vincamus.

PARAGRAPHUS IV.

Loci ex SS. Patribus hujus Argumenti.

Natalis est Sanctæ Agnetis, mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innupta. S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus.

Quid dignum de ea loqui possumus, cujus ne nomen quidem vacuum laudis est? Idem ibidem.

Devotio supra ætatem, virtus supra naturam. Idem ibidem.

Nomen Virginis, titulus est pudoris. Ibid.

Appellabo Martyrem, prædicavi satis: prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Ibidem.

Magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Ibid.

Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? Et qua non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Ibidem.

Nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ. Ibid.

Stupuerq; universi, quod jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Ibidem.

Ferat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Ibidem.

Habetis in una hostia duplex Martyrium, pudoris, & Religionis; & virgo permansit, & Martyrium obtinuit. Idem ibidem.

Steterit, oravit, cervicem inflexit; cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere persecutoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret sua. Ibid.

Ipsi soli servo fidem, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Idem Serm. 90.

Jam Sponsa Christi, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non poterat. Ibid.

Damnando Christianam ad lenonem potius quam ad leonem; confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. Tertull. in Apolog. hæc Ethnicis exprobrabat.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hauriri possit hoc in Argumento?

Discrimen inter martyrium virorum & mulierum.

Hoc discriminis erat inter martyrium Christianarum Matronarum, & virorum; quod quidem secundum S. Chrysostomi sententiam illud mulierum gloriosius; atque difficilius efficiebat: quod scilicet in viris fides plerumque una oppugnabatur, in mulieribus autem duabus simul virtutibus bellum inferebatur, fidei videlicet animæ, & corporis puritati. Commixtio hæc duarum persecutionum adeo oppositarum erat periculosissima, & victoriam earum efficiebat difficillimam. Hujusmodi in occasionibus Ethnici Imperatores, vel cupiditatum eorum administri simul duas gerebant personas prorsus oppositas; personam perditorum amasiorum, & illam tyrannorum, quæ simul illis & amorem, & odium injiciebant. Matronarum species, & oris decor in Judicibus iniquis amorem ciebat, & earum constantia in miserorum sollicitationibus rejiciendis; illico illorum immutans animas de amasiis persecutores faciebat. Cum tanquam amatores agebant, potissimum puritati, & Sanctarum virginum honestati bellum inferebant; sin autem fidem oppugnabant, hoc non erat nisi consilium excogitatum ad suam cupiditatem explendam, rati, Matronam, ubi semel fidei jacturam passa fuisset, facile, & non ægre honoris etiam detrimentum laturam. Sed ubi tanquam tyranni sæviebant, primum quærebant ab illis fidei negationem extorquere; cumque non possent id assequi per insidias, quas earum struebant puritati, cruciatibus utebantur, ut illas redderent infideles. Periculoso huic certamini Sancta Agnes patuit tunc etiam, cum paterna in domo versabatur adhuc; sed hoc ipsum in majorem illius gloriam cessit.

S. Augustinus docet, prælia magis periculosa, & ubi vincere difficilius est, illa esse quæ nobis infert voluptas. *Libro de bono matrimonii.*

Inter prælia plerumque Christiano contra salutis suæ inimicos subeunda, fatendum est, S. Augustinus ait, pertinacissima, in quibus victoria est infrequentior, & periculum magis est pertimescendum, illa esse, ubi sibi cavere debet a voluptatum illecebris, quibus extrinsecus trahitur, & a concupiscentiæ rebellionibus, quibus intrinsecus sollicitatur. Castitas re ipsa, quæ est ineluctabilis necessitatis in lege Christiana, non minus est fragilis ac mollis, quam pretiosa; etenim vel minimus auræ flatus ei labem offundere potest, eamque corrumpere; & aliunde affirmari potest, nullam esse virtutem, cui plures sint impugnandi inimici, quorum periculosissimi, & qui nobis maximam debent injicere suspicionem, illi sunt, qui nos jucundius illiciunt, & se nobis amicissimos profitentur; quam ob rem inter Sanctos Patres constat, quo fragilior hæc virtus est, & majora subit in mundo pericula, tantum fortitudinis, & non vulgaris constantiæ indigere, ut propugnetur. Sanctæ Agneti adeo persuasum erat de his rationibus, ut quamvis in adeo tenera esset ætate, & infirmi, mollisque sexus, tamen invicta constantia omnes mundi sollicitationes vicit, ac tandem de tyrannorum crudelitate triumphavit.

Virginitatis status præstantia.

Nonne Virgines in ipsa etiam terrena Jerusalem peculiarem obtinent locum, quandoquidem Salvator illis in Cælesti Jerusalem peculiarem destinat locum? Unis illis datum esse canere canticum, quod infinitam Agni puritatem extollit. Igitur jure a Sancto Cypriano *Virgines illustrior portio gregis Christi* appellantur. Id amplificat Sanctus Chrysologus, cum ait Virgines cum Angelis de merito disputare; quia Angelorum puritas effectus est naturæ illorum; & puritas virginum effectus est virtutis, & gratiæ; & per ea prælia, quæ dæmoni, & carni inferunt, acquirunt quidquid Angeli per statum suum, ac suam possident felicitatem: *Angelum esse, felicitatis est; virginem esse, virtutis. Hoc habet virgo ex viribus, quod habet Angelus ex natura.* Sancta Agnes ab ipsa pueritia consecravit puritatem suam; recenseri voluit eo in numero cælestis portionis, quæ peculiariter pertinet ad Filium Dei. Hoc illa habuit desiderium a primo rationis usu; quapropter Sanctus Ambrosius inquit, illam prævertisse pietatem, quæ a Virginibus coævis expectatur: *Fuit devotio supra ætatem.* Neglexit speciem, quam natura illi concesserat. Illa simul duo, quæ Veteribus nequaquam consociari posse videbantur, conjunxit, pulchritudinem, & puritatem. Contempsit Agnes amplissimas Romæ nuptias, ut cælesti sponso fidelis esset; & sicuti se forma perstringi passa non est, neque se ambitione passa est seduci. Vidit Præfecti filium sibi ea omnia offerentem, quæ ad illiciendum cor sunt præstantissima; sed audacter repulit omnes illius promissiones, dicens illi: recede a me pabulum mortis; fcito me ab alio sponso præventam esse, & corpus meum illius corpori adhærere per sacramentum quod ignoras, & me nulla unquam re ab eo separatum iri.

De habit. virgin. Chrysol. Serm. 45. S. Amb. l. de virgin.

Fœdus quoddam est inter virginitatem & martyrium.

Virgines inter, & Martyres fœdus aliquod intercedit, & licet illæ sanguinem suum non effunderent, tamen pugnare, & vincere non cessarunt, ut istæ. Videtur etiam puritas eas ad martyrium præparare, & postquam de voluptatibus triumpharunt, illis facile esse triumphare de doloribus. Hac de causa S. Ambrosius in libris disertissimis quos de Virginum laudibus scripsit, docet, quod *non ideo laudabilis virginitas est, quia in Martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat.* Et sane qui sibi in vita voluptates interdixit, non ægre tormenta sustinet, ubi sese illis offert occasio; & gloriari potest, se cælibatum servando, martyrii trocinium posuisse: ita ut de Virginibus dicere possimus, quod de Christianis omnibus dicit Tertullianus: *Vita Christiani est disciplina Martyrii.* In hac divina Schola illustris S. Agnes se martyrio præparavit, & vincens delicias, dolores vincere didicit. Duo hæc incepit exercitia, ex quo rationis usum adepta est, & sibi met injurigens pœnitentias, carnificum lævitiam prævenit. Jejunium ut plurimum, æque illi erat familiare, ac devotio alebat animam eo quod corpori detrahebat; & quasi voluisset cum morte familiaritatem inire, dies noctesque traducebat, quin vel cibum caperet, vel somnum. Videbatur nomen, quod gerebat, præsagium esse ejus, quod aliquando erat futura; & Providentia, quæ permiserat, ut Agnes appellaretur, eam destinasse sacrificio. *Nomen ejus*, Ambrosius ait, *Oraculum est Martyris, & indicavit quid esset futura.* Sed id quod gloriosius efficit illius certamen, & victoriam gloriosiorem, illud est, quia pertulit Martyrium ea ætate, qua alii vix pares sunt levissimis doloribus perferendis. Tertium dumtaxat supra decimum annum agebat, cum ad Judicem rapta fuit; & illis omnibus, qui ex corporis mollitie de illius judicium ferebant constantia, aliquibus tantum opus esse videbatur vel promissionibus ad eam fallendam, vel minis ad eam perterrendam.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti librorum Asceticorum, vel recentium Concionatorum loci hujus Argumenti.

SS. Ambros. & August. S. Agnetis elogia scribere.

Scripta, & sermones omnium populorum in Ecclesia celebrant vitam, ac meritum insignis hujus Sanctæ, quia vicit ætatis suæ imbecillitatem, æque ac tyranni crudelitatem, & puritatis suæ titulum per martyrii coronam consecravit. Quas laudes S. Ambrosius illi non tribuit variis in operum suorum locis? nonne ex magno hoc Doctore tanquam ex uberi fonte ea petenda sunt, quæ sunt de hac Virgine dicenda? Neque ideo putes

Digitized by Google

ab aliis Auctoribus nequaquam merita illius minime celebrata fuisse! Prudentius in Hispania hoc esse voluit Poematum suorum argumentum. Sed quin adeo longe auctores quæramus, si intra Galliæ nostræ fines immorari velimus, Magnus Sanctus Martinus nonne confessus est Sulpicio Severo, se in visione nonnunquam obtinuisse cum eadem colloquendi felicitatem? Sanctus Augustinus nonne illam proposuit populo suo tanquam unum ex præstantissimis exemplis Sanctarum Virginum & Martyrum? Nonne dicit ipsam habuisse quidquid nomen ipsius portendebat, secundum varias illius significationes; videlicet gloriam castitatis, & agni innocentiam? Conquisita fuit ad nuptias a Romæ Præfecto, sed irritæ fuerunt omnes illæ sollicitationes. Ventum est ad minas, atque supplicia. Strenue pertulit ferreas catenas, quibus onerata fuit. Æque blanditias ac minas contempsit, quibus tentata fuit, ut fidem negaret. *Sermo MS.*

S. Agnes omnium sui præsignificationum replet fidem.

Possemusne invenire terminos satis magnificos ad celebrandas virtutes, atque triumphos Sanctæ Agnetis? Nonne ejus nomen instar est magnæ laudis; quandoquidem non aliud sonat, quam evangelicam illam suavitatem, cui Dei filius regnum Cælorum promisit? & quod felix erat præsagium, fore ut Agnes aliquando duceretur ad lanium, tanquam agnus, qui obmutescit ante faciem illius, a quo sibi mors infertur ad exemplum Agni, qui vitam suam pro Mundi peccatis effudit? Ita nonne merita est illum quocunque sequi, & cum aliis Virginibus beatum illud canere Canticum? *Sed quid dignum ea loqui possumus, cujusve nomen quidem tacitum laudis est?* Amor, quo Sancta Agnes Jesum Christum prosequebatur, erat supra ætatem: illum amare cœpit, ex quo cognovit; eumque semper amavit cum extensione illius perfectionis, quam præscribit Evangelium, ex toto corde suo, ex tota anima, & omnibus viribus, ac tota mente. Ad inveniendum tempus, quo Salvatorem dilexit, repetenda sunt prima momenta, quibus ratio illius cœpit florescere. Ex felicibus illis momentis tota fuit dilecto suo, quia cognovit sibi totum esse dilectum suum. Sanctæ hujus virtus superabat omnes naturæ vires, cælitus inspirata, omnes superabat motus concupiscentiæ; anima ejus fruebatur tranquillitate citra quemvis tumultum; cum enim sibi Jesum Christum delegisset in Sponsum, aliud quodvis objectum frustra locum illi præripere conabatur. Salvatoris amor dominabatur: armatum fortem ejecerat non permissurus, ut ultra ei pateret aditus in Sanctuarium, quod uni sibi reservabat in æternum. *Idem.*

Agnetis nomen est præsagium consilium Dei, de hac Sancta Virgine.

Sanctæ Agnetis nomen oraculum est, quod futuram illius magnitudinem nobis portendebat. Cæleste hoc illi nomen non tribuitur fortuito, neque ex voluntate, atque arbitrio mortalium: sed Providentia per sanctum hoc nomen indigitabat sua de admirabili hac Virgine consilia, quæ singularem habitura erat partem beatitudinis illius, in qua Jesus Christus cælestem promittit hæreditatem illis, qui mansuetudinem agni possederint: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; ut mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum Martyris, quod indicavit, quid esset futura.* O præclara Virgo, nonnisi ad magna evocaris ex ætate, qua nihil nisi debile, ac imbecillum expectatur. Jam adepta jures in solio sedendi, ut docetas unam ex præcipuis virtutibus Religionis Christianæ. Virtus hæc in corde tuo nata est ex eo momento, quo tuo ortu terram decorasti. Cælestis Sponsus dedit tibi in dotem mansuetudinem, te Agnetem appellans, & fatemur tibi jus esse, ut possis nobis esse in fide magistra, nobisque dicere, quod Salvator ipse: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Furentes, & iracundi spiritus hos tumentes fluctus vestros allidite, qui ultra rationis fines vos rapiunt; memorantes vestrum Christianorum nomen ex vobis humilitatem, & lenitatem exquirere. *Auctor vetus.*

Matth. 5.

Matth. 11.

Difficultates quasi insuperabiles puritatem sine labe servandi.

Quamvis in Christiana Religione sexus uterque communi teneatur lege ad omnia præcavenda, & omnem adhibendam vigilantiam, quæ necessaria est ad servandum puritatis thesaurum, quem nos in vasis fictilibus gerimus; sexus tamen, qui habetur infirmior, hac in re maxime præstat. Pudor enim, qui eidem magis naturalis est, timor infimiæ, studium ad pietatem promtius, & ad Dei timorem propensius totidem sunt propugnacula, virtutis illius, quæ sexus ejusdem gloria est, atque ornamentum. Tamen non ambigitur, quominus aliquid inde metuendum supersit; quippe sollicitationes, quibus urgetur, ut pertrahatur in vetitum, frequentiores sunt, magisque pertinaces. Assidui igitur, quæ ipsi impenduntur, officia, promissiones, blandi, fallentesque sermones, omnesque excogitabiles artes adhibentur ab illis, qui brutali furunt insania, qui nullum servant modum, & quos ne ipse quidem timor Dei potest in officio continere. Quapropter si diligentius ad trutinam revocentur pericula, quæ subit hæc virtus in sexu ipso, cujus gloriam, meritumque semper constituit: dicere possumus virtutem hanc prorsus cælestem nullibi in terra tutam esse, & opus esse invicto robore, & non communi præsidio de cælis demisso, ut valeat tot inimicis resistere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Sancta educatio Agnetis, & præcepta, quibus erudita fuit a parentibus plurimum profecerunt, ut adeo virtutibus prædita adolesceret.

Sancti monita, quæ Sanctæ Agnetis parentes illi tradiderunt, vim addidere vehementibus gratiæ impressionibus. Spiritus Sanctus in tenello hoc corculo effinxerat sensus adeo nobiles, & Christianos, ut Agnes decimum agens annum jam consummatam perfectionem assecuta videretur. Illa Deum amavit, Sanctus Ambrosius inquit, ex quo ipsum cognoscere potuit, & dicere possumus illam vix in lucem editam ab ipsius incunabulis cum cognovisse. Exercitia tenerrimæ devotionis fuere sola puritiæ illius negotia. Ætate puella, non autem studiis, sensibus, moribus. Ejus eximia forma magis magisque illius commendavit modestiam. Pietas non vulgaris fuit, & summus ejusdem amor a teneris unguiculis erga Reginam Virginum, tantum illi injecit amorem erga Virginitatem, ut ab ipsa pueritia decreverit non alium habere Sponsum, quam Jesum Christum. Nondum tredecim numerabat annos, cum ejus eximia species, & non vulgare meritum in ipsa Præfecti aula jam celebrabatur; cumque Præfecti filius eam vidisset, adeo captus fuit ejus amore, ut illam sibi Sponsam habendam esse statuerit. Pater audito filii delectu, factusque certior insignium virtutum, quibus prædita erat puella, nuptias probavit; sed puellæ tantum consensus requirebatur. Nobilis adolescens primum virginem loculentis donis muneratus est, non sine mentis suæ significatione. Sed munerum repulsa, & contemptus, quo Virgo dona, eorumque auctorem aspernata est, magis magisque adolescentis animum inflammarunt; ideoque omnibus hic artibus usus est, & nullum non movit lapidem, ut voti reus fieret. Sed frustra, extremusque illius conatus fuit coram cum puella colloqui, certus illam urgentibus sollicitationibus suis esse cessuram; Sed quidquid amor blanditiarum, ac illiciorum cupido adolescenti suggerere potuit, ad nihilum profuit, nisi ut ille tandem omnes conatus suos irritos futuros cognosceret. Agnes immo audax, & supra ætatem fortis; Discede, ait illi, pabulum mortis, importune tentator, Principis tenebrarum minister, discede, ac tandem aliquando desine appetere nuptias Virginis, quæ jam desponsata est universorum Domino immortali, qui non in alias nisi in Virgines maxima sua effundit beneficia. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus pro Mense Januario.*

Qua in re Agnes superavit alias Virgines, qui ut illa refulgerunt tyrannorum minis, ac propositionibus.

Videns innocentem Agnetem constanter repellentem perquisitionem, pollicitationes, & omnia bona, quæ potentissimus Romæ Princeps illi offerebat, contemnentem Judicis minas, subdolis corruptoris lenociniis omnibus resistentem, ac cæleste ope fretam propulsantem impotentiam perditissimi Amasii, qui mutatus fuerat in tyrannum, & factus illius persecutor: videns, inquam, tantum virium, atque constantiæ in puella nobili genere nata, & ea in ætate posita, quæ maxime in voluptates prona est, & innocentibus illiciis prædita, quæ in corde alioquin crudeli, & barbaro impurissimas flammas accenderat; Hæc iterum dicam, hæc videns me cohibere nequeo, quominus cum Sancto Paulo exclamem: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, & vincat quod fortissimum est, inhonestum videlicet amorem, qui de fortissimis terrarum domitoribus victoriam reportavit, & qui quodammodo omnipotentes facit eos, qui eodem possidentur. Neque mihi objiciatis, quæso, Agnetem non unam extitisse, quæ Christianæ fortitudinis hujus præclara tribuerit specimina; quippe aliæ etiam Virgines hujusmodi ante illam exempla præbuerant, & aliæ plures exemplum illius imitatæ sunt; Catherinæ, Luciæ, Agathæ, Dorotheæ, & alia nonnulla similia virtutum portenta, quæ in terrimis Ecclesiæ persecutionibus constantia, & fortitudine inclaruerunt; atque ostenderunt sexum hunc, ubi divinæ gratiæ præsidium accesserit, ad generosissima quæque agenda, & sustinenda esse aptissimum: Nam in Sanctæ Agnetis illustri facinore peculiares adsunt circumstantiæ, quibus in innumerabili Virginum, Martyrumque copia satis eminet; quibus non adeo diuturnæ, ac furentes pugnæ sustinendæ fuerunt, & quarum constantia nequaquam tot, ac tam gravibus periculis tentata fuit. Et profecto animadvertit potest, ea omnia, quæ in hac nobili puella emicabant, totidem valida fuisse ejus infirmitatis præjudicia, quæ non diu resistere posse videbatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ethnicis persuasum erat Religionem Christianam inspirare fortitudinem & constantiam.

Dicendum est, ipsis etiam Ethnicis persuasum fuisse, Christianam Religionem in illos, qui ei nomen dabant, inspirare consuevisse fortitudinem, & non vulgarem constantiam; quandoquidem nec promissa, nec minæ, nec illecebræ, neque violentia, neque ullum tandem cruciatuum aut suppliciorum genus prætermittebatur, ad eorum constantiam labefactandam, & extorquendam cultus veri Dei negationem. Illud vero quod ostendebat, qua vi, ac fortitudine Christiani agerentur, hoc erat, quod puellæ imbecilliores, ac delicatiores, quæ suapte natura mundo, ac vitæ magis inhærere debuissent, sæpius nitidissima præbuerunt suæ fidelitatis argumenta, ac de iis rebus omnibus triumpharunt, quæ inter delicias maxime illas corrumpere, & inter cruciatus ac mortem illas poterant deterrere. Hoc nos docet exemplum admirabilis Sanctæ Agnetis, cujus generosum Martyrium præ cæteris ostendit gratiæ potentiam, & Oraculum Sancti Pauli: Deum videlicet semper usum fuisse iis, quæ essent infirmiora;

Digitized by Google

miora, ut quæque fortissima, & maxime terribilia superaret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ratio diversi qua tyranni Christianas Virgines aggrediebant & religioni fidelis.

Ratio, qua fidei persecutores utebantur adversus Virgines Christianas, & fideles reliquos cum utrosque ad fidem ejurandam compellere, & Diis suis sacrificare cupiebant, longe erat alia, cum enim viros petebant, nonnisi de cruciatibus, crucibus, tormentisque loquebantur: Fertum ob eorum oculos nudabant: pyrrhis accendebant, expediebant terribilium suppliciorum instrumenta, cumque illis non possent terrorem incutere horrenti hoc apparatu, mulctabant eos morte, cujus timorem illis frustra immittere studuerant. Alia prorsus ratione sese gerebant cum Virginibus, atque Matronis, quibus pudor vitæ ipsa erat antiquior. Sicuti enim illis duæ virtutes erant propugnandæ, æque molles, atque pretiosæ, puritas corporis, & animæ fides; castæ enim erant, & Christianæ; tyranni videbantur eas facilius vincere posse oppugnantes eas ex duobus locis, quippe illis persuasum erat, ut si contingere illis potuisset, ut in alterutra parte vincerent, alteram non diu restituram, vel potius secundam ex duabus hisce victoriis alteram necessario consecuturam. Hac in re Agnes invicta eo in sexu, & ætate, quæ maxime ad voluptates prona est, & doloris sensu maxime movetur, duplicem merita est coronam, eo quod duplicem retulerat victoriam, quemadmodum paucis S. Ambrosius explicuit: *Et virgo permansit, & martyrium obtinuit.* Restitit promissionibus, sollicitationibus, violentiis Tyranni, qui perditissimus illius factus erat amator, & qui nihil intentatum prætermisit eorum, quæ amor furentibus suadere potest ad eam seducendam, non precibus parcens; non blanditiis, non officiis ad flectendum cor Virginis; ut sese illius desideriis conformaret. *Idem.*

S. Agnes sollicitationibus utrecissimi filii Præfecti Romani resistit.

Permisit Deus ad majorem sui nominis gloriam, & nostram doctrinam, ut S. Agnes per hæc gravissima pericula traduceretur, in quibus cor tale apparet, quale reipsa est. Dicamne vobis, Procopium, hoc nomine Romani Præfecti filius appellabatur, Procopium ejus illectum forma eam quocunque pretio sibi desponsari decrevisse? Juvenis erat in densissimis Ethnicæ Religionis tenebris insepultus, filius Præfecti Urbis, dives, potens, a patre dilectus, ideoque impar audiendo quidquid præter propriam cupiditatem; ideo habens in manu vim & auctoritatem; ideo aptissimus ad ciendam spem puellæ, eamque fallendam. Usus itaque est variis mediis, quæ sua fortuna, atque nobilitas illi suppeditabant. Assiduitates, promissiones, munuscula prima fuerunt arma, quibus Sanctæ hujus Virginis constantiam labefactare conatus est: Sed ubi omnem abjecit spem fore ut hac via voti sui compos fieret, ad furorem, atque desperationem confugit. Contremiscitis propter Agnetis periculum, pro Virgine duodecimum, vel decimum tertium annum agente; timetis ne cedat, ne sententiam mutet, potissimum cum nonnisi de legitimo agatur conjugio, & fugiatur etiam umbra criminis. Verum non ita; certi estote: videbitis semper Sanctam constantem, ac immutabilem. Et profecto illam audio importunitatibus omnibus respondentem: *Hæc sponsi injuria est expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet.* Audax amator, ob oculos meos ostentas opes, & honores familiæ adeo illustris, qualis tua est; Deus, quem mihi in sponsum deposco, te ditior est atque potentior. Quod mihi offers, periturum est, & quod mihi promittit cælestis Sponsus meus, immortale est, & nunquam desiturum. Quomodo ergo te præferam? Apage, discede, finem fac illecebris, ac lenociniis; hæc sunt inutilia: non alium habitura sum sponsum, nisi cui dedi fidem: *Qui me sibi prior elegit, accipiet.* Quam amplum considerationum objectum pro vobis Adolescentulæ, quæ me auditis! Nonne quin rejiciatis fatale hoc virus, quod vobis propinatur sub hac inani specie, nonne vos ipsæ illud priores inquiritis, & concupiscitis? *P. Stephanus Chamillart, Sermone Manuscripto.*

Sancta hæc gravissimis tentationibus objecta.

Illustris Virgo nostra quam primum alias longe terribiliores tentationes subitura est. Accusatur apud Symphronium importuni amatoris patrem, nomine Religionis. Capitur, & ad conspectum Judicis idolorum cultoris adducitur; qui Deos ulcisci vult suos, & unigenito satisfacere, quem unice amat, & cujus cupiditatem tueri, ac propulsare desiderat: Si Agnes renuere, & filii nuptias contemnere perseveret, stat jam imminentem contumeliam propulsare. Jam puella septa est ingenti carnificum manu, quæ nonnisi de cruciatibus, suppliciisque loquitur; jamjam ob oculos ejus expediuntur rotæ, equulei, novaculæ, ferrea pectina, verbo, omnia illa horrentia instrumenta, quibus Martyres laniabantur. Et quia Christiana Virgo est, minitantur illam damnatum iri ad lupanar, ubi expletura sit libidinem eorum omnium, qui impudentissimi in urbe versantur. Verum est sanctam hanc Virginem perhorrescere cum cogitat hunc turpitudinis locum, cui destinata est; & si quid efficere posset, ut quid sibi faciendum ambigeret, hoc unum illud esset. Sed agnoscit illa, quam parum homines possint contra Dei voluntates; illi persuasum est Supremum rerum Dominum omnia humana consilia brevi exsufflare, integram armare naturam ad eos, quos protegit tuendos; unico verbo terrorem Regibus ipsis incutere, corda maxime indomita emollire, luposque in agnos convertere. Sed hoc parum est. Intra semetipsam vocem audit interiorem, quæ illam confirmat, eique dicit; ipsi nihil esse metuendum; Deum esse protectorem illius, & inimicos ejus ruborem suffusum iri. Hic repleta certa confidentia, quæ nonnisi de Cælo esse poterat: *Præsto est*, exclamat, *pudicis Christus, nec patitur sacra integritatis munera pollui.* Vitam quidem mihi eripies, meumque effundes sanguinem: *ferrum tinges meo sanguine*; sed in tua potestate non est labem offundere Virginali huic puritati, quam Deo devovi. Licet utas, licet injustam mihi sententiam inferas, ego nunquam ero nisi Sponso animæ meæ, & virgo moriar, quemadmodum & virgo vixi. Domine, confidit illa in bonitate tua, & in infinitis miserationibus tuis, ac statim in arena experta est te fidelem esse in promissionibus tuis, & eos, qui ad te confugiunt, nunquam derelinqui. Et sane, hoc nostis; Præfecti adimpletur imperium; Nudatur Virgo; trahitur hoc pacto per Romæ vias, & Deus e vestigio efficit, ut ejus crines tanta in copia crescant, ut omnia illius membra omnino cooperiant. Clauditur in fornice tenebricoso, & infami, ac Deus inde locum facit puritatis, & luminis per claritatem omnino cælestem, & per Angeli præsentiam. Ad illam concursus fit; scelus tantummodo, ac libido anhelatur; Deus autem procacioribus ipsius reverentiæ, & venerationis sensus erga Sanctam Virginem immittit; & Procopius amator ille importunus, solus rebellis illecebris gratiæ morte mulctatur. *Idem.*

S. Agnes omnino repellit importunas sollicitationes filii Præfecti Urbis.

Adeo aperta repulsa, qua S. Agnes perditi amatoris sollicitationes contempsit, & gravis illa superbia, qua ipsum rejecit, ad desperationem adduxit Præfecti filium. Amor in furorem tunc versus est, & illius mœror, ac dolor omnia ab eo timenda esse ostendebat, cum pater ejus, qui illum deperibat, omnem auctoritatem suam exercere decrevit, ut genitorum, eorumque filiæ consensum assequeretur. Illam accersit, & adhibita præfatione honoris, quæ illius nobilitati, ac virtuti debebatur: Non ignoras, inquit, qua de causa te huc arcessiverim. Filius meus ardentissima æstuat nuptiarum tuarum cupiditate: tua nobilitas, præclaræque animi dotes me impulerunt, ut electionem hanc approbarem: Non equidem puto te tui tantum esse inimicam, ut nuptias adeo præclaras velis rejicere. Sancta, quæ prædita erat Sapientia supra ætatem, modesto quidem, sed obfirmato oris habitu, respondit, se non ignorare quidem quantum sibi honoris deferretur, quando quidem ad amplissimas nuptias evocabatur; sed sibi jam Sponsum esse longe nobiliorem, ac potentiorem. Illius quidem opes de hoc mundo non esse, sed ideo esse pretiosiores, & Virginitatem, quampluris, quam omnes Mundi thesauros faciebat, esse veluti dotem, quam Divinus hic Sponsus ab illa exigebat. Cum vero Præfectus nequaquam videretur intelligere, quinam esset divinus hic Sponsus, de quo puella loquebatur; nobilis quidam ejusdem necessarius testatus est Præfecto adolescentulam Christianam profiteri fidem; ab incunabulis imbutam esse sectæ hujus deliramentis, & Sponsum, de quo verba facit, proculdubio esse Deum Christianorum. *P. Croiset in Asceticis exercitat. pro Mense Januario.*

Respondet S. Agnes Præfecto.

Nunquam lego, Sanctus Ambrosius ait, responsionem, quam Sancta Agnes Præfecti filio, ipsique Præfecto dedit, quin admirer fidelitatem, sapientiam, constantiam hujus Virginis annum decimum tertium agentis. Me sollicitas, ut filium tuum Sponsum accipiam, sed illo meliorem inveni: *Sponsum offers, meliorem inveni.* Mihi loqueris de genere, ingenio, honoribus; sed nemo cum illo, quem habeo, potest comparari. Ditior quam omnes homines simul, potentior, quam omnes Reges, nobilior, quam omnes Principes, dominus est Cæli, ac terræ. Me inflas fallaci filii tui suavitate, honoribus, voluptatibus, quas cum illo partiar? sed Sponsus meus speciosissimus est, suavissimus, perfectissimus, magnificentissimus præ filiis hominum. *Sponsum offers, meliorem inveni.* Potestisne, non dico vocem tantum Christianæ Virgines, sed vobis omnibus, Christiani Auditores, potestisne hoc ipsum respondere in mollibus iis tentationibus, ubi agitur, utrum pro Creatore, an pro Creaturis standum sit vobis? Mundus vobis honores, & voluptates promittit. Ostentat vobis mille fallacia bona, oculis objicit vestris falsum nitorem; hæc omnia, dicit vobis non secus ac dæmon, qui earum est princeps; hæc omnia vobis dabo, si adoraveritis me: Sed audacter respondete illi: Munde pauper, ac vetsute, cum omnibus vanis promissionibus tuis indignus es corde meo; alius te melior locum jam occupavit: *Meliorem reperi. Elogia historica.*

Sermo Præfecti, quo Agnetem a Christiana Religione conatur abstrahere & Agnetis responsio.

Cum audiit Præfectus Virginem hanc christianam esse, mutato vocis tono, ac ritu: video equidem, filia, quid mentem fascinat tuam. Defere ineptos hos virginitatis conceptus, dimitte hæc præstigia, quæ secta tua super omnes illius sectatores effundit. Oportet ut dii nostri impostorum sint objecta cultus tui, eorumque placita sola sint vitæ tuæ, sensuumque tuorum norma. Ne, dico, te ipsa obcæcare velis: fortuna offert tibi præstantissimas nuptias; locus, quem obtinebis in urbe terrarum Domina, ingentia bona, quæ possidebis, constituent te unam ex præcipuis Mundi mulieribus, atque univer-

universa familia tua in tantæ felicitatis partem accedet. Cæterum addidit ille imperioso vocis tono, viginti quatuor dumtaxat horarum spatium tibi relinquo ad deliberandum; tibi eligendum est; esse debes, vel primi Romæ Matrona, vel animam effilare in infamia, sævissimisque tormentis. Mihi opus non est, subdidit illa, tanto temporis intervallo, ut ineam consilium; jam elegi, & edico tibi, nullum me Sponsam esse habituram, nisi Jesum Christum, quemadmodum nullum habitura sum Deum, quam Creatorem Cæli, ac terræ. Quomodo audes rationis usum habenti proponere ad colendum Deos ligneos, atque lapideos? Ne credas, me sævissimorum cruciatuum minis deterreri posse; si quid in me reliquum est ambitionis, hoc est addendi coronam martyrii; & licet puella, & imbecilla sim, mihi semper satis erit virium, cum gratia Salvatoris mei, ut mori & pati possim pro ejus amore. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus pro Mense Januario.*

Sensus S. Agnetis de Præfecti sermone.

Cum Præfectus optionem illustri Virgini nostræ fecisset, ut videlicet vel inter Vestales Virgines clauderetur, vel filium suum sponsum eligeret; facile non est conjicere, quam gravi tentationi illa fuerit objecta. Quid mihi eligendum est, inquit illa, ex duobus hisce horribilibus extremis. Nihil medium est inter abominabilem inanium Deorum cultum & fidem, quam Cælesti Sponso devovi, cui sine ulla exceptione tradidi cor meum: Provoco ab hac injusta sententia ad Judicem alium, qui novit jura sua vindicare, & me ab utroque malo præservare. Malo animam a corpore meo divelli per omnes cruciatus, & excogitabilia supplicia, quam fidem, quam divino Sponso meo obligavi, & cultum Dei, quem illi adhibeo, deserere. Hac in re mihi non est ambigendum, & decrevi subire mortem vel pro fide, vel pro puritate, potiusquam desciscam a fide, quam dedi Salvatori meo; hanc vicissim optionem tribuo illis quibus non alia mens est, quam utramque mihi eripiendi: Si me crediderunt minus constantem in alterutra, næ illi ignorant animi magnitudinem, quam inspirat Deus illis, quas sibi Sponsas delegit; sed exemplo meo discent infirmitatem, ac simplicitatem Virginis, quæ in Deo confidit, facile referre posse triumphum de vi, & fraudibus omnium Mortalium. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Gravissima S. Agnetis tentatio fuit habere Judicem pro adversario, & amatore suum pro persecutore.

Ut nobis persuasum sit de invicta S. Agnetis constantia in ætate adhuc tenella, animadvertendum est in terribili tentatione, quæ inter cætera illi fuit sustinenda, illi opus fuisse non communi Cælestis gratiæ subsidio. Cum enim Virgo generosa Judicem haberet pro adversario, & amasium pro persecutore, expectabat alterius quidem injustitiam, alterius autem furorem exacturos esse ultionem sævissimam ab ea; verum illa nunquam crediderat futurum, ut vellem ipsi gloriam præripere virginitatis, damnando illam ad lupanar objiciendam libidini impudentissimorum mortalium, qui inhiabant ad prædam, quæ ex eorum manibus elabi non poterat, & tanquam victimam publicæ impudicitiæ sacrificandam. Non erat igitur Sanctæ Virgini nostræ consilium aliud capiendum; non alia ipsi optio relinquebatur; vel publica eligenda erat infamia, vel secreta infidelitas. Satis habebat illa virium, atque constantiæ, ut mortem ipsam ultro lacesseret, ut omnibus occurreret suppliciis, & hoc pacto de persecutorum suorum crudelitate triumpharet. potius quam abominabili huic prostitutioni præberet assensum; sed nimis erat corpore infirma ad propulsandam violentiam, quæ sibi parabatur. Itaque postquam integrum servavit cor suum contra urgentissimas quaslibet sollicitationes, tuum erat, o puritatis Deus, & Virginum Sponse, tueri Sanctæ hujus puellæ corpus ab omni contumelia, quam ipsa evitare non poterat. *Idem.*

Præfectus minitatur, se in publico turpitudinis loco illam expositurum.

Audax Agnetis responsum mirum in modum Præfecto stuporem injecit; qui ubi sese collegit iterum illam experiri voluit, utrum honoris sui ratione moveretur. Amor castitatis, quem Sancta Virgo præseferebat, mentem eidem injecit, futurum, ut timor prostitutionis magis in illa; quam omnia supplicia, valeret. Hæc tibi, adolescentula, relinquitur optio, utrum malis in infami luxuriæ popularis loco stuprum pati, antequam inter cruciatus animam effles, an filio meo desponsari? Omnis confidentia mea est in uno Jesu Christo divino Sponso meo, reddidit Agnes; satis potens est, ut me tueatur; & nimis zelotypus puritatis sponsarum suarum, neque patietur unquam, ut illis thesaurus auferatur, qui ab eodem proficiscitur, & cujus ipse custos est. Infames, & nequam Dii vestri, impuritissimas has vobis inspirant abominationes; verum scitote Deum puritatis, cui servio, modum inventurum esse, quo me ab impiis consiliis vestris expediat. Nil ultra requirebatur, ut iterum Præfectus exardesceret. Præcipit, ut statim virgo hæc ferreis catenis obruatur. Terribilis acervus compedum, manicarum, ferreorum collarium alium quemlibet præter Sanctam hanc perterruisset; sed illa neque oris habitum, coloremque, neque loquendi modum coram lictoribus mutat. Inter funestum hunc apparatum immota, & tranquilla moratur. Premebat illa immani catenarum pondere, quin tamen vincta esset: neque enim pro adeo parva puella facta erant vincula. Omnes qui aderunt ad miserationem commoti erant; Ethnici ipsi lacrymis temperare non poterant; Agnes una sub tanto catenarum pondere præ gaudio exultabat. *P. Croiset in Asceticis Exercit. pro mense Januario.*

Præfecti furor vilescit S. Agnetis fortitudine, qua fidem suam ejurare detrectat.

Irritatus urbis Præfectus contemptu, quo illustris hæc Virgo filium ejus sponsum habere noluerat, Religionis causam admiscuit, ut illam cogeret, vel ad mutandam sententiam, vel ad vitam cum Vestalibus vivendam; aut si obfirmato animo & Virgo, & Christiana simul vellet permanere, trahenda esset omnibus prorsus indumentis nudata in infames eos locos, quo sese recipiunt infelices victimæ publicæ libidinis, & nequitiæ. Pereat in æternum ignavus, & execrabilis Judex, qui talem protulit sententiam! Puella annorum trium supra decem, puella nobilis, Virgo pura, & casta; puella, quæ non aliud persugium habebat, nisi pudorem; non aliud asylum, nisi patientiam; non aliud solatium, nisi innocentiam; non aliam resistendi vim, nisi imbecillitatem, ac intemeratam virginitatem; non crimen aliud, nisi Religionem, quæ non aliam persecutoribus suis inferebat injuriam, nisi generosam repulsam, in infames scortorum latebras adducta præeunte per vias præcone clamante: Agnes virgo sacrilega ad virginitatis suæ jacturam patiendam abducitur eo quod Christianam Religionem profitetur, & contra Deos evomit blasphemias. Iterum dicam, Virgines pudicæ, aures vestras obstruite publico huic præconis clamori: ne audiatis hoc abominabile præconium, & nomina horum prostitutionis locorum, cujus ipsi cogitatio fremitum elicit: sed potius illas aperite, ut audiatis, quomodo Sancta sese gerat, atque ut admiremini prodigia, & incomparabilis Virginis fortitudinem, adeo indignis, ac terribilibus tentationibus expositam. *Elegia historica.*

Subdola Præfecti verba ad S. Agnetem mulcendâ.

Paulisper immoremur considerantes varias artes, quas propria cupiditas suggerit illi, qui conatus erat Sanctam Agnetem flectere, vel perdere. Quemadmodum paganus erat, neque indicabat aliud de superbia, qua illa ejus promissiones, & obsequia renuerat, nisi quod reipsa illa se alteri mortali sponso reservaret, volens æmulum hunc, quicunque tandem esset, superare: non credidit illum usurum victoriam de manu sua exsculpere, si flectere posset pertinacem illius resistentiam, quam volentem nolentem in sententiam suam pertrahere cupiebat. Itaque postquam omnes suavitatis, & urbanitatis artes fuisset expertus, quin aliquid obtinere posset, per omnia observantiæ, ac obsequii argumenta, iniit consilium utendi auctoritate sua. Adnotavimus jam huic fuisse filium Præfecti Urbis, sed addendum est, Præfectum, qui exercebat in ea Urbe terrarum Domini eamdem potestatem, quam in nostris civitatibus atque Provinciis Prætores, jussus erat ab Imperatore Christianos omnes ad eædem conquirere, ipsumque nomen Christianum delere, quin ulli parceret ætati, sexui, conditioni. Hic igitur Præfectus, ut filio suo morem gereret, quem sperabat ab omnibus flagitiis per conjugium, quo nihil ardentius optabat, revocare, omnem adhibet auctoritatem, ut ad illud Agnetem impellat. Illam igitur pro tribunali accersit, cumque illa fuisset professa nuptias, quæ sibi proponebantur, simul esse non posse cum consilio, quod ceperat virginitatem servandi; & se de proposita sententia nequaquam deterreri posse, licet sibi omnia fortunæ bona, omnis mundanæ magnitudinis splendor, imperiique ipsius possessio promitteretur. Consilium tuum probo, respondit Præfectus, qui dissimulavit se scire illam Christianam esse: hoc dignum est constantia tua, & hoc virtutis celebritate, qui frueris; neque obsto: præterquamquod si te invitam darem filio meo conjugem, licet inter utrumque adsit generis, fortunarumque æqualitas, & ille hac in re maxime polleat, si ille cor tuum minime possideret, me communis felicitatis vestræ inimicum proficerer. Ecce igitur sententia, quam in utriusque vestrum utilitatem fero. Conforme est legibus Imperii præciplentibus, ut quæ virgines permanere velint, in Vestalium numerum referantur, tanquam Diis immortalibus sacræ, & a mundo semotæ, ut pro Principis incolumitate, ac Imperii felicitate nuncupent vota. Æquus est filius meus, neque gravate feret peculiari voluntati suæ Deorum nostrorum cultum præferri, neque ignorat Vestales virgines publico huic ministerio destinari. Tu vero, Agnes, huic acquiescas sententiæ necesse est; tibi enim adjudicatur quod petis; sed juxta eas conditiones, quas leges nostræ promittunt. Hanc itaque mihimetipsi vim infero; videlicet optionem relinquo tibi eligendi vel recessum inter Vestales, vel filium meum in conjugem. Neque enim sperare debes, ut filio meo alium quemlibet præferas. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De Puritate S. Agnetis.

Quamvis nihil nobis suppeteret de Sancta Agnete dicendum, nisi illam eminentem habuisse putitatem, cum generosis conditionibus, quæ illam vulgo concomitantur, videlicet in carne fragili Angelicam servasse puritatem; nonne dicere possemus illam vivens miraculum extitisse? Et profecto quid admirabilius est, quam videre puellam eximia forma in florenti adolescentia voluptates omnes, eas etiam, quæ legitimæ sunt, & ab omni culpa vacuæ, Salvatoris gloriæ sacrificare? Nobilem Virginem ex præstantissima Romæ familia generosis ab-

rerum-

renuntiare nuptiis, & in hac virtute extinguere, ut ita dicam, omnes familiæ suæ spes; idque eo tempore quo nondum Ecclesia producebat exempla tot nobilium adolescentularum, quæ jugiter accedunt ad aras immolaturæ voluptates suas; quo cum adhuc Ethnicismus vigeret, nihil magis damnabatur; quam innocens hæc virtus, neque in exemplum proponebatur nisi Deorum impudicitia, ut hoc vitium omnibus persuaderetur; & quo Christiani ab idolorum cultoribus traducebantur tanquam humani generis osores; quia per votum virginitatis, quod Christianæ puellæ, ut plurimum facere consueverant, humanum genus extinguere velle videbantur. Tamen Agnes consilium capit exercendi hanc ipsam virtutem, & efficiendi, ut tot inter spinas puritas liliorum nascatur. Nonne dicendum est hoc miraculum esse, quod ipsa propter Deum operatur, & ad illius gloriam utilius, quam si elementorum ordinem, & naturæ leges subverteret? *Bivoat.*

Constantia S. Agnetis in Virginitate, & fides tuenda. Præfecti minas irridet.

Quæ constantia in tredecim annorum puella; in ætate adeo tenera, qua ratio sese nondum satis explicuit? Sancta Virgo parata est ad omnia potius suppliciorum genera perpetienda, quam abjiciendam fidem. Cum intentantur illi flammæ, gladii, carceres, eculei, rotæ, cruces, conformatur magis quam perhorrescat. Videte Agnetem vi raptam ad dæmonum aras illis sacrificaturam. Quin illis adoleat thura, quod Præfectus sperabat; in cælum ad Salvatorem suum in crucis formam manus ambas attollit, ut in virtute sacri ejus vexilli prunæ, in quas fuerat projecta, vim amitterent suam. Ex hoc elapsa periculo tyrannus furit, & arbitratus pudoris jacturam illi majorem sensum allaturam, edicit illi fore, ut, nisi vellet Minervam colere, & facti veniam deprecari, publicæ libidini procacissimæ adolescentiæ prostitueretur. Sancta vero nihil hisce minis deterrita in Deo confidens, quem puritatis suæ Patronum assumpserat; ejusdem opem sibi præsentissimam experitur. Agnoscit effecta amoris Christi sui, cum prorsus nudata in loco turpitudinis exposita, videt omnes artus suos succrescentibus capillis tegi, ac talem, in prætereuntibus horrorem impotentiæ judicis suboriri, ut oculos averterent ab eo infamiæ loco, cui Virgo ista erat mancipata. Ita ad tuendam fidelis hujus sponsæ puritatem Salvator igne devorante percussit impudentem quemdam, qui audacter oculos fixit in Sanctæ Virginis corpus, qui ad illius pedes corruit, dum illa Domini sui laudes recineret. *Recens Auctor.*

S. Agnes capitur ad aras Deorum, & mox ad Lupanar.

Superbum responsum quod illustris Sancta nostra Præfecto dedit, illum irritavit ita, ut de minis ad effectus processerit, ac jusserit illam trahi ad aras ebus Idolis oblaturam; verum hoc minime profuit nisi ut altius coram majori populi multitudine Jesum Christum confiteretur; neque obtineri potuit, ut moveret manus nisi ad Crucis signum efficiendum, atque extollendum, ut ita dicam, trophæum hoc super dæmonum ipsorum altaria. Præfectus tanta hujus puellæ constantia confusus, magis magisque furens exarsit, & non dubitans, quominus illa prostitutionis locum perhorresceret magis, quam ipsam mortem, eo trahi jussit; sed Divina Providentia in illius custodiam demisit Angelum, & cæleste hoc lumen repente locum illum infamem in sacellum convertit, quod Sancta Virgo precibus, votisque suis sanctificavit. Præfecti Filius aliis insolentior ausus est illuc ad contumeliam honori ejus inferendam accedere, sed mortuus ad Sanctæ pedes illico occubuit. Factum adeo admirabile stuporem omnibus injecit. Præfectus autem obitu filii ad desperationem adactus, furoribus ejectis vertitur ad preces, & Virginem obtestatur, ut filium suum revocet in vitam. Vix Agnes in Cælum oculos, manusque sustulit, cum Præfecti filius a morte resuscitatus elata voce clamat, Deos omnes inania esse figmenta, & unum dumtaxat verum esse Deum, quem Christiani venerantur. Miraculum adeo manifestum nimis urgebat Præfectum, ut Sanctæ Agneti se propitium præstaret; sed Sacerdotes Idolorum ad prodigii rumorem exciti conclamant, Sagamque, ac Sortilegam appellantes puellam, ita populum adversus Agnetem animarunt, ut Præfectus seditionem veritus, neque animum inducere valens ad mortem illi inferendam, quæ vitam filio reddiderat, iniit consilium secedendi, & judicium relinquendi Aspasio, qui illius vices gerebat. Hic a populo, qui Sanctam Agnetem venificam, ac magam arbitrabatur; compulsus profert sententiam mortis in illam, quæ adhuc vivens flammis comburenda adjudicatur. *P. Croiset in Ascetis exercitationibus. Pro mense Januario.*

Deus in Agnetis gratiam vim ignis cohibet.

Vix impius Aspasius mortis sententiam in Sanctam Virginem protulerat, cum rogus instruitur. Concupiscit populus universus impatiens moræ beatam illam Virginem in cineres redactam cernere, sed ignis illi pepercit, flammæque bipartitæ, quin illi officerent, magnam spectatorum partem absumpserunt, qui carnificum fungebantur officio. Ignis ille factus fuit Agneti ros suavis & jucundus: tandem vero extinctus est, & vix aliquod illius vestigium, aut labem sensit Agnes; quam fortasse creditis omne periculum evasisse, & jamjam parentibus suis traditum iri putatis. Sed vestra vos fallit opinio. Impius enim Præfecti Vicarius insanit, ac imperat; ut ferrum & gladius in ignis locum subeat, ut si supplicium mitius fuerit, saltem celerius juvenculæ hulc victimæ vitam eripiat. Hic autem novum mihi occurrit argumentum fortitudinis, & constantiæ Virginis nostræ; etenim fallax, vel apparens dumtaxat intrepidi animi firmitas certe defeciisset; sed Agnes quin nutaret, eadem semper extitit, & ejus fortitudo nova prorsus luce perfusa coruscavit. *P. Stephanus Chamillart.*

S. Agnes ad supplicium rapta exultat.

Admiratione dignum est, intueri alacritatem, qua ad supplicii locum pergit Sancta Agnes: Illuc volitare videtur, adeo amoris sui ardor illam rapiebat. Nonne ad balneum sese conferre videtur? Inter ardentes pruinas stat, quasi in roseo strato decumberet. Flammæ, quas Patres dixere rationales, atque sapientes, sive illis utatur Deus ad reproborum animas in inferno torquendas, quantumvis spirituales; sive serviant, atque obtemperent Deo, ne in Electorum illius corpora sæviant, contra indolem suam: hæ, inquam, flammæ virginali carni parcunt, quam puritas quodammodo invulnerabilem, & nulli obnoxiam dolori reddidit. Sunt loco luminis, ornatus, propugnaculi, & folii Agneti nostræ, quæ similis tribus illis pueris, quos in Babylonica fornace ignis lædere non potuit, inter flammas recinit laudes Dei sui. Sacerdotibus denique, ac populo omnia hæc prodigia dæmonum operibus accepta referentibus, Vicarius Præfecti seditionem veritus mandat alicui ex tortoribus, ut sanctam in ipso igne confodiat. Tunc Agnes Sancta impatiens moræ, ut se in æternum in Cælo cum divino Sponso conjungeret, Dominum orat, & obsecrat, ut sibi permittere velit sacrificii sui consummationem, & mox ad carnificem conversi, qui nonnisi trepidans, & cum reverentiali timore accedebat ad illam, hortatur, atque confirmat, ut acceptum imperium sedulo exequatur. Festina, inquit, hoc destruere corpus, quod per summum dedecus alteri placere potuit, quam divino Sponso, qui semper possedit cor meum. Ne verearis mortem mihi inferre, hæc enim mihi futura est vitæ æternæ principium; & peramanter oculos in cælum attollens: Excipe, Domine, exclamavit, Excipe animam, quæ tanti stetit tibi, & quæ tibi est adeo jucunda. Ad hæc verba tortor trepidante dextera gladium capulo tenus infigit in sinum, & statim Virgo animam efflat. Ita, S. Hieronymus ait, cum Sancta Agnes sese supra naturalem sexus ætatisque suæ infirmitatem extulisset: duplicem retulit de Jesu Christi inimicis victoriam, & martyrio suo confecrans honorem virginitatis, in Cælo duplicem coronam obtinuit. *Ex diversis Auctoribus.*

S. Agnes minibus trepidanti hortatur ut illum mortis inferat sibi.

Quid magis heroicum est, quam hortari, excitare, & confirmare carnificem, qui illi mortis vulnus infliciturus erat. Obstupefactus Minister, & quasi immobilis, Sanctus Ambrosius inquit, non audet accedere; Agnes ad illum accedit, & cervicem inflexam gladio feriendam porrigit: Attollit ille lacertum, & secreto terrore deterritus expalleseit, & viribus deficit. Sancta Virgo illi animum addit, & hortatur ne diutius ipsam beatam efficere cunctetur. Minister virginis fortem miseratus viam quærit vitam ejus servandi, Agnes vero cælum obtestatur, ut suum carnificem in adimenda sibi vita promptiorem, ac ferociorem efficiat. *Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere perussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum Agnes non timeret suo.* Verbo, Agnes recipit ictum, & tamen credidisset aliquis de carnificis agi vita, non de illius. O Deus, quintæ gloriæ tibi cessit hæc mors! Auctus fuit numerus fidelium, crevit Virginum fervor, zelus ministrorum tuorum ardentior evasit, & sanctum Nomen tuum factum est Romæ, quam antea celebrius, & ab ipsis idolorum cultoribus majori in honore fuit habitum. *P. Stephanus Chamillart.*

Ejusdem argumenti.

Constantia, & fortitudo Sanctæ Virginis hujus fuit admirabilis; una illa sæcls oculis visa fuit, cum omnes illam deflerent: manet imperterrita, dum carnifex trepidat, & præ timore expalleseit. Preces suas effundit, ac cervicem inflectit non minus Jesum Christum adoraturæ, quam facilius exceptura vulnus adeo propitium, quo est cum cælesti Sponso conjungenda. Evolat tandem in Cælum sine dolore, quandoquidem carnifex uno ictu caput ejus abscidit. Hic, Domine, est gloriosus triumphus unius ex præstantissimis Sponsis tuis, vel, melius dicam, triumphus tuus. Non enim minimum potentiæ tuæ miraculum est, sexui adeo fragili Martyrii gloriam tribuere. Hic effectus est plenissimæ confidentiæ, quam insignis hæc sancta habebat in misericordiis tuis: hoc certissimum est argumentum fiagrantissimi amoris ejusdem in te, & tui erga illam. Ut digne celebrem Sanctæ hujus Virginis laudes da mihi robur ejus vestigia legendi, amando non secus ac illa, puritatem usque ad bonorum omnium mundi hujus jacturam, adeoque vitæ ipsius, ad magnam hanc virtutem servandam, qua maxime oblectaris. *Auctor recens.*

Quomodo virtutem S. Agnetis imitari debeamus?

Quam beati essemus! si juxta Sanctæ hujus exemplum, per totum vitæ nostræ spatium unice adhæreremus Deo, eique uni cum perfecta, ac sincera fidelitate seviremus? Sed heu! quam longe ab illius vestigiis abhorremus! Frustra ob oculos nostros objicitur, quid Virgo tredecim annos nata, imbecillis, tenella, mollis, propter Deum

ſuum paſſa fuerit; tantum abeſt, quod aſpectus iſte nos excitet, ut immo frigidiores fieri videamur; & quod nimis frequens de hac re nobis incidit ſermo, ſi nequaquam eodem afficimur, jus nobis eſſe arbitramur. Sexcentas præteximus cauſas, ut a tantis exemplis ſequendis diſpenſemur, & leviſſimæ etiam mortificationis auſteritates nobis nimis onerosæ videntur. Nulla fere diebus hiſce nobis adeſt puella, nulli ampliori genere nata, quæ hoc prætextu gaudens ſe non diſpenſet a jejuniis, aliiſque id genus pœnitentiis, quas Deus, vel Eccleſia nobis impoſuit. Verum eſto, ſi hæc gracilitas vera eſſet, factum ipſum minus eſſet improbandum. Sed gracilitas hæc, ut plurimum effectus eſt amoris proprii, immodici amoris vitæ noſtræ, amoris incompoſiti noſtrummet ipſorum. Graciles, & infirmæ cum aliquid propter Deum perferendum eſt; fortes, robuſtæ, indefeſſæ, ubi agitur de aleæ, de ſpectaculis, de oblectationibus ſæculi; verbo dicam, fortes ſunt, ut mundo placeant, & illi ſacrificent univerſa. *P. Stephanus Chamillart.*

Ad inſpirandos ſenſus pietatis, mortificationis ſui ſtudii, ad fidem & religionem ſuſtinendam nihil aptius eſt S. Agnetis exemplo.

Si quod exemplum eſt inter tot millia, quod valeat nobis perſuadere generoſum contemptum vitæ, & ſublimes eos ſenſus, quos propter Deum habere debemus, procul dubio hoc illud eſt Sanctæ Agnetis. Quis ſexus! quæ ætas! quæ gracilitas! quis denique color noſtram excuſare poteſt ignaviam atque mollitiem! Si nobis deeſt animus eas ſaltem ſuſtinendi pœnas, quæ Dei ſervitio, & Chriſtianæ Religionis profeſſioni inhærent, videntibus puellam annorum tredecim per conſtantiam ſuam ſeſe attollere ſupra infirmitatem ſexus, ætatis, ac naturæ ipſius, ut Deo ſuam fidem teſtetur! Quænam ſecreta exprobratio non eſt talis mentis, & cordis fortitudo in corpore adeo imbecillo, & tanta animi generoſitas in ætate adeo timida, & tenera, tot ignavis Chriſtianis; qui tantum abeſt, quod præſto ſint ad vitam effundendam pro ſua fide tuenda, ut ne minimam quidem ſibi vim poſſint inferre, ut ſecundum fidei hujus placita vitam inſtituant? Non eſt amplius Martyrum tempus, hoc tenemus; nulli ſunt hodie tyranni, qui Chriſtianorum ſanguinem ſitiant, & qui igni ferroque Religionem prorſus ſanctam exterminare conentur. Sed Mundus ipſe factus eſt perſecutor, atque tyrannus, qui bellum indicit, non quidem fidei, ſed inſtitutis fidei, & Religionis. Ille bellum infert Chriſtianæ humilitati, abſtinentiæ, modeſtiæ, pietati, & quaſi generatim virtutibus omnibus. Liquido conſtat vim, conſtantiam, animumque requiri ad Chriſtianum nomen, ac dignitatem tuendam: ſed ſi quid virium illis ineſt, hoc inſumunt in aſſiduis flagitiis, ut ſuſtineant labores, quos ab eis exigit Mundus, & ut ad ſæculi placita ſeſe componant: Infirmi ſunt, ut Chriſtianam vitam vivant: *ad peccandum fortes, ad pœnitendum debiles*, dicebat eloquens Salvianus de Chriſtianis ævi ſui. Quo pudore non ſuffundet illos aliquando Agnetis incomparabilis exemplum, quæ adeo generoſe vicit quidquid in mundo aptius eſt ad nos fallendos, ac perterrendos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

PRO SS. VINCENTII, ET LAURENTII MARTYRUM PANEGYRICO. MONITUM.

Conſtat duos hoſce Martyres eximios ſingillatim ſuum elogium mereri, & ſacri ſuggeſtus conſuetudinem minime pati, ut pro utroque commune texatur encomium. Non adeo mirum videretur, ſi eodem tempore, ſub iiſdem perſecutoribus, per eoſdem carnifices, una paſſi fuiſſent, quod pluribus Sanctis Martyribus ſexus utriuſque paſſim uſuvenit. Verum in hiſce collectaneis meis Sanctos Vincentium, ac Laurentium conjungenti mihi non hæc fuit mens; ſed ea tantum, ut, quandoquidem in eorum ſupplicio, in ætate, miniſterio, Diaconatus dignitate, omnibuſque conſtantiæ, & fidelitatis eorum experimentis tanta eluceſcat ſimilitudo, e re non cenſuerim titulos, & argumenta multiplicare, & ſatis eſſe in communi ſupellectilem adornare, ad conciones ſeorſim replendas.

In hac autem factorum, locorum, experimentorum mixtione, quam diligentiſſime cautum eſt ne quid ita confunderetur, ut vel in margine, vel per varios titulos non indicaretur, quod alterutri potius conveniret; ita ut qui in aliquo ex duobus hiſce argumentis operam locaturus eſt, inveniat ſaltem varios circuitus, ac diverſa rerum vocabula, ſi minus eaſdem rationes, eademque facta evitare valuerint.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum de Sancto Vincentio Syſtemata.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10.

I. SI decrevit Deus immortalis gloriæ corona Sanctos redimere: ſtatuit etiam, ut graviſſima certamina in terris ſuſtineant, & ut victoriam referentes jus ad præparatam ſibi coronam acquirant: *Vocat ad pugnam; quos præparavit ad coronam.* Sed in quonam ex Sanctis omnibus hæc Dei Providentia magis enituit, quam in eo, cujus hodierna die feſtum recolimus? Ad ſolum Diaconi Vincentii nomen in mentibus noſtris excitatur imago maximorum certaminum, quæ ubi ſpiraverit Chriſtianiſmus, ſimulque nobis exhibetur tanquam victor inſignis ex id genus præliis ſumma cum laude reverſus. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* De quibus præliis hic verba facimus? Non de illis quidem, in quibus aſſerta virtus ſæculi heroes ob oculos carnalium hominum attollit; cum interim turpibus cupiditatibus ſervientes, ſemet ipſos dedecore afficiunt in oculis Dei, quem adoramus; ſed de illis, quæ mundus modo aſſentator, modo perſecutor inferebat olim generoſis Jeſu Chriſti militibus, ſeu cor eorum illiciis ſuis mulcens, ſeu in eorum corpora omnem ſuam exercens crudelitatem, ut olim S. Auguſtinus animadvertit in quodam Sermone, quem in Sancti hujus honorem elucubratus eſt. Quam præclarum eſt, victorem evadere ex hujuſmodi certaminibus, reſiſtere eis, quæ vel mollire, vel dejicere poſſunt fortiſſima corda; videre hoſtem adeo terribilem profligatum, poſtea quam omnia ejuſdem perturbata fuere conſilia, & omnes illius conatus in irritum ceſſerunt! Hic ſeſe attollit ſuper ea, quæ tot vicere mortales, qui univerſum terrarum orbem nomine ſuo, & maximarum rerum ab ipſis geſtarum admiratione repleverunt. Verum quomodonam huc pervenit? S. Auguſtinus id duplici verbo nos docet; eaque applicemus S. Vincentio, quemadmodum ipſe etiam applicavit. *Illecebras mundus miniſtrat, & vincitur per continentiam; pœnas infligit, & vincitur per patientiam.* Duplex victoria, cujus Vincentius in nomine ſuo auſpicatiſſimum habet præſagium, ſicuti laudatus Doctor animadvertit; quodnam vero hujus rei principium extiterit, diſcite a S. Leone: *Chriſti amore præmunitus reſiſtebat.* Igitur

1. Amor Jeſu Chriſti, amor ille, unde Apoſtolus olim hauſit eam fortitudinem, qua omnia quæcunque terribilia in mundo ſunt, provocabat; Amor hic, inquam, inſpiravit illi generoſum hunc contemptum, quo omnes ſuperavit illecebras, quibus blanditor uſus eſt mundus, ut cor ejus deciperet; quod in priori hujus ſermonis puncto videbimus.

2. Hic idem amor inſpiravit illi conſtantiam invictam; qua omnem ſuperavit crudelitatem, quam mundus perſecutor exercuit in corpus ejuſdem; quod in altero docebimus. In utroque autem, ut vobis exhibeam duplicem hanc victoriam per Jeſu Chriſti amorem relatam de mundo in S. Vincentii perſona, non aliis coloribus utar, quam quibus uſi ſunt inſignes duo Panegyriſtæ, quos habere meruit ſuarum laudum præcones, S. Auguſtinum videlicet, & S. Leonem, & elogium, quod gloriæ illius dedico, non erit omnino indignum eodem, niſi eorum Sanctorum verba in ore meo amiſerint vim, magnitudinem,

Digitized by Google

nem, & majestatem, quam adhuc in scriptis illorum tuentur. *P. Martineau in Sermone Manuscripto.*

II. *Spectaculum factii sumus mundo, Angelis, & hominibus.* 1. ad Cor. 4. Quod de ipso, deque Christi fidelibus ævi sui dicebat Apostolus in primis Ecclesiæ persecutionibus, credidi me id dicere posse peculiariter de glorioso Sancto Vincentio, uno ex strenuissimis Martyribus, & præstantissimis fidei propugnatoribus, quos Christiana Religio produxerit. Ejus fortitudo, & constantia aliquid habent non commune, & propter illum Deus suam potentiam ostendit modo ita singulari, ut minime dubitem asserere ipsum fuisse spectaculum dignum, quod in se Angelorum, hominumque ora, oculosque converteret; & potest adhuc fieri admirationum nostrarum argumentum. *Spectaculum factii sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Itaque inde oritur S. Augustinus unum ex sermonibus, quos in incomparabilis Martyris hujus laudem scripsit: *Magnum spectaculum spectavimus oculis fidei, Vincentium Martyrem ubique vincentem.* Et sane si ex veteris alicujus sententia spectaculum Deo dignum est vir fortis cum fortuna compositus, qui nullis adversitatibus quatitur, & in casibus iniquis firmus, ac intrepidus perseverat: Quid majus, aut admirabilius est, quam hominem intueri per se infirmum, sed superna virtute roboratum, cruciatibus æque ac voluptatibus resistere: utilissimas quaslibet contemnere promissiones, invictum inter terribilia supplicia permanere, & in alterius hisce vicibus dolorum, ac deliciarum ex utrisque parem victoriam referre? Sed hoc spectaculum non debet in sterili admiratione immorari; ad nostram debet doctrinam proficere, & sicut idem S. Doctor de Martyribus generatim ait, eorum constantiam, atque supplicia validas esse ad Martyrium adhortationes; debemus saltem eorum imitari fidem, atque fortitudinem patienter ferentes ea pericula, quæ de virtute nostra in hac vita facere vult Deus, ut illam in altera possit coronare. Vos igitur attentos præbete huic spectaculo, quod vobis exhibiturus sum in Sancti Vincentii fortitudine; quod si novitate sui minus oculos vestros illexerit, quoniam Ecclesia undecies recensct centena Martyrum millia; saltem vobis audeo polliceri, nullum fuisse, in quo & hominis constantia, & Dei virtus magis effulserit. Jure igitur dico vobis insignem hunc Sanctum spectaculum esse dignum, quod homines, Angelique admirentur, & addo, dum generosus iste athleta constantiam hanc ostentat, fidelitatem suam prolaturus, Deum quoque brachii sui virtutem insignire illum certaminis tempore fulciendo, & post victoriam glorioſum efficiendo; & hoc duplex illud est spectaculum, quod hodierna die vobis exhibendum aggredior.

1. Quid Vincentius facit propter Deum suum, cujus causam, & gloriam sustinet.

2. Quid facit Deus pro Sancti Vincentii gloria. *Spectaculum factii sumus Mundo, Angelis, & hominibus.* Hæc erit sermonis hujus partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

III. *Fortis ut mors dilectio.* Cant. 8. Nullus dubito, quo minus S. Vincentius locum prorsus peculiarem obtineat inter Martyres; mors enim quam passus est pro fide tuenda prorsus mirabilis est. Alii moriuntur propter nimia tormenta, & S. Vincentius moritur, sicut nostis, præ metu voluptatum. Alii moriuntur propter pœnarum continuationem, hic moritur propter earum cessationem. Moriuntur alii, cum ipsis corporis vires deficiunt; hic autem cum magnitudini animi sui deficiunt supplicia. Sed dubitandum videtur, utrum timor, an audacia causa sit hujus illustris martyrii. Ulterius progredior, & heroicam S. Vincentii constantiam consideramus, qui in lectulo ferreo candenti, ac ignito firmus, ac robustus perseverat, & animam efflat simul ac in roseo sternitur cubili; qui novas semper vires invenit, ut nova supplicia sustineat, & ne momentum quidem invenit vitæ, ut oblata sibi requie fruatur; dubito utrum victoria de voluptatibus relata pulcherrima sit pars ejusdem Martyrii, & utrum minus miraculum sit inter cruciatus non posse mori, an vivere non posse inter delicias. Ex orationis decursu, quam in duas partes seco, judicium ferre poteritis; exhibebo igitur oculis vestris,

1. Hominem admirabilem, quem pœnarum tolerantia fecit vivere

2. Angelum, quem deliciarum fuga mori fecit. Hæ duæ erunt partes elogii. *P. Novet in Meditationibus.*

Proba me, Deus, & scito cor meum. Ps. 138. Probavit Deus S. Vincentium in triplici rerum genere, in quibus martyrii perfectio consistit.

IV. 1. Fidem ejus probavit: Namque Sanctus hic productus ante judicis Ethnici tribunal, ac de religione interrogatus non solum non hæsit, sed palam Christianam Religionem professus est, ut Fideles roboraret, Ethnicos converteret, & idola, dæmonesque confunderet.

2. Probavit Deus illius animum, ac generositatem; cum enim impenderent illi omnia excogitabilia supplicia propter Religionem, quam profitebatur, non veritus est se illis objicere, hoc pacto Tyrannorum auctoritatem, carnificumque crudelitatem irridens.

3. Probavit Deus illius charitatem; tum enim sævissimis addictus esset tormentis, sese obtulit Deo ignito prorsus ardore, instar victimæ, gloriæ ejusdem immolandum, & pluries sanguinem vitamque suam dedit Jesu Christo, in speciem quidem per mortem furori Tyrannorum succumbens, at vere de Tyrannis, tortoribus, tormentisque triumphans; ita ut præclarus hic martyr possit dicere cum David. *Probasti me, Domine, & visitasti nocte; igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* *Psalm. 16.*

Probasti cor meum, & visitasti nocte, & non est inventa in me iniquitas. Ps. 16. Primo intuitu injuria fieri videtur gloriæ S. Laurentii, illum inter flammas statuere, & in craticula ignita corpus ostendere, quod tantum Dei amorem præsetulit, & cui Cælum præparat solium. Nonne melius esset, ad illius panegyricam orationem texendam producere S. hunc Levitam in templis inservientem sacrificio Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, vel in nosocomiis eleemosynam distribuentem, vel in Christianorum domibus ægros sanitatem? Nonne glorioſior videretur dans mortuis vitam, quam cum amittit suam? Sed postquam Jesus Christus occubuit propter homines, mortem consecravit; & postquam in ligno expiravit, supplicjorum natura immutata est: Hæc non habent ultra turpem illam impressionem, quam a judicum sententiis, & a nocentium sceleribus hauserat. Itaque nescimus gloriam illius exhibere quam in ardenti craticula, ubi illum amissurus est, neque in meliorem lucem nomen ejus ponere, quam in ea, quam flammæ istæ effundunt, quandoquidem mirum in modum ostendunt cordis ejus fidelitatem, & amoris magnitudinem: *Probasti cor meum;* & reliqua illius charitatis officia, proprie loquendo nihil aliud fierunt, nisi dispositiones ad hoc novissimum experimentum. Ita Sanctus Martyr cum ad aras deservit, discit sanguinem suum effundere propter Jesum Christum; cum thesauros distribuit, discit effundere vitam suam; cum operatur miracula, discit facere magnum hoc sui amoris miraculum. Sed ut illius gloriam penetremus, consideremus paulisper ardentem hanc craticulam, in qua animam efflat in tribus diversis qualitatibus; tanquam tribunal, ubi interrogatur; *igne me examinasti;* tanquam aciem, in quam ad certamen descendit, *Probasti cor meum;* tanquam altare, ubi immolatur: *visitasti nocte.* V. Pro Panegyrico S. Laurentii.

1. Testimonium, quod perhibet.

2. Victoria, quam refert.

3. Sacrificium quod offert. *Bivrat.*

Probasti cor meum, & visitasti nocte; igne me examinasti; & non est inventa in me iniquitas. Ps. 16. Sanctus, cujus hodierna die elogium texere aggredior, non est ex eorum numero, quorum vix vitam, nomenque cognoscimus, eorum, quos Deus unus cognoscit, & quorum merita, heroicaque virtutes mundus ignorat, earum stellarum, quæ latentes in providentiæ sinu super terram nonnisi aliquas gloriæ suæ scintillas emittunt. S. Laurentius unum est ex syderibus primi ordinis, cujus fulgentes virtutes mundo universo coruscarunt, unus ex mortalibus illis non vulgaribus, quorum celeberrimi Ecclesiæ Doctores, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, quorum Pontifices, & Episcopi, qui eruditionis, & eloquentiæ laude claruerunt, Leones, Gregorii, Maximi, oblectati sunt in scriptis suis admirabilia facta referre, ut eorum gloriam traderent immortalitati. Ubi est Imperium, Regnum, Respublica & catholica Civitas, quæ non resonet laudibus ejus? quæ illius non admiretur zelum, atque constantiam? quæ cum pietate & gaudio gloriosam memoriam non recolat? Quænam jejunia, ut religioſius festum illius celebretur! Quæ preces in Sacris Canonibus indigitatæ, ad illius promerenda suffragia! Quæ elogia enuntiata! Quæ Templa, ac delubra in illius honorem dicata! Quis laudes, quam remunerationem meretur Sanctus, cujus cor a Deo exploratum fidele repertum est? cujus anima noctis, & impunitatis beneficio tentata, suam semper innocentiam servavit? cujus corpus igne probatum non secus ac argentum, & aurum in adeo acerba, ac vehementi tentatione ne minimam quidem labem contraxit? Dicam audacter, loquor enim cum Sancto Maximo; hoc est meritum, & peculiaris S. Laurentii character, quem sub duplici ratione consideramus. VI. Pro S. Laurentio.

1. S. Laurentius probatus adeo delicata tentatione, qualis est bonorum Ecclesiasticorum administratio ad pauperum solatium, & victum viduarum, in ministerio suo peragendo integerrimam innocentiam, & incomparabilem præsetulit Charitatem: *Probasti cor meum.*

2. Sanctus iste Diaconus adeo severo probatus supplicio, quale est ignis, intolerabilem illius rigorem sustinuit summa cum intrepiditate, atque constantia: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* *Homil. de S. Laurentio.*

Verbo, ut cum Sancto Maximo loquar. *Charitatis magnitudo Leviticum ministerium dedit, plenitudo fidei Martyrii contulit dignitatem.* Tentatio, qui Deus illius rigorem probavit, majorem tribuit virtutibus ejus extensionem; Tentatio, qua tyrannus fidem ejus expertus est, majorem in lucem illius fortitudinem protulit. *Elogia historica.*

Si paulisper considerari volumus vitam, quam duxit Sanctus Laurentius, & mortem illius, fatendum nobis erit illum duplicitet Martyrem exstitisse: ignis enim, VII. De eodem S. Laurentio.

quo

Digitized by Google

quo intus cor ejus urebatur, illum charitatis martyrem constituit.

2. Ignis exterior, quo illius corpus crematur, eum fidei martyrem facit. Alter fuit virtæ ejus principium, alter mortis fuit causa. Prior fecit, ut anima ejus viveret; posterior, ut corpus illius moreretur. *Auctor recens.*

VIII. Ejusdem argumenti. *Mirabiliter me crucias.* Job 10. Quemadmodum in tali argumento, quale est S. Laurentii Martyrium, nonnisi prodigia expectanda sunt, ostendere possumus,

1. S. Laurentium, odio habentem, semetipsum amavisse; amoremque crevisse, quo magis illius in se odium crescebat. 1. illum odisse corpus suum eo usque, ut illud oneraret mortificationibus, jejuniis, vigiliis, ciliciis, ac pœnis pauperiati & egestati inhærentibus; ac illud objiceret martyrio toto festinans anhelitu. ut S. Sixtum sequeretur supplicii ejus consors, sociusque futurus: qua in re amavit etiam corpus suum: scriptum est enim: *Qui odit animam suam*, hoc est corpus & vitam, *in vitam æternam custodit eam.* Joann. 12. 2. Ille odit corpus suum eo usque ut illi omnium martyriorum crudelissimum procuraret; ignis enim supplicium ardentissimas, & maxime universales parit pœnas. Quod novum addidit incrementum amori Diaconi hujus; Deus enim suum Sanctum auget amore, prout in illo augetur odium corporis sui.

IX. De eod. S. Laurentio. 2. Ostendere possumus S. Laurentium magnam ostentasse vim in sua infirmitate, idque dupliciter. 2. Quid infirmius corporibus nostris? & nihilominus S. Laurentius per carnem suam, & in carne sua triumphavit de tortoribus. atque tyrannis eo usque, ut illis insultaret. Quid infirmius hoc Diacono, cum per ætatem esset adhuc juvenis, solus. omni ope & subsidio destitutus, & nihilominus pugnaret contra Imperii totius majestatem, contra gravissimos cruciatus, ita ut voluptates, quibus perfundebatur, majores essent doloribus propè infinitis, quos in corpore suo patiebatur: Ita ut Deo dicere potuerit: me quidem crucias, Domine, & ipse patior, sed modo prorsus admirabili: *Mirabiliter me crucias.*

Habentes mysterium fidei in conscientia pura. 1. Tim. 3. Hæc Apostoli verba quadrant adamussim Levitæ Sancto, cujus elogium texendum aggredior; & quem fert animus exhibere vobis sub duplici intuitu.

1. Tanquam Diaconum fidelem sacrorum illi commissorum administratorem. 1. Sanguinis Jesu Christi, quem secundum morem prisum Diaconi ministrabant fidelibus, & quem S. Laurentius nonnisi illis communicavit, qui se eodem dignos præbuerunt. 2. Sacrorum thesaurorum, tum Ecclesiasticæ supellectilis, cum sacrorum Librorum, & eleemosynarum a Fidelibus collatarum, quarum Diaconi simul & quæstores erant, & distributores. 3. Pauperum Ecclesiæ, qui illius sunt veræ, viventesque divitiæ, veri que thesauri, quemadmodum illius honor sunt: quorum cura Sancto huic Levitæ cura credita erat, ex quibus sine ulla acceptatione personarum distribuebat, quidquid ad eorum victum necesse esse putabat.

2. Tanquam zelotem sacrificulum, qui ardentem craticulam, in qua efflat animam, convertit in aram, ubi Deo duas immolat hostias. Quarum prima est corpus suum, quod objicit furori carnificum, irrisionibus, & contumeliis, quas illis in eum placet exercere, quod illum efficit perfectum holocaustum omnino consummatum pro Dei gloria, & fidei defensione. Altera victima est cor ipsius, quod ardens longe fervidiori charitate, quam ignis suum corpus absumat, offert holocaustum longe acceptius Deo: & hic amor duplex est; quandoquidem habet pro primo objecto bonum supremum, cui se totum, & sine ulla exceptione offert, & quod amat prælationis amore; pro secundo autem objecto fideles, quibus præbet exemplum diligendi Deum magis quam propriam vitam, magis quam opes & voluptates; magis quam honores, & verbo, magis quam res omnes, pro quibus sæculi amatores omnes suas vigilias, labores, ipsam denique vitam sacrificant. *Specimen Oratorum Panegyricarum.*

X. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. 10. Verba hæc sacrorum Bibliorum mirum in modum conveniunt S. Levitæ, cujus hodierna die festivitatem recolit Ecclesia.

1. Quia S. Laurentius semper martyrium concupivit. 2. Talis erat dispositio & primorum fidelium, & magis adhuc ministrorum Ecclesiæ, quorum dignitas erat quidam ad martyrium apparatus. 2. Quia reipsa S. Laurentius quotidie ad illud se præparabat perfecta abnegatione cujuscunque rei, quæ in eo terram saperet; rerum cælestium amore; legitima dispensatione earum rerum, quæ ejus curæ commissæ fuerant, amore pauperum, & Ecclesiæ.

2. Quia perculit mortem heroica constantia. Et profecto Martyrium illius conjunctum est cum omnibus circumstantiis, quæ commendare possunt gloriam triumphi ipsius. 1. Quia tentatus est, ut tyranno traderet Ecclesiæ thesauros. & festinavit illos pauperibus distribuere ad fallendam illius avaritiam, quin minus, & sævitiam ejusdem reformidaret; pro iis thesauris, quos poscebat, ei exhibens pauperes, quasi ardenti siti divitiarum vellet insultare. 2. Ille crudelissimo suppliciorum omnium, igne videlicet, excruciatus fuit, sensim, & lento gradu in omnibus corporis sui artubus; quasi corpus ejus marmoreum esset, vel æneum, eo usque ut tortores suos rogaret, ut illum in omni parte torrerent, eosque invitaret, ut eam corporis partem, quæ jam assata satis erat, versarent, atque comederent, explerentque inexplebilem famem torquendi famulos veri Dei. *Auctor recens.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia potest ad hos concionum structuras exornandas, & Auctores, qui de hoc argumento pertractant.

Sancti Patres & alii qui locuti sunt de S. Vincentio.

SAnctus Augustinus quinque sermones elucubratus est de S. Vincentio. *Tomo decimo sermone* 12. *&* 13. *de Sanctis: Serm.* 8. *&* 9. *ex additis. Serm.* 112. *de diversis.*

S. Paulinus *Carmine* 26. Sancti Vincentii meritum extollit.

Prudentius Poeta in hymno in hujus laudem compositio plurima habet notanda.

S. Leo in sermone in honorem ejusdem Sancti compositio, latius verba facit de variis suppliciis, quæ passus est, ejusque fortitudinis causam affert. Horribilem habet hypotiposim vulnerum corporis illius, ac tandem refert prodigia, quæ Deus in illius gratiam operatus est.

S. Gregorius Turonensis affert insigne miraculum per tunicam S. Vincentii peractum.

S. Thomas de Aquino sermonem edidit pro die festo Sancti hujus, & pro themate sumpsit illa Apocalypsios verba: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.*

Dionysius Carthusianus, *in proprio Sanctorum*, latius de variis hujus Sancti virtutibus loquitur.

Guillelmus Parisiensis, duo edidit hujus argumenti sermones.

Sancti Patres qui de S. Laurentio loquuntur.

S. Augustinus *tomo* 10. *lib.* 50. *homiliis*, homilia 37. pro die festo S. Laurentii.

Idem quatuor habet sermones de Sancto eodem; primus est trigesimus *de Sanctis*, alter vero trigesimus secundus, tertius denique tertius supra trigesimum *de Sanctis.*

S. Ambrosius in sermone in S. Laurentii festum diem fusius illius Martyrium describit.

S. Chrysologus *Serm.* 35.

Venerabilis Beda Tomo 7. Serm. *de diversis.*

S. Leo sermonem habet in festum S. Laurentii diem, ubi loquitur de illius martyrio ac triumpho.

S. Maximus habet homiliam de eodem Sancto.

S. Thomas in sermone de festo Sancti hujus; pro themate habet: *Dispersit, dedit pauperibus &c.* ubi fusius agit de Sancti hujus Diaconi prudentia in Ecclesiasticis opibus distribuendis.

Papa Innocentius III. duos habet sermones in diem festum Sancti hujus.

S. Bonaventura duos habet sermones, alterum in illa verba Job: *Probavit me quasi aurum quod per ignem transiit*; alterum in ea Psalmi 16. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*: tomo 3. Sermonum de Sanctis.

Albertus Magnus duos & ipse habet sermones in eadem verba: *Probasti Domine cor meum, igne me examinasti.*

Dionysius Carthusianus *in proprio de Sanctis* tres habet sermones, unum in Epistolam, alterum in Evangelium diei, tertium in miracula.

Libri Ascetici, & recentes Concionatores de S. Vincentio.

Taulerus Sermonem habet hujus argumenti, & pro themate assumit hæc S. Joannis verba: *Qui mihi ministrat, me sequatur &c.*

S. Ambrosius lib. 1. de Officiis c. 41. & l. 2. c. 28. affert sermonem, quem habuit S. Laurentius cum S. Sixto, & quomodo illius jussu Ecclesiæ bona distribuerit.

Franciscus Luca Burgensis *de diversis mysteriis serm.* 17.

P. Novet in tomo de vita Jesu in Sanctis suis pro meditatione in S. Vincentium, ut de aliis Sanctis facere consuevit, habet integrum sermonem, pulcherrimum, ac præstantissimum.

P. Croiset habet compendium martyrii Sancti hujus, & in lucem profert robur & patientiam illius.

Addi possunt vitæ Sanctorum Scriptores, Surius, Ribadeneira, Brillet, Bollandus.

Concionatores pro S. Laurentio.

Concionatores recentiores sunt:

Binet tomo primo de Sanctorum Panegyricis.

P. Texier tomo primo Panegyricorum.

P. Senault ex Oratorio, tomo primo.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. tomo item primo Panegyricorum.

P. Senault ex Oratorio, tomo 2. Panegyricorum.

P. Texier tomo primo.

P. Duneau tomo tertio.

In Elogiis Historicis elogium S. Laurentii Invenitur.

In specimine Panegyricarum Orationum tria sunt compendia Sermonum hujus argumenti.

P. Oder d'Allier tomo primo Panegyricorum.

PA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Bibliorum huic Argumento.

Loci Scripturæ, qui duobus his Sanctis convenire possunt.

Proba me, Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum. Psalm. 25.

Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Psalm. 16.

Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum, quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum a perditione . . . . a pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus. Eccli. 51.

Quid quæris, & quid vis discere a nobis? parati sumus mori magis, quam patrias leges prævaricari. 2. Machab. cap. 7.

Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Ibidem.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Matth. 10.

Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Jo. 12.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Matth. 10.

Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Ad Rom. 8.

Æstimati sumus sicut oves occisionis, sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Ibid.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joann. 12.

Fidelis Deus, qui non patietur tentari vos supra id, quod potestis. 1. ad Cor. 10.

Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 1. ad Cor. 4.

Quod in præsenti momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. ad Cor. 4.

Exempla, & figuræ Bibliæ.

2. Vincentius cum Noe Patriarcha comparatus.

NOe Patriarcha procul dubio portentum erat fortitudinis, & constantiæ, quandoquidem cum infirma navicula ex mundi totius naufragio evasit, & solus fatalibus naturæ convulsionibus restitit. Nihilominus quasi facilius esset vincere infortunium suum, quam illud videre; Scriptura sancta nos docet Deum ipsum clausisse Arcæ fenestram, ut illi tot mortuorum & malorum, quibus circumdatus erat, aspectum adimeret, ne spectaculi adeo deplorabilis timor illi mortem inferret. Sed illustri Vincentio nostro ratio hæc habita minime fuit; statim ob illius oculos ostentati fuerunt aculei, forcipes, rotæ & maxime horribilia suppliciorum instrumenta: & tyrannus, qui illius constantiam labefactare conabatur, nihil prætermisit eorum, quæ mortem exhibere poterant terribiliorem, ut illi terrorem incuteret. At illum ne crudeli hac arte superavit? num illi stuporem injecit, num perturbavit? Nil tale. Sanctus Diaconus oris colore immutato mortem intuetur; illam præstolatur sine tumultu, sed parum dico, illam impatienter expectat, illam cum affectione compellat, ei tendit brachia, ut lætabundus excipiat. Cur? Quia amat, & ille, cui multum amoris inest, nulla re terreri potest.

Idem cum S. Job comparatus.

Job conquerens de magnitudine cruciatuum suorum dicebat: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est.* Sed e contra dici potest, S. Vincentio alterius duritiam fuisse, & alterius robur. Tanta cum constantia patiebatur, quasi fuisset marmoreus, ac inter cruciatus suos Jesu Christi laudes majori voce resonabat, quam si æneus esset. Qui vidisset illum hinc quidem tanta plecti severitate pœnarum, quas patiebatur in membris discerptis, & inde certum ejus consilium, quod verbis suis testabatur, credidisset, S. Augustinus ait, duos fuisse homines in uno Martyre, alterum qui loquebatur, alterum qui sustinebat. Et vere ita erat; quia perferebat secundum carnem, loquebatur autem secundum spiritum.

Serm. de S. Vincentio.

Idem cum profanis Philosophis comparatus.

S. Ambrosius animadvertit, veteres Philosophos, qui de patientia præstantissime locuti sunt, verbis quidem generosos fuisse, factis autem ignavos. Qui eos audiebant loquentes, oblectabantur; qui vero illos videbant patientes, miserabantur. Sed Christiana patientia, Pater laudatus inquit, virtus est practica, quæ in opus redigit, quod Religio docet, quæ jungit verbis opera, & sua præcepta in fortibus, & generosis periculis constituit: *Nobis res facit verbis, & verba erit.* Laus hæc omnibus quidem martyribus debita est, qui sanguinis potius, quam verborum prodigi fuerunt. Sed pauci erunt, quibus potiori jure quam S. Vincentio id tribuatur: Nemo unquam majori constantia pertulit, quam illustris hic Martyr; nemo unquam majori cum libertate locutus est. Ardebat, ut ita dicam, pertinax certamen inter Daciani furorem, & Vincentii patientiam. Sed sicuti nihil poterat labefactare Sancti Martyris fortitudinem: nil etiam illius captivare poterat libertatem. Licet torqueretur fame, ferro, igne, oculeis, Tyranno insultabat, eique exprobrabat ignaviam, ratus non minus gloriosum esse ejus confundere superbiam, quam fatigare crudelitatem.

S. Vincentii constantia Tyranni crudelitatem fatigavit.

Tyrannis aliis aliquid reliquum erat humanitatis in muneribus suis obeundis; cumque Judicum officio fungebantur, meminerant, se homines esse, ideoque se quoque fieri posse vel fontes, vel miseros. Satis erat illis uti cruciatibus, qui usitati erant in terra, cumque aculeos, flammasque adhibuissent, reos morte damnabant, quæ finem vitæ faciens, supplicii quoque finem faciebat. At Dacianus judex immittis, qui crudelitatem explere cupiebat, suum exercens officium putabat sibi nominis celebritatem adipisci, si Christianos a fide desciscere coegisset. Quapropter postquam S. Vincentium in eculeo posuerat, flagellis ceciderat, & ipsa quoque viscera ferreis unguibus nudaverat, pedibus manibusque suffixit in crucem; cumque hoc tormentum nimis suave videretur illi, supra ardentem craticulam sterni jussit, ut lento igni liquesceret modicum illud carnis, quod adhuc larvæ illius nudis ossibus adhærebat. Exquisita etiam barbarie flammis addidit sal, ut ex horum duorum oppositorum pugna, novum existeret supplicii genus ignotum æque Martyribus, atque tortoribus. Verum quid profuere tot dolores, qui sibimet successerunt? Nil prorsus aliud nisi quod ministri fatigati sunt. Dacianus ad desperationem adactus est, Vincentius illi insultavit, & invicta martyris constantia omnes superavit cruciatus, quos industris Tyranni sævitia potuit excogitare.

S. Laurentius comparatur tribus pueris in ardenti fornace.

Tres Hebræi adolescentes in Babylonis fornacem conjecti ibi benedictionum, & laudum canticum cecinerunt; sed flammæ quæ illos ambiebant viam suam suspenderunt. Angelus Domini sub visibili specie apparuit, inquit Scriptura, & cohibuit vim ignis ita ut ne vestium quidem fimbriam tetigerit. At S. Laurentius reipsi assitus fuit, & consumptus in ardenti craticula, & nihilominus ibi adeo serena, ac ridenti facie exultare visus est æque, ac esset in suavissimo balneo. Præsetulit simul, & virtutem eorum, qui omnem sentiebant maximorum suppliciorum dolorem, quin cederent; & eorum tranquillitatem, in quorum gratia Deus cohibebat tormentorum vehementiam, ne cederent. Quicunque aderant, semet continere non poterant, ne fremitus ederent præ horrore, cum hoc aspicerent corpus, cui nulla erat amplius figura, cum videbant illius venas, & nervos contrahi, ossa nigrescere, & medullas ebullire. Sed animæ ipsius gaudium augebatur, S. Leo inquit, prout corporis dolor crescebat: *Quantum ille extrinsecus urebatur, tantum intrinsecus, exultante interiori homine dilatabatur.* S. Laurentius inter prunas erat spectaculum hominibus dolore, & miseratione dignum; sed Sanctus hic Martyr contentus, & lætabundus inter flammas spectaculum erat lætitiæ, & admirationis Angelis. Mirum esse non debet, S. Ambrosius inquit, si ita in tormentis triumphat: tum quod divinum est, fortius est eo, quod est humanum: & sicut ille repletus est Dei fortitudine, haud ægre superat hominum crudelitatem. Hauriebat autem lætitiæ suæ ubertatem ex fonte eodem, quo Sanctus Paulus Apostolus, cum clamabat, *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 1. ad Cor. 7.

S. Vincentius comparatus Eliæ viventi.

In mentem revocemus illud prodigium, quod olim fecit Deus in gratiam Eliæ Prophetæ. Sanctus hic vir fugiebat a facie impiæ Jezabel, cumque nullum inveniret perfugium contra Reginæ hujus crudelitatem, in deserta concessit, ubi credidit feras sibi non adeo terribiles futuras, uti mulier illa irritata; & leones, tygridesque innocentis exagitati rationem aliquam esse habituros. Neque illum sua fefellit opinio, quippe leones illi pepercerunt, sed non pepercit ei fames, qui domesticus est inimicus. Hoc urgente malo ad eum se convertit qui pascit catulos leonum in eorum speluncis; & eodem temporis momento in aere corvus apparuit, qui rostro illi panem attulit, & ingenitæ voracitatis oblitus factus est Prophetæ nutritius. Mox ecce alter, qui priori non cedit; quos, si mihi simul comparare per vos licet; non ita facile statuetis, uter sit alteri præferendus. Duo sunt corvi naturali instinctui æque repugnantes; qui se ad misericordiam flecti sinunt, qui sua se præda privant; qui, ut Dei mandata faciant, innocentiam tuentur. Alter quidem nostro panem affert, eique dentem non audet illidere; alter adest cadaveri, neque illud audet attingere; alter viventem alit, alter vero mortuum defendit. Alter exprobrat Jezabel sævitiam; alter Daciani furorem condemnat. Ille ad Eliam fert annonam; hic prohibet ne mortuum S. Vincentii corpus voretur. *Obtinuit Elias a corvo, ut aleretur: obtinuit Vincentius a corvo, ne comederetur.*

S. Augustinus sermone de S. Vincentio.

Digitized by Google

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum huic Argumento.

S. Vincentius unus fuit e Martyribus qui majoribus tormentis afflicti fuerunt.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Psal. 16. Quam vera sunt ad litteram verba hæc de Sancto Martyre Vincentio! Quinam Jesu Christi testis fuit hoc probatior? quis plura martyria, ac tormenta passus est alacrius, atque constantius? Sola pœnarum ejus enumeratio horrorem injicit naturæ; & ubicunque nobismet fingimus corpus hoc modo ferreis unguibus lancinatum, modo positum in equleo, ubi illius membra discerpebantur, modo in candente, & ferreis aculeis præfixa crate distentum; modo crudeliter flagellis percussum, post quæ rubentes ferreæ laminæ pectori applicantur; cumque cogitamus adipem ignis vehementia liquatum majorem vim addere flammis, & magnitudinem tormentorum augere; cum reminiscimur laceros artus, & vulnera sale perfricta fuisse, & hos salis aculeos, in corpus ipsum resilientes effecisse, ut dolor ad penitiorem viscerum partem permearet, ac tandem cum nulla superesset torquendi corporis particula; quælibet iterum, & sæpius torqueretur: cum, inquam, omnes hasce circumstantias mente recolimus, nonne jure dicere possumus Sanctum Vincentium unum fuisse ex martyribus, qui pluribus cruciatibus probati fuerunt? *Probasti cor meum, & visitasti nocte &c.*

Sancti nonnunquam admirabiles sunt in passionibus suis quam in præclaris actionibus.

Mirabiliter me crucias. Job 10. Deus non solum admirabilis est in Sanctis suis, cum illis præstantissimas suas perfectiones communicat, & illustrans mentes eorum luminibus sapientiæ suæ, efficit ut futura sæculi inspiciant, cordium secreta penetrent, & de semotissimis rebus loquantur tanta cum perspicuitate, ac certitudine, quasi ob oculos eorum obversarentur: Vel cum in eorum manibus infinitam suam collocans potentiam efficit, ut tempestates mulceant, ventis imperent, solis cursum inhibeant, ejiciant dæmones, curent ægrotos, mortuos resuscitent, & videantur tanquam parvuli Dii super terram. Deus infirmitates quoque & passiones eorum dignas efficit nostra admiratione; & nescio ubi magis sint admirabiles, utrum cum agunt, an cum patiuntur. Equidem, S. Petrus Chrysologus ait, credo Job in sterquilinio cubantem apparere in illustriori situ coram oculis Dei, quam cum sedebat in throno. Si vos admiramini Sanctum Paulum, laudatus inquit Antistes, mortuos suscitantem, ego multo magis illum admiror catenis obrutum inter carceris tenebras squallentem. In hoc potissimum patientiæ statu Deus postquam eorum virtutis periculum fert, illos invenit dignos se. Quodnam elogium! Dignos Deo? hoc est, dignos, qui sint spectaculum oculorum illius: objectum, in quo sibi complacet Deus, subjectum laudum illius, dignos, qui mercedis nomine possideant Deum: *Deus tentavit illos, & invenit illos dignos se.*

Sap. 3.

Adhortatio ad S. Vincentii imitandum.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Galat. 5. Hoc oraculum est adeo perspicuum, ut nequeat eludi. Vel pereundum nobis est, vel crucifigendi sumus, ut coronemur. Hoc docuit Jesus Christus per illa verba: *Tolle crucem tuam*, ait ille, *& sequere me*; & mox exemplo, quonam tota illius vita nihil aliud, quam crux fuit, & juge desiderium ad Calvarium eundi, ubi erat immolandus. Sancti arctam hanc viam secuti sunt; crucifixerunt carnem suam, & mala desideria. S. Vincentius, qui nonnisi inter supplicia vivere potest, & qui moritur innocuis voluptatibus, quæ invito parantur, prædicat nobis, carnem esse crucifigendam, mollitiem timendam esse Christianis, iis etiam, qui perfectissimi sunt, sanctissimique. Hanc nos in periculum adducere, ut cælum in æternum amittamus. Ut autem de hac re nobis melius persuasum sit, in lectulo molli S. Vincentium consideremus: hic morari magis timet, quam cubare in lectulo ex ferro candenti: super quo fuerat distentus. Hinc conjiciamus quinam fuerint Sancti hujus Martyris sensus, & gementes videamus, quam longe absumus, ut nosmet crucifigamus. Ne nobismet blandiamur, alioquin citra spem omnem perituri; & vereamur, ne, si magnum illud exemplum, quod hodierna die nobis præbet S. Vincentius, inutile fiat, ille aliquando in judicium contra nos surgat; & ne Deus illum nobis ostendens in cumulo gloriæ suæ nobis ea dicat Evangelii verba: Recepistis bona in vita, servus autem meus nonnisi mala expertus est: In præsentiarum omnia mutata sunt; vos quidem eritis in tormentis, & ille æterna felicitate perfruetur. Vos inter & illum ponam interminabile chaos, quod omnem communicationem impediet, & vos ibi permanebitis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Invicta S. Vincentii constantia.

Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? Hoc oraculum ad litteram adimpletur in exemplo S. Vincentii. Magnus hic Heros Christianæ Religionis jure suo gloriari potest se majora pertulisse supplicia ea constantia, quæ illi jus præbet dicendi, amorem suum morte ipsa fortiorem fuisse; quoniam cruciatus illum occidere non potuerunt, neque ipsum a Jesu Christo separare. Primum quidem diuturnum carceris squalorem perpessus est cum Valerio Episcopo suo. Mox deliciis atque illecebris tentatur; sed duo hæc experimenta potuerantne illum divellere a charitate Christi? Extenditur in equleo, & latera ejus ferreis unguibus lancinantur: aperiuntur ejus viscera; omnem fere jam hominis speciem amiserat; quæritur ex eo utrum velit Jesum Christum abnegare, sed reddit, nunquam futurum, ut vel cæli, vel inferorum potestates ipsum a Salvatoris sui dilectione removeant. Fatigantur carnifices, furit Dacianus, novos cruciatus excogitat; Vincentium extendi jubet in lectulo ferreo trabalibus clavis præfixo, ac sub illo magnum ignem excitari; sal in ejus vulnera adhuc recentia ad dolorem augendum infundi. Corpus ejus volutatur in testaceis fragminibus; pedes ejus ferreis nectuntur compedibus: rursus illum Tyrannus interrogat, utrum velit Jesu Christo abrenuntiare, & invicta fortitudine respondet Vincentius, se nulla re ab illo separari posse; & loquens tum pro se, tum pro Episcopo suo, qui illi facultatem fecerat: Daciano, inquit, tibi profitemur, nos minime adorare velle deos tuos; nos cæcos putas; vide libertatem, qua tecum loquens profiteor me nullo in discrimine habere minas, atque tormenta. Mors, quam minitaris, nos adducet ad vitam.

Magnitudo charitatis SS. Laurentii & Vincentii.

Neque mors poterit nos separare a charitate Christi. Insignes victoriæ, quas retulere Martyres, & præ cæteris S. Laurentius, atque Vincentius, jus illi pepererunt dicendi, mortem illos non posse a Christi charitate separare. Hic aliquid amplius occurrit; cum enim Sancti Martyres plura perpessi fuerint tormenta, exaggerare possunt dicentes, se nunquam omnibus mortis generibus, iis etiam, quæ sunt exquisitissima ac teterrima, a Salvatore suo esse divellendos. Cum quis ad primum supplicii genus moritur, veluti gladio confossus, mors hæc adeo prompta est, ut opus sit, ut mihi videtur, aut ignavum esse, aut nimis delicatum, qui eam reformidet. Nihilominus Martyres illi, qui ita mortui sunt, vere dicere possunt, mortem nequaquam illos a Jesu Christo separasse. Verum cum martyrum corpora extenduntur in rotis postquam omnes artus confracti fuerunt ictibus: cum huic supplicio succedunt ungues ferrei, qui artus lancinant, ita ut cor & viscera appareant; cum his cruciatibus accedunt flagella, lectuli ex ferro candentes, ferreisque acuminibus undique præfixi, cum post hæc omnia tormenta Martyr restitit invictus; nonne potiori jure dicere potest: *Neque mors poterit nos separare a charitate Christi?* Quænam tibi, Domine, cessit gloria ex hac insigni victoria, quam de Dæmone Sancti Martyres nostri retulerunt, tibi, inquam, qui tantam de servo tuo Job retulisti? Quam non inde utilitatem percepit Ecclesia? Quem fructum fideles non hauriunt? Fortes quidem confirmantur; infirmis autem magna ex potentibus id genus exemplis fit vitium accessio.

Hortatio ad horum Martyrum & cæt. imitandum.

Quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. ad Hebr. 13. Ne quæramus nosmet excusare prætexendo eas difficultates, quæ nobis occurrunt secus viam, quæ ad Cælestem patriam adducit; iter hoc modo ita stratum est, calcatumque vestigiis Sanctorum cujuslibet ætatis, sexus, conditionis, ut prætextus nostri omni deficiant fundamento præter ignaviam? Nosmet igitur excitemus videntes tot Sanctorum triumphos; illorum accendamur exemplis. Viva fides glorioſorum Martyrum foveat fidem nostram languentem. Si ardor fidei horum Sanctorum Martyrum mortuos suscitavit, vitam spiritualem plurimis Ethnicis impertiens, quos illorum invicta tetigit patientia, nunquid hæc fides Heroica in filios Abrahæ similem effectum non pariet? Fides nostra mortua non est: per hanc adhæremus adhuc Christo, hoc unum agitur, ut tepidæ huic fidei aliquis caloris gradus accedat. Patientiæ prodigium, quod duobus his Sanctis Martyribus illuxit, pro nobis est, æque ac pro illis infidelibus, qui sese converterunt admirantes eorum constantiam. Prodesse quippe debet ad excitandam, & vivificandam fidem nostram Sanctis his impendendo cultum peculiarem, & admirando eorum generositatem, quæ fecit, ut contemnerent vitam, mortem, voluptates, delicias, ut Jesum Christum crucifixum sequerentur; accedendo ad eorum aras, quæ sunt sequestres earum sacrarum reliquiarum, quæ ex impiorum furore evaserunt. Consideremus gloriam, quam adepti sunt: *Quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* Vos testes estis illius gloriæ, quæ ipsis defertur, facite vos ejusdem participes, non secus ac teſtes, fidem ipsorum imitando: *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones.* Per eamdem idem quoque præmium consequemini.

ad Hebr. 11.

Mortuum S. Vincentii corpus exposuerunt in animantibus præda corvis tectus.

Domine posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli; carnes Sanctorum bestiis terræ. Psalm. 78. Tyrannorum crudelitas tanta fuit, ut sese extenderit in Corpora Sanctorum Martyrum, etiam post mortem eorum; sive præcipiendo, ut corpora in profluentes aquas dejicerentur, sive flammis illa adjudicantes, sive in loca ignota, atque in sterquilinia projici jubentes, ut simul eorum & memoriam, & triumphos delerent. Dacianus ira furit audiens Vincentium mortuum esse, atque ita de furore suo triumphasse, & non intelligens Jesum Christum in Sancti Vincentii persona vicisse, statuit pœnas sumere saltem de corpore, & de cadavere

Sancti

Sancti Martyris, illum beſtiis projiciendo, ut Chriſti fideles carerent ſolatio tumulandi illum, eique monumentum tanquam Martyri erigendi. Præcepit igitur, ut projiceretur in paludoſum locum juncis tectum. At permitteſne, Domine, corpus adeo glorioſum, tot characteribus triumphorum inſignitum in prædam carnivoris animantibus cedere? Nunquid feræ parebunt tyranni hujus crudelitati? Nonne obſtruxiſti guttur eſurientium leonum, ut Danielem Prophetam tuum ſalvum faceres? Inſtaurat Dominus idem prodigium; Daciani crudelitatem confundit; avidiſſimis animantibus injicit humanitatem, quam Dacianus amiſerat, ut belluarum indueret ſævitiam. Corvus quin juxta ingenitam aviditatem devoret corpus hoc, illud protegit ab aliis animantibus; tantum abeſt, ut illo cupiat ſaginari.

Ignis, quo S. Laurentius damnatur, pœnarum omnium teterrima.

Proba me, Deus, & tenta me: ure renes meos, & cor meum. Pſalm. 21. Ex omnibus cruciatibus, quibus torqueri poteſt homo, ad veritatem extorquendam, ignis maxime intolerabilis eſt. Primo, quia actuoſiſſimus eſt omnium agentium, ideoque dolor vehementiſſimus eſt, & præ aliis maxime ſenſus afficit noſtros. 2. Non immoratur in exteriori tantum ſpecie, ſed intima quæque viſcera permeat, & cor ipſum cruciat. 3. Denique hoc non eſt particulare tormentum, ſed generatim in omnes corporis partes ſe extendit, omnes torquet artus, ideoque divina juſtitia igne uti voluit tanquam ultionis ſuæ inſtrumento, ut damnatos puniret, & hoc ſupplicio iram ſuam efficeret terribiliorem. Egregie apud Caſſianum *ignis inquiſitor* vocatur. Ignis exterminator, ignis quæſtionis, informationis, examinis, qui omnia damnatorum examinat membra, qui nervos omnes interrogat, qui penetrat venas, ad punienda peccata, quæ fuere commiſſa, & ad extorquendam miſeram confeſſionem reatus. Applicemus hoc nomen ipſum igni, qui Sanctum Laurentium comburit, & licet diverſo modo dicamus tunc eodem officio perfungi, & ignem eſſe *inquiſitorem*; *Igne me examinaſti*. In manibus tyrannorum, & dæmonum, inquirit ex Laurentio ubinam ſint Eccleſiæ theſauri, & fidei, quam profitetur, abnegationem extorquere conatur: ſed in manibus Dei, exquirit: *Amat me?* Illi interrogant, ut neget: Sed Deus eadem quæſtione torquet, ut illè id fateatur. Duplici mandato flamma hæc carnifex omnia, & ſingula Sancti hujus examinat membra; omneſque interrogat artus, ut liqueat utrum omnes Dei partes ſequantur, utrum ulla ſit ſanguinis gutta, verbum ullum, vel actio, quæ a ſancto Dei amore declinet: *ignis inquiſitor*. Sed quænam eſt reſponſio huic interrogationi flammarum? Quonam cedit hæc ignium quæſtio? Ignis, S. Auguſtinus ait, qui paleas combuſit, probat aurum, & carnem reddit clariorem, atque puriorem. Hæc tentatio, quæ aliquam peperiſſet ignaviæ ſpeciem, vel Chriſtiani alicujus amorem imminuiſſet, prodit S. Laurentii eximiam charitatem, illius fidelitatem, atque conſtantiam illuſtrat, eique novum quodammodo pretium adjicit.

S. Vincentius conſtanter pertulit hoc ſupplicii genus.

Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Pſalm. 16. Quamvis Sancti omnes, qui per ærumnas, tanquam per ignem emundati fuerunt, dicere poſſunt Deo, ſe per ignem probatos fuiſſe, ac illum in ipſorum ſuppliciis cognitam, perſpectamque habuiſſe eorum innocentiam. Martyres tantum ita ioqui poſſunt, & jure ſuo citra ſchema, aut metaphoram afferere: *Igne me examinaſti*, cum enim Deus illos tentaverit mortis genere adeo terribili, univerſo mundo oſtendit, illius infinitum fere zelum adfuiſſe pro majori divini nominis gloria, & inſignem contemptum vitæ ſuæ. Verum inter tot glorioſos athletas, non multi ſunt, qui æquius verba hæc proferre valeant, ac incomparabilis Vincentius; qui cum lento igne conſumptus fuerit, jactare poteſt ſe crudeliter hoc elemento aſſatum fuiſſe, & admirabilia conſtantiæ ſuæ præbuiſſe ſpecimina, & ardentem amorem ſuum erga Jeſum Chriſtum probaſſe in ſupplicio adeo crudeli, ac terribili.

Ignis pœna terribilis eſt.

Mirabiliter me crucias. Job 10. Cruciatus per ignem adeo terribilis eſt, ut nullus aptior inveniatur juſtiſſimis ultionibus Dei contra damnatos; quæ cauſa eſt, ut a quodam Eccleſiæ Patre appelletur, *ignis omnium creaturarum Vicarius*; quaſi in uno ſe complecteretur quidquid duriſſimum, atque violentiſſimum eſt in aliis tormentis. Quidquid crudelitatis eſt in rotis, in novaculis, in ferventibus oleis, id totum in igne continetur. Hic eſt divinæ juſtitiæ miniſter; penetrat oſſa, medullas quoque penetrat, & mirabili vi parit dolorum omnium acerbiſſimum. Duriſſimæ tamen huic tentationi objicitur Sancti noſtri conſtantia. Heu! Quæ tentatio! Hoc in ſtatu nonne dicere poteſt Deo, *mirabiliter me crucias?* Hoc de divina juſtitia damnati dicunt; flammas, quibus torquentur, quin abſumantur, eſſe admirabiles. Quotieſcunque agunt per obedientialem potentiam in animas, quæ cum ſint prorſus ſpirituales nullis corporeis agentibus ſunt obnoxiæ; proculdubio totidem prodigia ſunt, atque miracula. Hæc quoque verba ſunt, quæ Jeſus Chriſtus in cruce poſitus Patri ſuo dicit, *mirabiliter me crucias*. Si patitur, nonniſi miraculoſe patitur, inferior pars in doloribus verſatur; ſuperior autem in gaudiis. Anima triſtis uſque ad mortem, & hæc eadem anima beata, & æternum fruens viſione Dei. Ecce totidem miracula. Hoc etiam Sanctus noſter ait ſuper ignita crate diſtentus. Proh Deus! mirabiliter me crucias. Hic ignis qui omnes artus meos depaſcit, & vivere ſinit cor meum, hæ flammæ, quæ miris doloribus torquent totum corpus meum, & animam meam omni doloris ſenſu carentem, nonne totidem portenta ſunt? Per hæc prodigia perhibere volo veritati tuæ teſtimoniorum omnium præclariſſimum.

PARAGRAPHUS IV.

Loci Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum, qui S. Vincentio convenire poſſunt.

MAgnum ſpectaculum ſpectavimus oculis fidei, Martyrem Sanctum Vincentium, ubique vincentem. Vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in confeſſione, vicit in tribulatione, vicit exuſtus ignibus, vicit ſubmerſus fluctibus, poſtremo vicit tortus, vicit mortuus. Sanctus Auguſtinus Serm. 274.

Quis iſtam patientiam militi ſuo donavit? Niſi qui pro ille ſanguinem fudit, cui pro ille dicitur in Pſalmo: Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, ſpes mea a juventute mea. Ibidem.

Magnum certamen magnam comparat gloriam; non humanam ac temporalem, ſed divinam & ſempiternam. Fides pugnat, & quando Fides pugnat, carnem nullus expugnat; quia etſi lanietur, etſi lacereſur, quando perit qui Sanguine Chriſti redemptus eſt? Ibidem.

Erat videre invictam Martyrii animam contra inſidias antiqui hoſtis, contra ſævitiam impii judicis, contra dolores mortalis carnis acerrima conflictatione pugnantem. Idem Sermone 245.

Tanta pœna erat in membris, tanta ſecuritas in verbis: tanquam alius loqueretur, alius torqueretur, & vere aliud: prædixit enim hoc Dominus, & promiſit Martyribus ſuis dicens: non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Idem ibidem.

Quanto illa erant truculentiora tormenta, tanto magis tortus de torquente triumphabat; & ex illa carne tanquam ex terra ſuo ſanguine irrigata palam creſcebat. Idem ibidem.

Si conſideremus perturbationem torquentis, & tranquillitatem tormenta patientis, videre facillimum eſt, quis erat ſub pœnis, quis ſupra pœnas. Idem ibidem.

Quæ gaudia erunt in veritate regnantium, quando tanta ſunt pro veritate morientium? Idem ibidem.

Hodie evidenter oſtenditur nobis judex ferox, tortor cruentus, martyr invictus, in cujus corpore pœnis variis exarato jam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Ibidem.

Tot convicta miraculis perſiſtebat impietas; tot vexata ſuppliciis non cedebat infirmitas; agneſcatur ergo operata divinitas. Ibidem.

Quidquid pœnarum furentis ira excogitabat, inſuperabilis Martyr fortiter patiendo vincebat. Idem 1. Sermone de S. Vincentio.

Fovebat laceros artus medica Dei manus. Idem Sermone 2.

Tremor Judicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat. Ibidem.

Duplicem aciem producit Mundus contra milites Chriſti; terret ut frangat; blanditur, ut decipiat. Idem Serm. 5. de eodem Sancto.

Obtinuit Elias a corvo, ne aleretur; obtinuit Vincentius a corvo, ne comederetur. Ibidem.

Loci Patrum de S. Laurentio.

TAnta ejus Martyrii gloria exſtitit, ut paſſione ſua mundum illuſtraverit univerſum. S. Auguſtinus Serm. 30. de Sanctis.

Non occiſus, ſed cruciatus in igne, diu vivere permiſſus: immo non diu vivere, ſed tarde mori compulſus. Idem Serm. de S. Laurentio.

Illuminavit Mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipſe accenſus eſt, & flammis quas ipſe pertulit omnium Chriſtianorum corda ſuccendit. Idem Sermone 10. de Sanctis.

Laurentii exemplo provocamur ad Martyrium, & accendimur ad fidem, incaleſcimus ad devotionem. Idem ibidem.

Longa & multiplici pœna cruciatur, ut mors ei adſit ad ſupplicium, & deſit ad finem. Idem.

Quis nolit ad horam ſuſtinere Laurentii ignem, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? S. Ambroſius de S. Laurentio.

Charitatis magnitudo Leviticum miniſterium dedit, plenitudo fidei Martyrii contulit dignitatem. S. Maximus Homil. de S. Laurentio.

Dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit. S. Auguſt. Serm. 3. de Sanctis.

Segnior fuit ignis, qui foris uſſit, quam qui intus accendit. S. Leo Serm. de S. Laurentio.

Stat Martyr tripudians & triumphans, tota licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter, ſacrum e carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. S. Bernardus Serm. 16. in Cantic.

Non

Non facit hoc stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur. Idem.

In honorem triumphi transferunt instrumenta supplicii. S. Leo de Nativ. S. Laurentii.

Cum quis viderit tanta perseverantia flare Martyrem, & in tormentis gloriari, subit ista cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. S. Hieron. Epist. 151. ad Hedil.

Nihil sentit crux in nervo, cum animus est in cælo. Tertull. ad Martyres.

Tam illustris Roma Laurentio, quam clarificata est Hierosolyma Stephano. S. Leo homil. de Sancto Laurentio.

Laurentius beatus Christi Martyr triumphat coronatus in cælis. In Officio S. Laurentii.

Ut in uno corpore tot Martyria videantur esse, quot membra. S. Zeno Veronensis:

Numerent Martyria, qui possunt numerare supplicia. Idem.

Lassabantur tortores, sed non lassabatur fides. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc Argumentum deprimi possit.

Quidnam ex tribus his virtutibus Fide, Fortitudine, Charitate gloria martyri debeatur?

INter Theologos quæritur quinam ex tribus hisce virtutibus, Fortitudine, Fide, aut Charitate Martyrii gloria debeatur; constat enim tres omnes simul ad actum adeo præcellentem concurrere, quo Christiana Religio nullum habet majorem, aut generosiorem. Magnam profecto sibi vendicat partem Fides, ad hanc enim tuendam vita effunditur. Charitas non minus requiritur, quippe Martyrium recensetur inter actus amoris Dei, simulque eorum omnium actus est maximus, & perfectissimus, quod ipse Dei Filius videtur innuere: *Majorem hac dilectionem nemo habet; quam ut animam ponat quis pro amicis suis.* Sed sine fortitudine, animique robore, nunquam videretur, opinor, hoc virtutis miraculum, quod vi Cælum rapit, & totius mundi meretur admirationem. Quamobrem, Doctores inquiunt, opus est, ut tres hæ virtutes simul aliquid conferant, sed singulæ pro modulo suo; Fides quidem tanquam causa, propter quam singuis effunditur; Charitas, tanquam illa, quæ præcipit id, ejusque primum exstitit principium; sed fortitudo quæ utrasque exercet, & sine hac cæteræ motu, & actione carerent. Ita, quamvis nefas sit ambigere, utrum incomparabilis S. Vincentii fides satis firma esset & inconcussa, & de hoc judicium ferendum sit ex magnitudine tormentorum, quæ perpessus est ad illum tuendam: quamvis charitas ejus ardentior fuerit ignibus & flammis, quæ illam nec extinguere, neque laxare valuerunt, tamen illius tantum fortitudinem admiramur, quæ de cruciatibus æque, ac voluptatibus triumphavit.

Joann. 15.

Utrum fortitudo in vincendo dolore, an in voluptate superanda magis emineat.

In Ethicis problema instituitur, utrum fortitudo magis refulgeat in dolore, an in voluptate vincenda; qui duo esse videntur potissimi inimici, qui præ cæteris ad illam labefactandam aptiores esse videntur, & cum quibus illi congrediendum est. Verum cum quæstio hæc magis ad curiositatem, quam ad profectum instituí soleat, Philosophis relinquamus illius disceptationem, qui non unam minus, quam alteram admirantur; ac jure sustinent, licet consideratæ naturæ propensione erga secundum, & horrore erga primum, difficultas utrobique par inveniatur; experientiam tamen ostendere magno in eorum numero, qui voluptatibus se superari sinunt, scopulum hunc maxime timendum esse, & naufragia hic esse frequentiora, ideoque victoriam etiam esse locupletiorem. Immo non defuere Martyres, qui postquam crudelitatem carnificum fatigarunt, & mortem cum omnibus cruciatibus ad generosissimos animos deterrendos paribus provocaverunt, voluptatum illicitis, ac blanditiis victi sunt. Sed quin in hac quæstione diutius immorer, satis mihi est dicere cum Propheta, fortitudinem mereri hominum laudes, & admirationem; & pulcherrimum esse spectaculum videre, pedibus calcata, ut vetus quidam loquitur, & neglecta generoso contemptu ea, quæ homines magis vel amant, vel metuunt: *quod omnes timent, quod omnes amant, calcat fortitudo.* Hoc autem Sanctum Vincentium reddidit spectaculum dignum Angelorum & hominum oculis; quoniam de utroque triumphum egit æquali constantia, & parum interest scire, utra sit gloriosior victoria; quandoquidem Sanctus hic utramque reportavit.

Fortitudo sex est in voluptate si simul, & dolore vincendo.

Fortitudo rara virtus est, quæ omnium hominum sibi admirationem conciliat; quippe quæ profitetur calcare generoso contemptu quidquid homines magis timent, & diligunt. Per hanc animi fortes se se super omnes timores, & spes humanas attollunt, jugum servitutis Mundi excutiunt, & victoriam referunt de crudelibus præliis, quæ sibi ab illo inferuntur. Mundus, Sanctus Augustinus ait, duplici armorum genere adversus Jesu Christi milites utitur. Modo illis blanditur, ut fallat; modo illis minitatur, ut constantiam eorum labefaciat. Sed ipsi semper victores erimus, dummodo ita ignavi non simus, ut frenus nostrarum cupiditatum mancipia, neque timidi ita, ut eorum crudelitati cedamus. Utrique fortitudinis effectus est. Generosa hæc virtus de omnibus triumphat malis, quæ homines præ cæteris reformidant; Amat periculum; anhelat ad Martyrium; non spectat, quod patitur, sed quod lucratur: non quærit, qua via iter suscipiat, modo ad propositum finem perveniat, & tantum abest, ut tormenta sint illi terroris objectum, ut immo sint pars eorumdem coronæ. Hæredes Jesu Christi crucifixi non timent supplicia, neque mortem, immo illis nutriuntur. Mors illis est resurrectio præcox, & supplicia sunt flores, qui illis gloriæ fructum pollicentur: *Non terrent crucifixi hæredes supplicia mortis, sed pascunt: & reficiunt maturata resurrectionis lætabunda solemnia.*

Tres fortitudinis gradus.

Videntur Theologi tres dumtaxat fortitudinis gradus cognovisse, quæ omnia malorum genera perferre gloriatur, ut magis magisque summo adhæreat bono. Primus est pati mala sine impatientia, & obmurmuratione; alter est illa cum affectione perpeti; tertius de illis gloriari, illis oblectari, & hoc pacto crucis opprobria in coronas, & supplicia in delicias convertere. Cum nobilis hæc virtus huc usque pervenit, existimant illam summum perfectionis verticem attigisse; & illa nunquam melius ornata prodit, quam cum spinis est redimita. Sed S. Vincentius inaudito prodigio ex cruciatibus non honorem solum, & voluptatem haurit, sed vitam quoque in illis nanciscitur, & dum cæteri Martyres mori consueverunt pro magnitudine cruciatuum, cruciatus ipsi Sancto huic Martyri vim, roburque tribuunt, ne morti cedat.

Circumstantiæ quæ Sanctorum Vincentii & Laurentii Martyrium glorioſius efficiunt.

Multa conferre nonnihil possunt ad Martyrii decus augendum: inusitatum supplicii genus, fidei generosa confessio, tyrannus emphaticis, energeticisque verbis lacessitus. Omnes hæ circumstantiæ in S. Laurentii martyrio collectæ inveniuntur. Tyrannus illum urget, ut Idolis sacrificet, sed palam Martyr respondet, *unum Deum colo, illi soli servio.* Sepultus jacet in caligine carceris, ferreis vinculis obrutus; sed verbum Dei alligatum non magis est in ore illius, quam in ore Pauli: *Verbum Dei non est alligatum.* Sermonibus, & miraculis infideles convertit, cæcis oculos corporis aperiens, aperit quoque oculos animæ. Hac in re Jesum Christum Dominum suum imitatur, qui a corporali lepra emundans, simul etiam a spirituali emundabat.

Dementiæ est asserere facilius esse Martyrem mori quam vivere, ut decet verè Christiani.

Sententia est vulgo recepta facilius esse Martyrem mori, quam vitam perfecto Christi sectatore dignam vivere. Sed illa non alio innititur fundamento, nisi ignavia cordis humani, quod cum nequaquam animatum sit ardenti zelo, non satis sibi virium inesse cognoscit, ut diutius in virtute perseveret. Est etiam effectus præsumptionis humani spiritus, qui sibi persuadet se pati posse gravissima quæque tormenta, cum absunt, cum minimis, quæ sese nobis offerunt occasionibus patientiæ exercendæ illam prorsus amittimus. Si enim vere in nobis esset Charitas Jesu Christi, alacriter subiremus omnes tribulationes, ubi mortis ejusdem reminisceremur, & parati essemus ad vitam ipsam sacrificandam, ut illi fidem, amoremque nostrum testaremur. Ita affectus erat Sanctus Laurentius; sese attollens super omnia sensuum objecta, nihil in mundo videbat, quod ipsum posset illicere: charitas hæc omnino ardens, qua urgebatur, efficiebat, ut ignito zelo consectaretur occasionem satisfaciendi suo desiderio, quo flagrabat proprio sanguine obsignandi eas veritates, quibus se Martyrium debere arbitrabatur. Se ipsum cogitabat tanquam Religionis procuratorem; & in hoc sensu pio sibi reddenda esse putabat præclarissima testimonia veritati ejus fidei, quam profitebatur.

Quo in sensu intelligendum sit illud Salvatoris verbis quo jubemur odisse animam nostram. Joann. 12.

Patres, atque inter cæteros Sanctus Augustinus existimant sententiam hanc Salvatoris ore prolatam practice difficiliorem esse, quam theoretice: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Sanctus hic Doctor illam magnam, & admirabilem vocat, & S. Chrysostomus illam ænigmati similem dicit. Quomodo enim amatur anima; dum amittitur? Quomodo odio illam habentes, custodiunt eam? Omnes autem Evangelistæ illam tanti momenti, ac necessitatis esse censuerunt, ut eamdem iisdem ferme verbis retulerint. Quamvis autem duplex illi sensus tribui possit, ex Sancti Augustini animadversione, tamen utrique rem eamdem variis modis significat. Anima nonnunquam in Scripturis Sanctis accipitur pro præcipua hominis parte, & pro ipsa persona: aliquando etiam pro vita, anima quippe dicit, ut corpus vivat; & posteriori hoc in sensu dixit Salvator: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* Marc. 10. Vitæ duæ sunt, præsens, & futura: temporalis, & æterna: *Qui amat animam suam, perdet eam*; hoc est, qui nimis temporalem vitam dilexerit, æternam amittet; qui prior sensus est: vel qui amat æternam, ultro amittet temporalem, qui alter est. Sed totum discrimen situm est in diversa applicatione temporalis vitæ, vel æternæ ad charitatem. Altera vero sententiæ pars: *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, duplicem hunc sensum non patitur; quia in hoc mundo nonnisi temporalem vitam odisse possumus, ut servemus æternam. Unde S. Augustinus scite arguit, ut amor odio opponatur

primum

primum sensum intelligendum esse de amore vitæ temporalis, qui æternæ vitæ jacturam creat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis imperiisque Concionatoribus loci de Sanctis Martyribus Vincentio & Laurentio.

§. Vincentii educatio.

SAnctus Paulinus de Sancto Vincentio verba facit tanquam de gloria, atque ornamento Hispaniarum. Profecto regnum illud non dedit Ecclesiæ Martyrem celebriorem, neque vulgo cultiorem. Nomen ejus in Orientis plagas perlatum est, ubi Græci illius memoriam solemniter recolunt. In Occidente vero potestne quidpiam addi celebritati illius; quandoquidem S. Augustinus quinque Sermones edidit in Sancti hujus diem festum? Magnus hic Doctor tradit ex provinciis omnibus, quo Christiana Religio pervaserat, nullam fuisse, ubi non celebraretur cum gaudio eximii hujus Martyris solemnitas. Prudentius propter hymnos suos celeberrimus eum commendat tanquam unum ex præstantissimis sæculi sui ornamentis. Ejus familia clarior erat virtute, quam sanguinis nobilitate, licet amplissimum locum obtineret. A puero eruditus fuit in omnibus scientiis profanis, & Ecclesiasticis sub beato Valerio Episcopo Cæsaraugustano; ibi, Prudentius ait, virtutem didicit, & animam suam roboravit. Exempla Sanctorum Martyrum, qui Cæsaraugustæ perpessi sunt, cor illius inflammaverunt: civitas hæc illum genuit Salvatori, & Martyrio; & heroice gesta Sancti hujus Diaconi. S. Leo inquit, totidem fuerunt aliis documenta; ejusque vita erat veluti juge testimonium divinitatis Jesu Christi. *Auctor Recens.*

Serm. 175. 177. 178. de Martyribus.

Eximiæ virtutes Sancti Episcopi Valerii depictæ in persona Discipuli ejusdem S. Vincentii.

Meliusne commendari potest discipulus, quam eximiis meritis magistri? S. Ambrosius ait. Admirabilis erat S. Valerius, sanctitate, innocentia, & scientiarum etiam laude excellebat. Oratio, & contemplatio pabulum erant animæ suæ; prædicationis autem ministerium Sancto Vincentio commisit. Pretiosa mors ejus coram Domino ostendit, quonam fructu nuntiaret Evangelium. Fideles confirmabantur in fide; Ethnici catervatim convertebantur; Dæmonis evertebatur imperium; & in ruderibus illius Jesu Christi regnum constituebatur: sed ut prædicationis semen, quod jecerat in plurimos, tutius & efficacius fieret suæ intercessionis subsidio, atque ut postremam reciperet per martyrium perfectionem, opus erat ut per effusionem sanguinis sui probaretur. S. Leo inquit, ad Ecclesiæ, & Sancti hujus Diaconi gloriam opus erat Ministro adeo fideli Sathanæ, & æque propter crudelitatem suam famoso, qualis Dacianus erat, ut Magna Sancti hujus Diaconi fortitudo elucèret. Quænam ejus fuit gloria, cum sibi pro Jesu Christo decertandum esse intellexit? Inconcussa & immutabilis illius fides spem illi ingerebat futurum, ut victoriam referret eo illustriorem, quo cruentius futurum erat certamen. Sanctus noster ebrius erat suavissimo vino, quod hauserat ex calice Filii Dei; & hæc ebrietas in causa fuit, ut sine metu coram furenti Judice appareret; ut generose furorem illius sustineret; ut omnes illius conatus illuderet quin animæ suæ tranquillitatem amitteret, strenue resistens, & humiliter vincens. *Recens Auctor.*

§. Vincentius e consulari familia oriundus.

Novit S. Vincentius per sinceram Jesu Christi amorem a blandientis mundi illecebris sibi cavere, quod facile innotescit ex ea vitæ disciplina, quam semper servavit. Nepos erat Romani Consulis; hoc est viderat in familia sua primam celeberrimi illius imperii dignitatem, quod gloriabatur non aliis finibus contineri, quam quibus universus terrarum orbis circumscribitur, & cujus non nisi reliquiæ sunt regna illa, quæ hoc tempore adeo formidabilia nobis videntur. Quid non pollicebatur illi præclarum genus suum? & ad quid aspirandi locum non præbebat illi gradus adeo conspicuus, quo satis ornabatur? Verum non præbuit ille aures hujusmodi pollicitationibus; sed omnia devovit Salvatori suo, quem unice amabat. Vos id facile intelligeritis, si animadverteretis eo sæculo, quo Sanctus iste florebat, Christianam Religionem procul abhorruisse ab eo statu, in quo illam hodierna die conspicimus. Nitor ille, qui mundi pompam comitatur, procul aberat propter persecutiones, queis Ethnici Ecclesiam exagitabant; & aliunde divitiæ, quæ nobilium virorum propriæ videntur esse, omnino interdictæ erant iis qui legem Evangelicam profitebantur. Ita secundum Tertulliani sententiam tunc omnino fieri non poterat, ut quis simul & Christianus esset, & Magnus in mundo; & ut S. Hieronymus docet, vita Sanctissimorum Cœnobitarum, qui modo vivunt non nisi imago est, quam objicit oculis nostris Deus, vitæ ejus, quam primis Ecclesiæ seculis Christiani vivebant. *P. Martineau.*

§. Vincentius deserit domum paternam, & fit S. Valerii discipulus.

S. Vincentius a teneris unguiculis paternam deseruit domum, ubi ingentia bona, ac spes ingentiores videbantur illum retenturæ fuisse, & se addixit disciplinæ Episcopi Valerii, ut in partem accederet pœnarum, & opprobriorum, quæ Dei Filius in membris suis patiebatur ob universalem gentium omnium Christianæ Religioni contradictionem. Vincentius non diu mansit apud Sanctum hunc Episcopum, quin inter ceteros emineret suarum virtutum nitore; & conceptus, quem omnes de illius meritis homines imbiberunt, in causa fuit, ut eligeretur ad supplendas Diaconi vices, quæ dignitas non postrema erat in Ecclesia post Episcopalem: inde porro probatur electio Sancti hujus ad hoc ministerium, quod horruisset Ecclesia tradere dissipatoribus, & iis, qui ignorassent tueri pretiosum innocentiæ depositum. Cavebat quam diligentissime tunc Ecclesia; ne in Magistros scientiæ salutis eligeret homines, in quibus vanitas dociles habuisset discipulos ad excipienda, & sequenda fallacia placita sua. Sed si electio S. Vincentii ad hoc munus, argumentum est cor illius ita confirmatum fuisse ut minime Mundi blandimentis seduci posset, ejusdem quoque muneris acceptatio satis perspicuum est rectitudinis cordis ipsius argumentum. Alacriter excipit munus quod illi tribuitur; scit enim se hoc munere teneri, ut fidelium necessitatibus consulat sibi aliquod solatium inveniat; ut omnibus consolationem afferat, quin ullam ipse nisi ex obito munere suo possit percipere; ut maximas quaslibet virtutes exerceat sine alia claritate, quam quæ virtutibus ipsis prodit; scit enim hoc in munere Deum solum sibi in partem cessurum, Deum inquam, non jam liberalem temporalium benedictionum qualis erat erga Levitas antiquæ legis, & qualem fortasse illum plures Levitæ cupiunt legis novæ, qui in ipso Christianismo pleni spiritu Judaico, sibi ad Sanctuarium aperiunt viam indignis negotiationibus, ibi inventuri, quod nullibi illis præberet fortuna: sed Deum contemptu habitum, irrisum, blasphematum ab omnibus, & servis suis invisibilia tantum bona promittentem in præsitæ servitutis mercedem; quia denique scit, se hoc munere in statum adduci, ubi quotidie immoletur pro divina Victima, carnis, & sanguinis cujus sit dispensator: Ecce unum illud bonum quod tactus est. Qui norunt quo in situ tunc temporis esset Ecclesia, hoc satis intelligunt. Sed bonum hoc quod ignavis altarium Ministris proculdubio nequaquam placebat, adeo pretiosum illi visum est, ut perfectam esse putet reparationem jacturæ ceterorum; quibus hoc illum privat. *Idem.*

§. Valerius & Vincentius sub initium persecutionis Diocletiani & Maximiani detenti fuerunt tanquam Christiani; ac diutius feliciterati processionibus, ut fidem abjurarent.

Initio persecutionis sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano in Hispania Dacianus Tarraconensis Provinciæ præfectus, cui Cæsarausta, & Valentia subserant, zelum suum insignire cupiens in exequendis Cæsarum contra Christi fideles edictis, in vincula conjici jussit Valerium, atque Vincentium, ac ad se Valentiam adduci, sperans laboribus itineris, & injuriis, quibus obiter affici eos jusserat, eorum animos fractum iri, & se facile assecuturum gloriam, quam victoria de summis his totius Hispaniæ viris relata nomini suo peperisset. Sed illum sua fefellit opinio; cum enim eos arcessivit, invenit illos viribus valentes, atque robustos, licet nihil prætermissum fuisset, ut fame enecati interirent. Censuit Dacianus suavitatem utiliorem futuram, quam comminationes ad eorum fidem labefactandam, Valerio primum ostendit, gravem illius ætatem requie indigere, ejusque ægritudines vita suavi & tranquilla, ipsumque utrumque consecuturum, si Cæsarum edictis paruisset. Sed Ethnici rati si de Vincentio victoriam retulissent, plurimum virium accessurum partibus deorum suorum, illum Christianismo eripere statuerant. Mundus igitur nihil prætermisit, ut Sancti hujus animum flecteret illiciis ac blandimentis. Objecit illi opes, honores, voluptates, Cæsarum gratiam: omnia per os Daciani illi pollicetur. Paulisper immoremur, si vobis lubet, in iis perpendendis, quæ in magnam nobis ædificationem cessura videntur. Dacianus igitur illum obtestatur, ut abrenuntiare velit Religioni, quæ ipsum omnibus privat bonis inhærentibus generis ejusdem nobilitati, & quæ magnis ipsius virtutibus debita esse videntur: *Vincenti, verbis meis salubriter obtundi, quem & nobilitas gentis, & decor comedat gratissima juventutis.* Cur deliberas? addit ille, itane parum domus tuæ gloria te movet? Cede ils, quæ tibi Cæsares imperant, & videbis te statim ad eos evehi Magistratus, qui tantam majoribus tuis gloriam pepererunt. Ea in occasione quæ tantam habet vim, ad excitandum Mundi amorem in corde, quid a Sancto Martyre expectatis? Si similis esset ignavis illis, qui nomine tenus Christiani sæculi vanitates venerantur, cederet. Sed amat Jesum Christum, & hic amor novas illi vires addit: *Amore Christi resistebat*; atque per sanctæ indignationis sensum, profundum emittens suspirium: hoc iis promitte, ait, qui Deum Christianorum non norunt. Novi equidem quam amabilis sit, ut aliud quippiam præter illum amare valeam. Si mihi beneficium aliquod vis conferre, mihi mortem crudelissimam affer; hanc equidem meritus sum, quandoquidem credidisti me falli posse ineptissimis bonis, quæ mihi proposuisti. Hoc mihi scelus est, nunquam satis expiandum; &, o me beatum, si labem hanc totius sanguinis mei effusione delevero! Ita Sanctus noster respondit. *Idem.*

Firmitas Vincentii Diaciano respondentis omnem hujus edomandi ipsum illius superandi.

Audax S. Vincentii responsio Daciano Præsidi ostendit, illum divinitus nobis datum fuisse, ut intelligeremus quousque procedat Christiani robur, & quid expectari deinceps possit ut illius constantia resistentis æque & minis,

minis, & promissionibus furentis hujus Ministri crudelitatis Imperatoris Diocletiani, apertissimi hostis Religionis Christianæ, quam extinguere decreverat cruore omnium, qui illam profitebantur. Dacianus adhuc crudelior terrorem, ac tumultum in omnem Hispaniam jecerat, ita ut alii quidem sese inter specus reciperent, alii confugerent in solitudines, alii vagi, atque dispersi asylum quærerent, ut illius se furori subtraherent. Vincentius noster procul absit ab hac infirmitate, quam Salvator ipse excusabat in discipulis suis; tantum absuit, quod præ metu cruciatuum fugeret, ac delitesceret, ut semetipsum obtulerit, & in medium prodierit, licet onustus catenis, obfirmata, & serena facie ad tyranni hujus tribunal. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ex imperterrito Vincentii vultu facile iniquus judex intellexit, illum mortis timore nequaquam posse commoveri, cumque vidisset non fame, neque plurimis diuturni, horrentisque carceris incommodis quidquam constantiæ ipsius fuisse imminutum, ut tandem certamen iniret, ostendit illi terribilem suppliciorum omnium apparatum, quibus in illum usurus erat, sperans futurum, ut dirum illud spectaculum audacissimum quemque terreret; & sola ejus ostentatio ad deditionem cogeret, quin ulterius esset progrediendum. Ad hunc teterrimum gehennarum, atque cruciatuum apparatum ita illum S. Augustinus respondentem inducit, & fidei consonum est hæc Vincentii verba fuisse: *Hoc est, quod semper optavi, & votis omnibus concupivi.* Heus tu! adeo exiguam foves opinionem de Christiani fortitudine, ut putes solo tormentorum aspectu flecti posse, ut victas det manus? Scias, tantum a me terrorem mortis abesse, ut illam ex toto corde concupiscam; scias hoc unicum esse ardentissimorum votorum meorum objectum, cumulum omnium desideriorum, & totius spei meæ terminum. Quod si mihi aliquid metuendum est, hoc illud est, ne suaviter nimis agatur mecum ob orationem, vel indulgentiam, quæ mihi gloriæ meæ partem eripiat; hoc timeo ne prius me cruciando defatigeris, quam ipse perferendo propter amorem Dei, quem colo, & propter fidem quam profiteor. Nequaquam: non ignes, non excogitabilia tormenta, quæ ingeniosa crudelitas tua potest invenire, evellent unquam ex corde meo fidem hanc. Deos tuos detestor, & execror; Christianus moriar. Hæc habeo, quod tibi respondeam. Non est cur verbis teras tempus. Festina, ut me cumules gaudio locum mihi præbens ostendendi fidelitatem, quam Deo meo pollicitus sum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Sermone de S. Vincentio.

S. Vincentius vulneribus confectus ferme carnifices provocat.

Sanctus Martyr noster semiusulatus, fumans adhuc, & confectus vulneribus insultat suis carnificibus; & quasi metuens, ne per humanitatis reliquias malorum, quibus discruciabatur aliquem illis miserationis sensum injicerent, superbis, & imperiosis verbis prohibere voluit, ne furor illorum mitesceret. Ne quis mihi objiciat, S. Ambrosius ait, Philosophos qui in scriptis suis fortunam lacessentes, eam provocabant, ut quidquid maxime terribile in ipsa erat, expediret contra se: *Quid cessas fortuna? congredere paratus sum*, ajebat unus ex illis. Præclara quidem in speciem verba, sed reipsa vanitatis plenissima! Nam cur ille hoc pacto loquebatur, nisi ut per superbiæ nimiam subtilitatem sibi fingeret statum firmitatis, atque constantiæ, in quo nunquam erat futurus, ut perfrueretur commentatione quadam gloriæ inhærentis tam nobili statui, cum interim reapse procul abesset ab iis omnibus, quæ turbare poterant ejus tranquillitatem, & patientiam ipsius exercere. Sed quod hodierna die S. Vincentius præstat, confundere potest simulatas hasce superbæ Philosophorum sapientiæ virtutes. Neque enim homo est, qui in penetralibus ædium suarum insultet fortunæ improbitati, quam non experitur: homo est tortoribus septus, qui rabie ac furore pleni certatim efficere conantur, ut illi acerbissimos dolores inferant. Illos tamen exprobrat, quasi deesset eis zelus ad ulciscendam numinum suorum majestatem, secundum judicis imperium, & ad judicem ipsum conversus: Affecutus ne es votorum summam, & crudelitas hæc adeo solers in novis suppliciorum generibus inveniendis tandem exhausta ne est? Gratiæ sint Deo, cui servio, patientiæ meæ profecto exhausta non est; *si quid perversa artis tuæ viribus potuisti exercere.* Quod autem stuporem incutit, & Sancti Martyris coronam adauget, hoc est, quod tot inter horrores cor habet adhuc gaudio plenum, sed gaudio ita affluenti, ut Apostolus ait, quod prodit in oculis ejus, quos pie in Cælum attollit; in oris facie, quod nihil nisi suavitatis, & risus spirat; in laudibus, quas in Dei laudem concinit: in oblatione corporis sui quod tanquam verum offert holocaustum, gratiarum actionibus, quas reddit Jesu Christo, qui illum adeo pretiosa morte condecorare dignatus est. Sed sævientibus in ipsum tortoribus ille, quemadmodum Sanctus Leo inquit, eorum furori se subtrahit: *nec in quem jam vindictam inferrent, inveniebant*; ipse adhuc par est, ut Judicem ipsum confusione, dolore, ac desperatione fundat. *P. Martineau.*

Descriptio cruciatuum S. Vincentii.

Cogitate in S. hujus Martyris persona hominem ab omnibus oppugnatum dæmoniis, a carnificum manu obsessum, qui furorem crudelissimi tyranni acti, & excitati fidem illius labefactare conatur, qui non resistit solum, omnesque eorum injurias sustinet, verum etiam omnibus hisce inimicis devictis insultat. Videte carnem hanc æque ac nostram doloribus obnoxiam, quæ lancinatur, discerpitur, decorticatur, secatur, lento igni comburitur, super craticula affatur; quæ Dei virtute roborata inter pœnas subsilit, & patitur non solum sine querela, verum etiam exultans præ gaudio. Nisi metuerem, ne præ horrore infrenderetis, vobis ob oculos Martyrii ejusdem circumstantias proponerem, vobis reum omni culpa vacuum, patibulo suffixum, virgis cæsum, baculisque contritum, atque confractum proponerem. Mox illum exhiberem extensum in eculeo, & in omnibus corporis sui partibus gehennam patientem; vobis ostenderem carnificum manum, qui ferreis ungulis, uncinisque omnia illius ossa nudant alii post alios, *ut in uno corpore ses martyria videantur esse, quot membra.* Videretis simul tortores fessos, & eundem torquendo fatigatos; sed indefessa Sancti hujus Martyris fides perferendo non fatigatur: *Lassabantur tortores, sed non lassabatur fides.* Crudeli hoc affectus supplicio adhuc satis habet virium, ut ex carnificum elapsus manu currat, vel potius advolet ad Crucem, quam sibi paratam videt. Ibi ardenter cupiebat ille complere Sacrificium suum ad Salvatoris exemplum, cum inde retractus fuit ut extenderetur in lectulo ferreo, & candenti, ubi latera ipsius ardentibus lampadibus, ferreisque flaminis ignitis ambusta fuere. Inde vero corpus hoc undique vulneribus plenum, & semiustulatum projectum fuit in carcerem fictilibus fragmentis fractum & mox super acutissimos aculeos versatum. Nonne dicere possum quod S. Zeno in simili argumento? *Numerent Martyria, qui possunt numerare supplicia.* Varia supplicia, quæ perpessus est, totidem illius fuere martyria. Quis igitur victor est? quis victus in cruento hoc certamine? Victor nonne ille est qui generosis oculis & contemptu plenus hunc spectat sævitiæ apparatum; qui inter supplicia suos irridet carnifices, eisque ignaviam, ac in torquendo imbecillitatem exprobrat? Victor nonne ille est, qui dum corpus suum liquescit in prunis, quasi stratum esset in roseo cubili, sancta superbia tyrannum, cujus jussu torquetur aspicit, & ad nova excogitanda provocat tormenta constantia ac fortitudine plenus, cum S. Paulo dicens: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque alia creatura poterit nos separare a Charitate Dei. In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. P. Texier.*

S. Zeno Veronensis.

Ad Col. 1.

Quanam imperterriti animi firmitate Sanctus hic Martyr sævissima perfert supplicia! Illum in eculeo attollunt, extendunt, undequaque violenter rapiunt; totum illius corpus, ut ita dicam, explicatur, ut tortoribus amplior pateat locus, ubi suam exerceant crudelitatem: *Distentus membris crescit ad pœnas*; Martyrii ejusdem Historicus inquit. In supplicio, in quo licet crudele sit, non nisi tamquam ad graviora supplicia apparatus habendus est, suspiratne? plorat? contremiscit? Quin immo e contra respiciens oculo sereno, & serena facie illum, qui suo præerat supplicio: Quantum, ait, tibi debeo, qui mihi concedis, quod tandiu concupisco! Tantum abest, quo ea mihi displiceat ratio, qua mecum agis, ut te amicissimum judicem: *Nemo mihi amicior fuit: tu solus meis votis maxime concordas.* Verum ne hic immoreris, quæso, & si mihi gratificari vis, præcipe tortoribus istis, ut in unum me furorem evomant suum, ut pœnis crescentibus, corona quoque mea crescat in manu Dei illam mihi præparantis: *Crudelitate ipsa præstabis mihi gloriam.* Hæc verba, vel potius preces irritæ non fuerunt. S. Martyr ab eculeo traductus fuit ad lectulum ferreum inter ardentissimas prunas. Ibi inter horrores, quorum solus aspectus terrorem incutere potest fortissimis etiam animabus, Vincentius imperturbabilis est, & illius fortitudo videtur augeri. Videt torreri carnem suam, nervos contrahi, venas exsiccari, sanguinem evaporare, totius corporis substantiam undique colliquescere, & augere vim flammarum, ubi incidit; & in propria videt persona terribile hoc spectaculum iisdem oculis, quibus si hæc in tabula depicta intueretur, & quasi ignis, quo absumitur, novam eloquentiæ ipsius auget vim: Frustra, inquit ille ad Ethnicos loquens, frustra o cæci cultores operum manuum vestrarum speratis visuros esse me thus adolentem vobiscum, unum enim colo Deum, qui solus omnia obsequia nostra meretur. Quam me miseret vestri, nisi mihi jungamini illum adoraturi! Intelligere utinam possitis fortitudinem, quam in me non admirari non potestis, opus esse gratiæ ipsius. Si enim, quæ vobis ipsi dicimus essent fabulosa, possem ne in illusione mera adeo admirabilem vim invenire? Ita Sanctus Martyr loquebatur. Crederet ne quispiam, S. Augustinus ait, hominem purum totum simul pati posse adeo crudele supplicium, & habere sermonem tanta plenum securitate? *Tanta erat pœna in membris, tanta securitas in verbis, quasi alius torqueretur, alius loqueretur. P. Martineau.*

Descriptio alia Martyrii S. Vincentii.

S. Vincentius lorica tat carnifices, & Dacianum fervidum lacessit.

Potest ne quis videre generosum hunc Martyrem in eculeo distentum usque ad sustinendam artuum suorum lanie-

Digitized by Google

lanienam, quin simul admiraretur potentiam tuam, Domine, & Vincentii tui generositatem? Ferreis laniatur unguibus eo usque, ut viscera illius detegantur; & hic Jesu Christi miles concinit laudes tuas! Irridet carnificum imbecillitatem, insultat tyranno, quasi nesciret torquere fideles. Enuntiat magnalia tua, Domine, supremam potestatem tuam, tuamque magnificentiam laudat, & inanium deorum, quos dæmonia, & seductores appellat, vanitatem contemnit. *Quoniam omnes dii gentium dæmonia.* Accedamus propius fideles, ut magnum hoc spectaculum intueamur: in partem accedamus victoriæ Sancti hujus; exclamemus, Domine, quam admirabilis es in hoc S. Martyre tuo! Gaudium videtur crescere in ore Vincentii, immo etiam in corde prout dilaniatur. Dei præsentia effundebat in faciem ejus cœlestem serenitatem, videbatur inter cruciatus renasci, & hilaritate hac triumphali, quæ in toto Sancti hujus habitu exteriori emicabat, augente simul tyranni rabiem, doloremque, hic ipsos etiam carnifices fustibus verberari jubebat, ita ut dæmon suos torqueret ministros, & incideret illos punire suppliciis, quæ inferebant Laurentio, cum interim Athleta strenuus inter maximas pœnas tranquilla pace frueretur. *Auctor Recens.*

Psalm. 95.

Prout tormenta augebantur, Martyris constantia crescebat.

Nonne crederes sancto Martyri plura fuisse corpora, quæ subinde animet, ut nova semper supplicia sustineat, quorum unum vitam auferre potest illis ipsis, qui eadem intuentur? Nonne diceres illum in alieno corpore pati? Ad Vincentium Carnifices redeunt; eos Dacianus excitat; Martyr contra se illos acuit. Tortores barbari metuentes, ne a tyranno puniantur, suos conatus ingeminant. Hoc igitur prælium est, ubi omnia contra Sanctum Athletam nostrum inflammantur. Ipse flatu suo ignem contra semet ipsum accendit. Num timeatis ne cedat, & dolore victus, & nutante constantia vel consilium mutet, vel habitum hunc oris sancte superbum, & sublimem abjiciat? Verum non ita, licet exercitus in aciem dispositus in Vincentio torquendo sese exerceret, cor hujus non trepidat. Deus pro illo est, & cum illo. Cetera nihili facit, & tanquam stipulam, quæ vento rapitur. En igitur carnifices quavis excogitabili ratione animatos: sed frustra; illi viribus deficiunt, eorumque robur decidit. Plus constantiæ inest Vincentio, quam illis sævitiæ. Quiescite, vires reficite, inquit, ut vulneribus tepescentibus, dolor sit gravior, ubi instaurentur. Numquid homo ita loquitur Domine? an Angelus humana specie indutus? Hic effectus est omnipotentis gratiæ tuæ, quæ in Sancto hoc martyre victrix est. *Auctor recens.*

Martyrium S. Vincentii a S. Augustino descriptum.

S. Augustinus celebrare volens gloriam S. Vincentii, illum cum Daciano tyranno loquentem inducit. Videte, ait ille, furentem judicem, & sævum tortorem adversus Martyrem non propria, sed Jesu Christi virtute invictum. Supplicia, quibus hic Levita torqueretur, ita crudelia sunt, ut si ab homine sublata fuisse dicantur, superent fidem. Verum si consideretur Deus, qui potestate tua fulciebat hæc patientem, jam cessat admiratio. Et sane dicine potest, S. Vincentii patientiam humanam extitisse? Patientia hæc erat a Deo, quoniam pro veritate, pro justitia, & pro ipso Jesu Christo patiebatur. Ita Deus secernebat causam suam a causa impiorum. Omnia Vincentii verba tantam ostendunt pacem, pergit idem Augustinus, tantamque tranquillitatem, ut crederes illum, qui hoc pacto loquebatur non esse illum, qui tanta mala patiebatur, sed Jesum Christum per os illius locutum fuisse, ut infirmos quidem confirmaret, impios vero confunderet. E contra, Sanctus idem Doctor inquit, motus violenti, ac furentia Daciani verba, oculi accensi, & oris habitus minax totidem erant scintillæ, quæ palam faciebant ignem illius iracundiæ, & insaniæ. Frustra igitur, tyranne crudelis, ut generosum Athletam vincas, illum catenis obruis, illum enecas fame, ac siti: frustra simulata pietate illum fallere adniteris: Sanctus hic Martyr de omnibus conatibus tuis triumphabit. *S. Augustinus Sermone 270.*

Enumeratio cruciatuum S. Vincentii.

S. Augustinus recensens tormenta, quibus S. hic Martyr tortus fuit, docet, initium factum fuisse ab unguibus ferreis, quibus totum illius corpus lancinatum fuit, & Martyrem nostrum, non solum certamini non cessisse, non solum tot variis vulneribus saucium animum non despondisse, verum hæc omnia sustinuisse supplicia recenti semper constantia, ita ut Dacianus videns totum illius corpus membratim concisum, aperta viscera ejus, & sanguinem ubertim diffluentem, censuerit, se injuria persequi fidelem hunc Domini servum. Aquovit, & palam professus est se victum esse: expertus est viam suavitatis atque hortationum: & Sanctum rogavit, ut si minus Idolis thus adolere vellet, saltem sacros traderet libros. Sed reddidit illi Vincentius, ignem, in quem ipse sacros codices projicere volebat, sibi deberi, eumque hortatus est, ut omnem sævitiam in corpus suum exoneraret, afferens se nihil magis expavescere, quam simulatam ejus misericordiam. Dacianus post brevem moram Sanctum novæ addixit quæstioni per ignem, ardentesque flammas, ut in ferrea craticula extensus torreretur; cui sese ultro obtulit supplicio Vincentius carnifices ipsos præveniens. Ascendit in lectulum hunc ferreum tanquam in Tribunal, cujus vectes in ferræ formam fabrefacti pleni erant aculeis candentibus propter ignem subtus accensum, & Sanctus Martyr manus pedesque habebat, aliosque artus extensos super hac terribili mole. *S. Augustinus, & alii.*

S. Martyr in carcere invisitur ab Angelis.

Quonam stupore captus fuit erudelis Dacianus, cum audiit Cælestes spiritus visitasse S. Vincentium in carcere; vincula ejus confracta fuisse; tectas super quarum fragmenta illam extendi jusserat in rosas fuisse immutatas? cum certior factus est vigiles, quorum fidei generosi hujus athletæ cura fuerat demandata, ad tanti spectaculi lucem fidem amplexos fuisse! furor, ira, rubor cor ejus opprimunt, & non audens amplius Sanctum in medium proferre, mavult illi quietem concedere, & in cubili cum collocare, sperans futurum, ut si in eo occumberet statu, mors illius naturali causæ accepta referretur, non suppliciis, eique gloriam desuturam, quod vitam in cruciatibus effudisset. Tunc fideles accurrerunt ad carceres illi auxilio futuri, alius quidem vulnerum ejus cicatrices deosculans, alius cruorem ejus sibi asservandum colligens, tanquam authenticum monumentum victoriæ Sancti Martyris, ac illustrem Christianæ Religionis triumphum de falsa Gentilium superstitione. Sed ubi strenuus hic Christi miles in lectulo, qui eidem stratus fuerat, positus fuit, Deo animam reddidit; quoniam ex quo corpori ejus solatium aliquod adhiberi cœptum fuit, nonnisi mortem optavit. Quid enim in terris feciset, ubi nulla ei supererant certamina ineunda? Jam stadium suum expleverat; nihil illi deerat nisi corona, quam præparat Deus diligentibus se. Si illi rursus confligendum fuisset, dixisset ille cum S. Martino, Domine paratus sum ut pro gloria tua omnia subeam supplicia, omnesque cruciatus patiar. *Auctor Recens.*

Peculiaris gloria S. Vincentii.

Nullus dubito quominus S. Vincentius inter Martyres amplissimum locum teneat; mors enim, quam pro fide tuenda perpessus est, in omnibus circumstantiis suis admirabilis est. Alii Martyres in tormentis animam efflarunt; S. Vincentius autem præ timore voluptatum occumbit. Moriuntur alii pœnarum suarum continenti passione; S. Vincentius ideo moritur, quia ejus cessant supplicia. Aliis corporis vires deficiunt in pœnarum suarum vehementia; Sancto autem nostro tunc desunt, cum pœnæ desunt ejus constantiæ. Sed dubitandum videtur utrum metus, an audacia causa fuerit illustris hujus Martyrii. Num timor? haud profecto: tormenta enim illum vivere faciunt, adeo abest, quod mortem reformidet. Num audacia? ne id quidem; quoniam timor voluptatum illi mortem infert. Quid ergo Sancti hujus martyrium efficit? Amor Jesu Christi, qui in corde Athletæ hujus incomparabilis simul audaciam metumque conjungit, ut inde prodeat miraculum fortitudinis, & duplo majorem efficiat gloriam martyrii. Ut martyr fiat moriendum est; patiendum, & moriendum est pro causa bona; & amor J. C. causa est qua fit ut patiatur, & moriatur: *Ab ipso enim patientia mea.* Ecce virtus, quæ sustinet spiritum ejus; ecce spiritus, qui illius acuit fortitudinem, secundum illud Arausicani Concilii Oraculum: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem Christianorum Dei charitas facit. P. Noves in meditationibus.*

Caron. 17.

Idem sequitur argumentum.

Consideremus heroicam S. Vincentii constantiam, qui vegetus, & constans perseverat in lectulo ferreo supposito igne candenti; & qui statim animum efflat ubi in lectulo roseo collocatur, recentes semper invenit vires, ut nova sustineat supplicia, & ne momentum quidem invenit vitæ, ut oblata requie fruatur. Dubitandi locus est, utrum victoria, quam de voluptatibus retulit, sit pulcherrima martyrii sui pars, & utrum non minus miraculum sit mori non posse inter tormenta, quam vivere non posse inter delicias ... In Sancti hujus martyrio palam videmus, divinam potentiam omnia in majorem gloriam suam convertisse, quæcunque Tyrannus Dacianus ad eandem dedecorandam excogitaverat. Corpus hoc laniatum, excoriatum, assatum in prunis ardentibus, repente pristinæ saluti redditum; putidus, & infamis carcer repente lumine repletus, & in ictu oculi factus exigua quædam imago paradisi, ubi Carnifices, atque Ethnici, qui aderant, audiunt suavissimum Angelorum concentum, & pretiosissima gustant olfactu Cæli thymiamata; Corvus hic, qui post S. Martyris obitum Dei jussu tuetur sacras ejus reliquias a lupis, exterisque carnivoris animantibus; hoc mare, quod veluti in triumphum defert in littus pretiosum illius corpus, & quod illi ex arena excitat monumentum: hæc omnia miraculose facta ostendunt nequicquam mundum, & infernum illi dedecus inferre conari; quippe Deus non vulgaribus signis generosi hujus Athletæ gloriam procurat. Moritur quidem, sed efficiet Deus, ut dies mortis illius colatur: ut ossa illius auro, argento, & holoserico tegantur; ut cineres ejus cum reverentia collecti in altaribus populorum cultui objiciantur, ut crucis ligna, quibus adnexus fuit, sanguine ejus rubentia sint objectum venerationis populorum, & ut omnia suppliciorum ejus instrumenta, Sanctus Leo inquit, illustria fiant triumphi ejusdem monumenta: *In honorem triumphi transierunt instrumenta supplicii. Ex PP. Noves, & Texier.*

Ita & furor Daciani nequaquam cum Sancti Martyris

Digitized by Google

Dacíani furor non desiit cum vita Sancti.

vita cesserunt: illum etiam post mortem persecutus est, & quasi nondum voti compos factus esset tot contumeliis, atque cruciatibus, quibus illum afficerat, voluit etiam eidem eripere honorem sepulcri, & avibus vorandum præbuit, quod flammis comburere non potuerat. Natura in nobis ciet miserationem erga mortuos, & Religio nobis imprimit observantiæ sensum erga illos. Mors, quæ martyres ad nihilum redegit, illos consecrasse videtur, ablatosque de hominum consortio in rerum sanctarum ordinem transtulisse. Corpus eorum tumulatur, sin minus cum pompa, saltem cum pietate. Ipsi etiam inimici qui illos, dum viverent, persecuti sunt, illorum post mortem desiderio tenentur, & lacrymis prosequuntur conditionis eorum vel miseriam, vel sanctitatem. Dacianus vero monstrum illud furoris, & crudelitatis, cui nihil humani erat præter faciem, voluit, ut luporum, aut corvorum venter fieret Sancti hujus Martyris post decessum, sepulcrum. Jussit itaque illum projici in agrum, in quem omnes urbis sordes inferebantur, & severissimis propositis pœnis vetuit, ne huic Martyri justa persolverentur. Sed divina Providentia generosi hujus Athletæ sibi curam depoposcit, effecitque, ut post mortem ille triumpharet; quem dum viveret inimicorum suorum victorem reddiderat. Etenim sicuti feræ, quæ rapto vivunt, accedebant ut corpus vorarent, corvum suscitavit, qui rostro, alis, & voce illas deterrebat, removebatque. Aliud quodvis animal effecisset, ut de miraculo ambigeretur; & crederetur illud aliquo misericordiæ sensu adactum pium hoc officium corpori Martyris præstitisse; sed corvus, qui carne vivit, obliviscitur inhumani ingenii sui, cæli nutibus & omne robur suum exercet, ut jejunus licet, corpus mortuum generosi Athletæ nostri tueatur. *P. Senault ex Oratorio.*

Eadem Prodigia aliter declara,

Si Dei virtus adeo palam enituit, in ope ferenda Martyri nostro in tormentis perferendis, magis adhuc resulsit in eodem post obitum etiam tuendo; etenim postquam permisit, ut corpus illius esset in potestate inimicorum, ut illum torquerent, inauditis prodigiis vetuit, ne ulterius sævirent, & voluit, ut corpus hoc vita, ac motu carens iterum de furore, ac versutia Tyranni triumpharet, Profecto cum Dacianus Præses Martyrem vellet sepulcri honore privare, suasit corpus illius canibus, ac feris objici in sterquilinio, Sed quid hominum potest impietas contra Dei voluntatem? Credebat illum in corvorum prædam cessurum; & merito corvo Deus usus est, tanquam illius tutore, & præsidio. Fuit hoc jucundum virtutis, sapientiæque Dei spectaculum mutantis naturalia animantium studia, ubi vult; non secus ac effectus maxime admirabiles elicientes ex causis, quæ magis videntur oppositæ. Namque statim ac projectum fuit corpus illud, advolarunt volucres carnivoræ, actæ fame, & odore illectæ. Vident expositam prædam, & præsto sunt, ut devorent illam. Sed corvus obstat non ut ipsæ esuriens, cogit illas? ut in nemora, unde egressæ fuerant, revertantur. Quam novum, ac mirum fuit hoc spectaculum? Videre illas quidem irruere in corpus hoc, quin illi nocere valeant, & hunc, quin eodem pascatur, illud protegere: ut hac illius cura, præsidioque ostenderet fortitudinem, & potestatem illius, qui olim prohibuit, ne leones Danieli officerent, & corvo præcepit, ut Eliam prophetam nutriret; significaturus quam sibi chari sint famuli sui. Tamen Dacianus, quin Dei manum agnosceret in hoc prodigio, credidit, se prohibiturum, ne sanctum hoc corpus videretur, si minus prohibere posset, ne de illius triumpho loqueretur. Illud ergo insui jussit in culeo, quæ olim erat parricidarum pœna, & in altum mare deferri, ut ibi voraretur a piscibus, cui vultures & feræ voracissimæ pepercerant. Sed Deus, qui omnibus imperat elementis, non minus in aquis, quam in terris protectionis suæ effectum voluit effulgere; educit illum de profundis aquarum; neque minus fuit stuporis argumentum ministris tyranni invenire Martyris corpus in littore, quo fluctus, qui parent voci Creatoris sui, illud advexerant: Miseri illi adeo perterrefacti sunt, ut illud attingere non auderent, neque ultra persequi honorem, cujus causam cælum susceperat; satis sibi esse rati, quandoquidem illud corpus sepulcri honore privaverant, ludibrium fore putabant fluctibus maris. Sed hæc ipsa illis deerit consolatio; quoniam fluctus ipsi tumulum effoderunt, non tantum, S. Augustinus ait, ut pretiosum hoc depositum occulerent, quantum, ut homines docerent, quænam illi reverentia deberetur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Quid ex martyrio S. Vincentii discere valeamus.

Ex vita & morte sancti hujus Martyris discere possumus, non dari gloriam parem illi, quam acquirere potest Christianus pro Deo patiens, quocunque tandem modo patiatur, si enim hac in re S. Augustino fidem habemus, Deus hac de causa vult a nobis SS. Martyres coli, & ab Ecclesia nobis ob oculos subjici ad excitandam fortitudinem nostram, ut coronas eorum intuiti quæramus maximam, solidissimam, & verissimam gloriam, qualis est aliquod pati propter amorem Dei, sperantes fore ut homines, qui sæpe bonis, vitaque ipsa periclitantur pro inani honoris aura, qui ad gloriam fluxam, nec permanentem contendunt, per rarlorum casuum tempestatem, qui illam per tot pericula inquirunt, & proprii sanguinis pretio adipiscuntur, tandem aperiant oculos ad hoc S. Pauli verbum: *Et hi, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem ut incorruptam.* Heu! tantumne periculum subeundum est, tot mala sustinenda sunt, tot conatus exercendi, pro gloriola pertranseunte, & e manibus nostris elabente, cum illam tenere arbitramur; eam vero negligimus, quæ non præterit, quæ non flacescit, & quam nemo unquam nobis eripere poterit? Si nosse vultis breviorem, tutioremque viam ad illam quærendam, hanc vobis esse dicam pro Deo pati. Apostolus quoque hoc enumerat inter maxima beneficia quæ possit nobis conferre Deus in hac vita: *Vobis datum est, non solum ut in ipsum credatis; sed etiam ut pro ipso patiamini. Idem.* *Ad Phil. I. 29.*

De Martyrio S. Laurentii magna cupiditas qua flagrabat patiendi.

Flagrabat S. Laurentius vehementi martyrii desiderio, ejusque occasiones inquirebat; festinabat Ecclesiæ bona pauperibus distribuere, ut comitaretur Episcopum suum in prælio, & peramanter cum illo conquerebatur, iis verbis quæ nonnisi a magnitudine amoris sui poterant proficisci, Quonam Sancte Præsul fine tuo Diacono properas? Committens mihi dispensationem Sanguinis Jesu Christi fidelibus, nunquid me indignum judicasti, qui sanguinem meum pro illius gloria effundam; & quoniam nullum unquam obtulisti sacrificium quin tibi ministrarem, cur non vis, ut in hoc deserviam tibi, & una sim victimarum cum te? Verba hæc nonne inflammata sunt? amor & ignis nonne illum simul accendunt? Nonne ex illius sermone colligitis, eandem charitatem, quæ Sanctum Levitam nostrum comburit, illum animare etiam, & communire? Ita S. Antistes de illius sensibus ex ejus verbis ferebat judicium, illum consolatur non tanquam infirmum hominem, sed martyrem strenuum. Non ego te desero, inquit, tu quoque morieris, ut ego; non cessabit persecutio, & intra paucos dies, te manent majora pro Jesu Christi fide certamina. Ego quidem imbecillus homo sum, quia gravis annis; Cæsum meæ parvit infirmitati; permittit ut mortem mihi inferat pœna, quæ nihil habet severitatis: tu autem, cum juvenis sis, & charitas magis, quam tua te excitet ætas ad perferendum, Dominus, qui vult, ut fortitudo tua in Ecclesia eluceſcat, præparat tibi supplicium te dignum, & exigit a te, ut sacrificium perficias suum ea morte, quæ eo erit illustrior, quo mea erit crudelior. *P. Senault ex Oratorio.*

Incipiunt torquere Laurentium gravissimo cruciatum.

Judices alii, qui martyres persequebantur per gradus in pœnis irrogandis procedebant, satis erat, si primis diebus illos in carcerem truderent, & eorum constantiæ periculum faciebant, latebrarum caligine. Si strenue primum hunc perferebant supplicium, membra eorum ferreis unguibus laniari jubebant. Nisi illos tormentum hoc deterruisset, alia crudeliora excogitabant, & rotis & igne conabantur de Sanctorum Martyrum constantia referre triumphum, sed furens ille judex eum Laurentio modum non servavit, inde sumpsit exordium, unde alii finem faciunt; credidit vulgaribus tormentis Sanctum Diaconum superari non posse. Præcepit ut hic in ardenti crate distenderetur, & ibi semism, & sine sensu absumeretur, ut diutius torqueretur, & per diuturnitatem adeo crudelis supplicii Sancti hujus Levitæ constantia labefactaretur. *Idem.*

Ignis supplicium omnium tu deterrimum.

Ignis sævissimum est, & crudelissimum omnium supplicium, prout a tortoribus attrectatur: Sævissimum quidem si patiens in medium flammarum projicitur. Cum enim ignis extremæ sit actuositatis, illum statim absumit, cumque statim vitæ finem faciat, dolorum quoque facit finem, Est etiam crudelissimum, si actuositas illius retardatur, & si industri rigore applicitus fontes comburit quidem, non autem absumit. Tunc enim pœna diuturna est, & violenta, & duo conjungens, quæ simul esse non posse videntur, efficit ut multum patiantur, & patiantur diutius. Hinc Tertullianus enumerans supplicia, quibus martyres torquebantur, ignis tormentum maximum appellat, & fatetur aciem gladii, crucis ignominiam, ferarum rabiem cum ignis vi comparari non posse: *Timebit quidem contra gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam. Idem.* *Tertull. ad Martyres.*

Qua constantia & patientia S. Laurentius sustinuit crudele ignis supplicium,

Ignis supplicio Levitæ patientiam exercuit. Excogitavit ferream mollem ardente lectulo similem, in qua Sanctum nostrum jussit extendi, ut dimidium corpus ejus lento igne combureretur, & hoc guttatim defluente in accensos ignes Martyr videret mortem suam differri, suumque supplicium produci. Cum tyrannus intellexit Sancti corpus una ex parte assatum esse, & in carbones ignitos mutatum, jussit, ut pars altera torqueretur, ad dolores ejus ingeminandos, atque efficiendum, ut homo idem bis moreretur. Quid majorem tibi stuporem incutit; num Martyris patientia, an furor tyranni? Potestne utrumque longius procedere? Poteratne Judex supplicium excogitare crudelius? Poteratne martyr illud subire constantius? S. Martyr videt nervos venasque suas contrahi, ossa nigrescere, medullas liquefieri, & in doloribus adeo diuturnis mors non aufert illum carnificum suorum furori. Martyres generosi, qui tanta perpessi estis propter Salvatoris gloriam, admirabilis est patientia vestra in tormentis, cum videmini in eculeis, in rotis, inter tygrides, & Leones,

Digitized by Google

Leones, in aquis, & flammis, semper insignis apparet fortitudo spiritus vestri, in carnis infirmitate. At hoc non est derogare gloriæ vestræ, credere cruciatus vestros, pœnis Levitæ nostri esse tolerabiliores. Supplicio-rum vestrorum acerbissimum aliquot tantum momentis perseverabat, sed Laurentii craticula nonnisi paulatim illum absumit, & non minorem affert Sancto dolorem, quam stuporem tortoribus, atque spectatoribus. Intelligi nequit quod homo uratur, & minime doleat; quod citra impatientiam, & querelam tandiu dolori resistat, & amittens artus suos unum post aliud, semper conservet fortitudinem suam, & vincat, ut ita dicam, ignem ut tortorum brachia fatiget, & de eorum crudelitate triumphet. Nulla sunt martyria, quæ jucundiora non sint martyrio Laurentii. In Martyriis, ubi uno ictu eripitur vita, mors ferenda est. Sed Laurentius toties moritur, quoties super lectulo suo ardenti versatur: *Qui gladio percutitur, semel moritur*, S. Augustinus ait; *hic autem longa pœna cruciatur, ut mors non desit ad supplicium, & desit ad finem. Idem.*

S. Augst. Sermone 1. de S. Vincentio.

S. Laurentius præstitit fidem.

S. Laurentius præstitit fidem, quam Sancto Sixto præbuerat: ubi incidit in manus tortorum suorum, amor illi vires suppeditavit, & ignis, quo cor suum inflammarum erat, effecit illum victorem flammæ, quæ corpus illius comburebat. Extenditur in lectulo ardenti, modice igni alimenta subjiciuntur, ut lento gradu absumatur, & omnes adhibentur artes, quas crudelitas suppeditare potest, ut violentis, diutinisque doloribus afficiatur. Verum elabitur ne illi verbum aliquod ejusdem constantia indignum? Nonne benedixit Deum, cujus est victima? Insultat tyranno, a quo ad mortem damnatur, ejus irridet crudelitatem, & uno, eodemque ore scit Dominum laudare, & increpare carnifices: *Assatum est jam*, dicit, *versa, & manduca*. Sermo hic nonne ignitus est? Nonne singula verba sunt jacula ignita? Proficiscuntur ex corde, quod charitatis ignis devorat, & cum Ecclesiæ Patribus fatendum est, S. Laurentium non vincere ignem tyranni, nisi quod igne divini amoris erat inflammatus. *Laurentius*, S. Augustinus ait, *hoc igne accensus non sentit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. P. Senault.*

Sermone de S. Laurentio.

Sequitur Idem argumentum.

Fingite vobis Martyrem in ardenti rogo tortoribus insultantem: Respicite illum in lectulo flammarum, tanquam in roseo cubili stratum, qui totus in amore Dei occupatus non cogitat quidem de doloribus suis. Considerate illum in ardenti lectulo tanquam in solio præsidentem tyranno suo, & imperioso vocis tono dicentem illi: Hoc latus, quod igni impositum est, satis assatum est, versa illud, ut si crudelitatem tuam saturare velis humana carne, illud post obitum meum valeas comedere. Vel in sensu magis Christiano, ac magis generoso dicit illi: Festina, tyranne, ut meum perficias sacrificium, non ut meæ pœnæ finem imponas, sed ut meam matures felicitatem. Accende ignes tuos, ut amori meo satisfacias; confecta victimam hanc, ut recta pergat ad illum, pro quo patitur. Exple simul furorem tuum, & mea desideria: ingemina tuam crudelitatem, ut meum augeas triumphum, & comede carnem meam, jam assatam, ut mihi sis vivens sepulcrum, & ut in sinu tuo tuum tibi scelus objiciam. Sancto huic satisfactum fuit; perfecit martyrium suum, quemadmodum optabat, & mutans craticulam suum in aram tot Jesu Christo obtulit sacrificia, quot pro illo subiit tormenta: *Quot ante moriens pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia.* Verum nonne possemus ipsi ignaviam nobis exprobrare; nonne confitendum est, nobis nihil charitatis adesse, quandoquidem adeo sumus infirmi, pavidique? Necesse non est, ut dæmon suscitet persecutiones, ut in nos carnifices acuat, ut excogitet tormenta, ut nos terreat; satis est, si quam bonorum jacturam intentet, si aliquam nobis contumeliam repræsentet, si metum levis alicujus doloris incutiat. Ad nos seducendos satis est, si nobis ingerat spem aliquam gloriæ, aut voluptatis, & per has artes, quæ ne pueros quidem fallere deberent, fideles fallit, & pertrahit in scelus. *Idem.*

D. Ero.

Ignis, S. Augustinus ait, nonnunquam severissimus est, nonnunquam etiam omnium cruciatuum levissimus; Severissimus quidem propter violentam, subitanque impressionem, quam in corpore efficit, & levissimus propter eandem violentiam, quæ inveniens subjecta parum dispositæ ad diutius perferendum antevertit momentum mortis eorum. O Sancte Martyr, hæc ignis suavitas tibi non proderit. Violentia, & diuturnitas supplicii simul coiburit, ut diutius torquearis, atque crudelius. Qui scisciabatur ex Job, num ignis posset appendi, ejusque pondus ad trutinam revocari, permittet, ut tuus ponderetur, ejusque gradus æstimetur, ut violentiæ ejus modum imponendo, diutius perseveret; ut innocua cura tua aspergatur hoc sale incorruptionis, quo salienda est victima, quam sibi offerri jubet ut oblatio hæc perspicuitate sua illi magis placeat, & ut Laurentius illi dicere possit: *Igne me examinasti, & non inventa est in me iniquitas. Elegia Historica.*

Fides & charitas S. Laurentii minus enituisset, si flammæ vis cohibita, vel suspensa fuisset, S. Maximus inquit. De craticula sua incolumis evasisset, sed inde minorem gloriam retulisset. Omnes admirati fuissent supremam Domini auctoritatem, sed Athletæ victoria minus eluxisset. Novum miraculum ex ordine miraculorum hic perstringit oculos, & spectatores implet stupore. Hiccine homo est patiens, an phantasma? Ubinam est illius anima in corpore assato, & combusto? Carnifices, qui defessi sunt, & quos pudebat illum torquere, num vel minimam in eo deprehendunt impatientiam; Audiuntne, illum aliquod inducarum momentum flagitare in hoc intolerabili supplicio? Miraculum, quod majora miracula superat! Ardor flammarum, qui ex strenuissimo quolibet violentas agitationes extorquet, Sanctum Diaconum nostrum gaudio afficit, ac tranquillitate. Supplicii illius instrumentum in triumphi ornatum cedit, & ferreum, candensque cubile, videtur illi lectulus e floribus congestis stipatus. Quod tyrannus excogitat, ut ab illo Dei abnegationem extorqueat, majorem illi tribuit virtutem, & robur in divini nominis confessione. Tentatur per tormenta, quæ geminantur; sed superior est tormentis ipsis, quæ cedunt, sentit dolorem, quo saucia-tur, sed quasi obduratus, atque impenetrabilis huic dolori per charitatem qua animatur, & gratiam qua fulcitur, ex ipsis inimicis extorquet præclara hæc testimonia, quæ illorum cæcitas negare non potest: Deus Christianorum quam magnus est! Quam magni sunt ipsi Christiani, qui Deum hunc venerantur! *Elegia historica.*

S. Laurentius dum strigiet ignis torpet etc.

Religio nostra in præsentiarum, ut olim ævo duorum horum Sanctorum Martyrum nequaquam lacessita est a tyrannis, atque tortoribus tormentorum sævitia, & a mortis violentia. Non alias persecutiones habemus, quam mundi, qui tentat nos priviissimis placitis, humanis rationibus, illusionibus, illecebris; & paucissimi sunt, qui eidem resistant. Minima venti aura nos concutit. Quam parum requiritur, ut animum abjiciamus! Mundi scandala efficiunt, ut in singulos fere passus cespitemus: carnis defectiones, atque rebelliones nos prosternunt; minimæ tentationes nos perdunt, & omnes speciosas perfectiones sus deque subvertunt, idque per ignaviam, quæ eo turpior, atque nocentior est, quia est voluntaria. Tyrannorum persecutiones olim faciebant martyres; persecutiones mundi modo faciunt Apostatas. Quotusquisque ex nobis est, qui turpiter non vincatur, & cui salutis nostræ inimicus ex corde non auferat & Jesum Christum, & ejus gratiam? Nihil vulgatius lapsibus, Apostasiis, victoriis, quas refert Dæmon de illis, qui nullo in discrimine habentes vires, quas illis suppeditat Deus, ut se ipsos tueantur, ac triumphum referant de communi inimico, vinci volunt. A Deo precibus enixis impetremus vim superandi tentationem earum adversitatum, quæ incidunt nobis; nosmet confirmemus ad aspectum victoriarum, ac triumphorum, quos Martyres referunt, ut eodem confirmati zelo, eodemque spiritu animati, easdem palmas referre valeamus, & possidere coronas, quas illi adepti sunt in præmium ardentis charitatis, qua sanguinem suum pro Domini gloria effuderunt.

Quam glorioſum ſpectaculum hunc ſit, tamdiu & cum Heroica patientia ignis tormentum, perluſſe.

Digitized by Google

PRO S. THOMÆ AQUINATIS PANEGYRICO MONITUM.

Difficile non erit Concionatori ſublimem conceptum aſtruere S. Thomæ Aquinatis; omnes enim norunt, & admirantur inſigne illius ingenium, ſcientiam eminentem, & virtutes omnes, ad ſummum perfectionis apicem profectas. Quis enim ignorat, hunc haberi tanquam Scholæ Angelum, Oraculum Theologiæ, & Eccleſiæ totius doctorem? Adjicere poſſem, hunc pro S. Pauli diſcipulo haberi in Scripturarum cognitione, pro altero Auguſtino, cujus doctrinam ſibi vindicavit, a qua nunquam diſceſſit, & denique pro Interprete Salvatoris ipſius, a quo approbationem æque authenticam, ac miraculoſam accepit.

Ita illis, qui exornandum aggredientur incomparabilis hujus Doctoris elogium, hinc quidem latiſſimus quidam campus patebit, ubi plurima invenient, quæ dicant; inde vero quamcunque afferant eloquentiam, ut omnia in lucem proferant, arduum illis opus erit paria facere inſigni exiſtimationi, quam de illius meritis, & ſanctitate homines imbiberunt. Haud quidem ægre perſuadebunt, S. Thomam eſſe lumen Ordinis ſui, fuiſſe ævi ſui miraculum, ac futurum omnibus ſæculis ſcientiæ, & Sanctitatis prodigium: Sed hoc Summi Pontifices, & Concilia jampridem docuere. Quod igitur illis facere reliquum eſt, rite in ordinem cogere debent colores varios, quibus uſi ſunt tot ſummi viri, ut nobis imaginem ejus proponerent; & unum illud a me expetere poſſunt, ut in medium afferam, quidquid reperi in Auctoribus, & Concionatoribus, qui hoc argumentum locupletius pertractarunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.

I. Hæc duo illi ſunt, quæ Dei Filius requirit, ut quis magnus fiat Sanctus, & repleat unam ex primis ſedibus Regni ſui; legem obſervare, & docere; ad unguem exequi illius præcepta, alioſque ad eadem exequenda impellere; quod idem eſt ac ambulare in via ſaluris, & aliis indigitare viam, quæ ad ſalutem adducit. Hujuſmodi viri non ſolum ingrediuntur in cælum, ſed eo feruntur cum aliis, quibus Cælorum aditum aperuerant, qui, ut loquitur S. Paulus, illorum gloriam, gaudium, & coronam conſtituunt. Hæc utilitas eſt, quam reperio in elogio, quod hodierna die habiturus ſum; quia nemo audit S. Thomæ Aquinatis nomen, qui ſibi re adhuc integra non proponat prodigium ſcientiæ, & virtutis, hominem qui perfecte obiit utramque conditionem, quas Dei Filius in hac vita requirit, ut quis magnus fiat Sanctus in cælo, videlicet, facere ſimul, & docere. Profecto admodum eſt difficile aſſerere in utra effet præſtantior, in ſcientia ne, an in ſanctitate, & utrum mentis lumina charitatis ardorem ſuperaverint. Illud vero apud omnes conſtat, nunquam perfectiorem inventum fuiſſe conſenſum duplicis hujus egregiæ qualitatis, quæ in incomparabili Doctore reſulgent. Quapropter nequaquam ſollicitus ſum, ut proprium illius characterem inquiram, qui Sanctum hunc a ceteris ſecernat: quoniam ejus ſcientia, ſanctitas, ſcripta, & actiones, ſublimes mentis eruditiones, & zelus ardens cordis illius jam omnium exiſtimationem illi comparârunt. Illud vero mihi negotium faceſſit, exhibere vobis ſatis aptis coloribus nitorem, qui ex duorum harum eximiarum perfectionum conſenſu procedit; nam licet proprie loquendo ſanctitas ſola eſſe debeat argumentum elogii Sancti alicujus, tamen ex felici hac affinitate, quam habet cum ſcientia, exiſtit neſcio quid ita admirabile, ut invenire nequiverim aliquid majus aptius, ſimulque gloriofius ad Sancti hujus panegyricam orationem exornandam, quam oſtendere utriuſque in ejus perſona conſenſum. Quamobrem ad examen revocabimus.

1. Quid Sanctitas contulerit ad illius doctrinam?

2. Quid doctrina ad ejus Sanctitatem contulerit; ut fieret illuſtrior, & utilior Eccleſiæ. Hæc erit elogii ſui partitio, & ſermonis mei argumentum.

II. *Vidi unum Angelum ſtantem in ſole.* Apoc. 9. Nomen Angeli Scholarum titulus eſt, qui ſemper datus fuit Divo Thomæ propter profundam illius eruditionem; ideoque illi applicari poſſunt hæc Apocalypſios verba: *Vidi unum Angelum in ſole ſtantem*, & de illo dici:

1. Ipſum ad Theologiam idem eſſe, quod Angelum ad Solem, cujus motor eſt, & cujus curſum dirigit; namque 1. Sicuti ab hoc aſtro Mundus recipit lumen; ita ab Angelico Doctore, Doctores alii lumen mutuantur. 2. Cum per profundam humilitatem ſuam, & Angelicam puritatem meritus eſt, ut Deus illi hanc ſcientiæ ſublimitatem tribueret: ita virtutes eaſdem excolentes Doctores adepti ſunt ſcientiam Sanctorum, ut ſemet & alios etiam ſanctificarent.

2. Cum hujus ſyderis lumen ſit pro locis omnibus univerſale, Doctor Angelicus illud ſuperat, quia lumen ſuum affert 1. Non ſolum locis omnibus; ubi enim gentium S. Thomæ Doctrina non eſt Univerſitatum, Theologicarum ſcholarum, privatorumque Doctorum canon, & regula? 2. Lumen affert omnibus gentibus, idque omnibus temporibus, præſenti, ac futuro. 3. Doctoris hujus lumina omnes veritates aperiunt, quaſdam ad Hæreſes profligandas; alias ad refellendos Ethnicæ ſuperſtitionis errores, alias ad vitium quidem auferendum, ad virtutes revocandas, & confirmandam Eccleſiam.

3. S. Thomas poſſedit virtutes æque ac lumen Angeli, qui ad magni hujus ſyderis curſum regendum deſtinatus eſt. 1. Semper ſuis hominis Religioſi muneribus obeundis, ſaluti ſuæ, & aliorum vacavit. 2. Habuit charitatem Seraphim maxime ardentium; 3. Habuit ſcientiam Cherubim, quoniam Salvator ipſe, & Summi Pontifices doctrinam ejus probarunt. 4. Habuit vim Poteſtatum, & Virtutum per donum prodigiorum, quod illi conceſſum fuit. Verbo Angelus mortalis vitæ ſuæ tempore habitans in lumine inacceſſo, & in ardoribus ineffabilibus Solis juſtitiæ: *Vidi unum Angelum ſtantem in ſole. P. Novet in Meditationibus.*

III. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus.* Sapient. 7. Arbitrarer nequaquam perfeciſſe Elogium S. Thomæ ſi de illo dicerem tantum, ipſum ſcientia ſuperaſſe viros doctiſſimos ſæculi ſui; nihil eſſe tam difficile in Philoſophia, atque in Theologia, quod ille non intellexerit: nihil adeo profundum, quod non penetraverit, nihil obſcurum adeo, quod in lucem ſuam non produxerit. Non ita. Hoc nimis parum eſſet ad perfecte replendum Sancti hujus Panegyricum. Sed fatendum eſt.

1. Ejus verba totidem eſſe ſententias, & deciſiones ejus tot oracula. Illum Eccleſiæ miniſtraſſe arma cum ad vim infrendam, tum ad propulſanda idonea: illum in perſona ſua inſtauraſſe gravitatem ſyli S. Ambroſii, eruditionem S. Hieronymi, ſubtilitatem S. Auguſtini, facilitatem S. Gregorii. Hoc eſt multum aſſerere; tamen hic immorari non ſufficit, ut de hoc homine digne loquamur. Addendum eſt igitur.

2. Illum ita vixiſſe, ut docuit; *ut docuit vivere, ſic ſtuduit.* Pluris fecit practicam ſapientiam, quam theoricam. Potiſſimum invocavit ſpiritum Sapientiæ, quæ homines Sanctos facit, non ſolum doctos, & ſi altera ſine altera fuiſſet illi eligenda, certe prætuliſſet illam, quæ nos efficit magnos coram Deo, & Divinæ majeſtati chariores. Sed utramque perfectiſſime aſſecutus eſt; & de magno Sancto hoc, pro data ratione idem poteſt affirmari: *Cæpit facere, & docere. P. Duneau.*

IV. *Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus Sapientiam, & ſcientiam, & lætitiam.* Eccleſ. 2. Hæ tres ſunt qualitates, quas placuit Deo D. Thomæ conferre. Ita videbitis illum in diverſis vitæ ipſius circumſtantiis ſemper doctum, ſemper ſapientem, ſemper gaudio exultantem: quia

1. Ingreditur ne inter Clauſtra? fit eorum gloria propter ſapientiam, eximiaſque virtutes, quas ibi exercet, *Sapientiam.*

2. Venit in ſcholas? Earum eſt Angelus per ſcientiam, & lumina quæ ibi effundit, *& ſcientiam.*

3. Appa-

3. Apparet in Ecclesia? Illius felicitatem, gaudiumque constituit propter magna sua erga illam merita, *& lætitiam. Elogia historica.*

Positus sum doctor gentium in fide, & veritate, 1. ad Timoth. 2. Ostendi potest Ecclesiam jure in album Doctorum suorum retulisse D. Thomam, quia Doctoris munere præstantissime, ac præ aliis perfunctus est.

1. Quia illustratus fuit purissimis fidei luminibus, quæ rebus in omnibus secutus est, & a quibus ne transversum quidem unguem recessit.

2. Quia mirum in modum erudiit Ecclesiam de maximis veritatibus, quas ille ita solide illustravit, ut illas ad captum Mundi totius accommodaverit.

3. Quia magister est aliorum Doctorum, qui eatenus celebres sunt, quatenus lumen ejus sequuntur,

VI. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Psal. 138. Scientia Doctoris hujus vere mirabilis est:

1. Quia scientia hæc sublimis, & excellens, simul infusa, & acquisita cum profunda humilitate conjuncta est; quod rarissimum est, & dignum admiratione; namque secundum Apostolum, scientia inflat, & plerumque superbiam, ac præsumptionem producit.

2. Prorsus admirabilis est hæc eadem scientia; quia quin extinxerit, & imminuerit spiritum pietatis, & devotionis; e contra illum auxit, & cum illo affinitatem contraxit prorsus admirabilem in hujus Sancti Doctoris persona.

3. Scientia hæc non minus admiratione digna est, quod nunquam ab Ecclesiæ sententia recedit, quod aliis Doctoribus accidit, & quod passim contingit hominibus eminenti quidem scientia præditis, qui vulgo suis mordicus hærent opinionibus, & hoc pacto credunt inter reliquos Doctores assurgere.

VII. S. Thomas passim Doctor Evangelicus nuncupatur, & ostendi potest non defuisse illi qualitates Angelorum.

1. Quorum quidam excellunt luminibus suis, atque Intelligentiæ appellantur; qui proprius est character insignis Doctoris hujus adeo illuminati, & luminibus peculiaribus illustrati.

2. Alii præstant charitatis ardore, ut Seraphim; neque licet ambigere, quo minus S. Thomas ardenti amore flagraverit erga Deum, & hac in re sublimibus illis spiritibus similis extiterit.

3. Alii ab Apostolo distinguuntur ex eorum potestate, veluti Throni, & Dominationes; & dubitandum non est quominus D. Thomas hanc habuerit auctoritatem in Conciliis; & in omnibus contra Hæreticos decisionibus.

VIII. Ostendi potest, S. Thomam effeciſſe, ut veritas triumpharet: triplex enim tantum est ratio efficiendi, ut hæc veritas cognoscatur, & ut victoriam referat de errore, atque mendacio; & in hoc D. Thomas eminenter excelluit.

1. Nemo unquam illustratus fuit vividioribus fidei luminibus, quam Sanctus hic Doctor, & nemo magis iisdem paruit.

2. Nemo unquam melius usus fuit luminibus rationis, ut probaret veritates, quas asseruit.

3. Nemo unquam magis obsecutus est Patrum, atque Traditionis auctoritati. Ita fides, ratio, & auctoritas sunt triplex ratio illa, qua Sanctus hic, & admirabilis Doctor usus est, & ad redarguendos infideles, hæreticos, & eos qui mordicus erroribus erroneisque opinionibus suis inhærebant.

IX. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Psalm. 138. S. Thomas Aquinas effecit, ut omnes admirarentur scientiam, quam acceperat a Deo tribus potissimum modis.

1. Illa usus est propter se, hanc scientiam adhibens, ut eminentiorem sanctitatis perfectionem acquireret.

2. Ut Religionem augeret, impugnans infidelitatem, atque Ethnicam superstitionem, conatus omnes revocaret ad centrum unitatis, ad Deum Creatorem, & Entium omnium principium.

3. Ut tueretur Ecclesiam in necessitatibus ejus, evertens hæreses, & ostendens vanitatem, atque mendacium hæterodoxorum.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas Sermonum structuras exornandas, & Auctores, qui de hoc agunt argumento.

Vincentius Bellovacensis *l.* 26.
Thomas Cantipratensis *l.* 1.
Henricus Gandavensis. *De Scriptor. Ecclesiasticis capit.* 45.
Joannes Antonius Campanus.
Bellarminus, Bzovius, Rainaldus.
Vita S. Thomæ ante opera ejus.
Surius, Ribadeneira, & Baillet fusius retulerunt vitam, & acta S. hujus Doctoris.
P. Suffren tomo 2. anni Christiani plura admirabilia narrat de Sancto hoc, & pulcherrimas addit animadversiones.
P. Croiset in Affectibus narrat præcipuas illius actiones, & suggestui maxime idoneas.
P. Novet in meditatione de vita J. C. in Sanctis suis pro die septima Martii.
P. Haineuve sub finem primæ partis Meditationum vitæ Jesu Christi, Meditationem habet de Festo Sanctorum Doctorum, ubi plurima sunt, quæ ad S. Thomam applicari possunt.
Biroat, Tomo primo de Panegyricis Sanctorum
P. Senault ex Oratorio Tomo primo.
P. Texier Tomo primo Panegyricorum.
Elogia Historica Tomo primo.
P. Duneau Tomo secundo Panegyricorum.

Concionatores recentes qui Sancti hujus elogium scripserunt.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. initio Tomi secundi Panegyricorum.

In Specimine Sermonum triplex est Synopsis trium Panegyricorum, vel tria potius compendia, de hoc Sancto Doctore.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci Biblici, qui huic argumento convenire possunt.

Mirabilis facta est scientia tua ex me. Psalm. 138.
Accedite ad Deum, & illuminamini. Prov. 33.
Implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia. Exod. 31.
Invenavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ. Sapient. 7.
Dedit illi Scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Sap. 10.
In fraude circumvenientium illum affuit illi. Ibidem.
Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret. Ibidem.
Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei. Sapient. 13.
Penam in lucem scientiam illius. Sapient. 6.
Lingua Sapientis ornat scientiam. Prov. 15.
Antecedebas me ista sapientia, quam sine fictione didici, & sine invidia communico. Sap. 7.
In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implebit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus; stolam gloriæ induit eum. Eccli. 5.
Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conservabit. Eccli. 39.
Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur: aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Ibidem.
Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino. Ibidem.
Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enunciabit Ecclesia. Ibidem.
Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicus stellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.
Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te futurus sit. 3. Regum.
Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum. Matth. 5.
Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ mira eruditione clarificas, & sancta operatione fecundas. Eccles. in Oratione hujus Sancti.

Exempla, & figuræ, Biblicæ ad hoc argumentum spectantes.

NOnne dicere possumus doctissima D. Thomæ scripta similia esse turri Davidicæ, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium Israel, videlicet Ecclesiæ, ut illis armati, victoriam referant de Hæreticis, qui toties armorum eorum effectus experti sunt: *Turris David, unde mille clypei*, vel ut alia versio legit: *Turris armata ad disputandum*. Verum quidem est, Ecclesiæ proprie referendum esse hunc honorem; at S. Thomas nonne unum est ex membris Sponsæ hujus Cælestis? Vim hanc haurit ex auxiliis, quæ illi promeritus est; sed ipse illi reddit usumfructum tot beneficiorum, atque gratiarum illam propugnans. Undenam rot Præsules decisiones suas mutuati sunt, quæ regula esset vitæ & ipsorum privatim, & generatim suarum Diœcesum? Erudita Doctoris hujus opera nonne sunt Turri similia, ex qua educuntur omnium generum arma, contra omnia genera errorum? *Mille clypei pendent ex ea.* Si concionatores redarguere conantur solidis argumentis pertinaciſſimos, si justos ad virtutem excitare studeat; Si Theologiæ Magistri energetice loquuntur, & scitos erudiant Discipulos; si controversiarum Scriptores Hæreticorum sophismata exsufflant, nonne ex Doctissimis Patris hujus scriptis arma depromunt, tanquam ex turri David?

Scripta S. Thomæ Davidicæ turri comparata, de qua loquitur Scriptura. Cantic. 2.

Sicuti non omnes hæreses omnibus nascuntur temporibus.

S. Thomas comparabi-

Digitized by Google

Hic eſt cum Athanaſio, Cyrillo, aliſque Hæreticæ pravitatis everſoribus.

bus, Providentia patitur Eccleſiæ ſuæ Patronos, eiſque largitur talenta, quibus potiſſimum contra ævi ſui Hæreticos utantur. Deus magnum illis inſpirat amorem, ac lumina profunda ad partes veritatis ſuſtinendas, ubi impugnetur. S. Athanaſius nonne divinitus locutus eſt de Verbi conſubſtantialitate? nonne Arianorum furorem compeſcuit, eamdem labefactare conantium? S. Cyrillus nonne bellum intulit Neſtorianis perſonas in Jeſu Chriſto multiplicantibus, Incarnationis myſterium ad nihilum redigentibus, Beatæ Virginis glorioſiſſimum Deiparæ titulum negantibus, & omnia Eccleſiæ fundamenta evertere pro virili parte curantibus? S. Leo nonne Eutychianos devicit negantes duplicis naturæ diſtinctionem in Jeſu Chriſto? Triumphavit S. Auguſtinus de Pelagianis originale peccatum negantibus. S. Gregorius peccatores in Moralibus ſuis laceſſit, eoſque eo compellit, ubi deſit illis quid reſpondeant. Ecce novus Athleta, qui in omnes Eccleſiæ inimicos invehitur: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Zelus & ſcientia illius ſunt univerſales; impugnat Atheos, eiſque invictis argumentis Dei veritatem probat: Aggreditur Idololatras, eiſque demonſtrat deorum pluralitatem ex ſemet corruere. Sanctus hic Doctor uſus armis Athanaſiorum, Cyrillorum, Auguſtinorum, iterum eoſdem impugnat inimicos iiſdem argumentis, quibus dare adnititur lucem captui eorum, cum quibus res eſt, accommodatam.

S. Thomæ ſcientia comparata ſcientiæ Angelorum.

Divi Thomæ ſcientia non immerito cum Angelorum ſcientia compiratur. Si enim Cæleſtes illi Spiritus Deum cognoſcunt, quantum illum cognoſcere poſſunt ſecundum naturam ſuam; dici etiam ſine errore poteſt, Deum a Sancto hoc Doctore fuiſſe cognitum quantum cognoſci poteſt ab homine mortali, non ſolum lumine naturali, verum etiam per concluſiones e revelatis principiis erutas, in quo propria conſiſtit Theologia, Angeli comprehenſivam habent cognitionem earum rerum, quas norunt, Deo excepto, qui omnibus incomprehenſibilis eſt, præterquam ſibimet ipſi; unde fit, quod eorum ſcientia certiſſima eſt, & apertiſſima. S. Thomas comprehendebat quæ noverat, quantum comprehendere poteſt homo incluſus in corpore omnibus humanis infirmitatibus obnoxio. Scientia quoque illius omnem habebat perſpicuitatem, & certitudinem, quam pati poterant argumenta, de quibus agebat. Angeli cognoſcunt effecta in cauſis ſuis, & vulgata D. Thomæ methodus eſt probare concluſiones ex principiis, in quo ita excellit, ut ſæpiſſimæ probationes illius a primis principiis deſumantur. Angeli omnia penetrant tanta celeritate, ut illico ſine ſucceſſione momentorum, quibus tempus conſtat, concipiant, quidquid ſpiritui eorum occurrit. Sanctus vero Thomas tantam habebat mentis promptitudinem, ut ſtatim in arena in ſpinoſiſſimis difficultatibus aperiret nodum difficultatis, & cum ſumma perſpicuitate, & admirabili facilitate ſolutionem afferret. Angeli nunquam incidunt in errorem, quia cum certitudine ea tantum judicant, quæ certa ſunt; cum vero ſunt incerta, non judicant, talia eſſe, ſed ſolum illa plus minuſve veriſimilia videri. Exempli gratia, quia cognoſcere nequeunt cum certitudine cordis ſecreta, non judicant, alium Angelum, vel hominem illem habere ſententiam aut voluntatem, ſed tantum veriſimile eſſe per conjecturas, quod vel illam habeant, vel non habeant, Sanctus Noſter nunquam in errorem lapſus eſt, quia de fide nihil ſcripſit, vel docuit, quod orthodoxum non fuerit; & in aliis argumentis controverſiarum, quæ de fide non ſunt, ſi tenuit aliquam minus veram opinionem, quod perquam raro uſuvenit, nequaquam illam tanquam certam aſſeruit, ſed tantum tanquam probabilem; qua in re deceptus non fuit: plura enim ſunt falſa, & quæ nihilominus ſunt probabiliora illis, quæ vera ſunt; & cum dicitur opinio aliqua probabilis eſſe; dici poteſt, licet ſit fallax, cum talis invenitur. Denique ſicut Angeli infinite ſuperant homines ſpiritu, & captu: S. Thomas longiſſimo intervallo ſuperavit alios vulgo Doctores, & propter has omnes cauſas meritus eſt titulum Doctoris Angelici.

6. Thomas Salomoni comparatus.

Aſſerere etiam citra errorem poſſumus admirabilem Doctorem noſtrum S. Thomam cum Salomone comparari poſſe; & dicere auderem, Salomonem ab hoc aliquo in ſenſu ſuperatum fuiſſe. Cum enim decreviſſet Deus ornare Salomonem ſuper cœtus ſuos, & illi ſine exceptione concedere ea, quæ popoſciſſet; quid magnus ille Princeps egit? Ne cogitetis illum ſibi petiiſſe omnes voluptates, omnes honores, omnes divitias, quas in terris homines poſſunt poſſidere, & quæ ut plurimum ſunt objecta cupiditatum, quarum homo paſſim ludibrium eſt. Non ita. Rex iſte magnus relictis hiſce nugis popoſcit Sapientiam; qua prudentiſſima petitione obtinuit, & meritus eſt ut ſibi ſimul cætera alia bona concederentur. Quid noſter admirabilis Thomas? Dixi ipſum exæquaſſe, vel etiam ſuperaſſe ſcientiam Salomonis. Et ſane poſtquam Sanctus noſter tot edidit opera, quæ ad inſtar mirentium ſtellarum univerſam illuſtrant Eccleſiam, & ſunt inexhauſti fontes ſcientiæ; poſtquam ille etiam, qui locutus eſt per os Prophetarum, qui populum univerſum erudiit calamo Evangeliſtarum, qui excitavit ſpiritum, & linguam Apoſtolorum, poſtquam, inquam, hic idem Salvator Sancti hujus noſtri ſcripta probavit, dicens ei: *bene ſcripſiſti de me Thoma*, quo teſtimonio, atque approbatione nemo vel ante, vel poſt hunc Doctorem dignatus fuit a Deo; eodem Dei Filio largiri volente magno huic Viro quidquid iſte cupere poſſet in laboris præmium: Doctor hic admirabilis hac in re Salomone prudentior, nequaquam ſibi Sapientiam conferre optavit; nimis enim cupidus erat, ut tam parum expeteret; ſciebat enim Sapientiam, ſi ad litteram conſideretur, non eſſe niſi attributum Dei: quid ergo petiit? Voluit habere ipſum Deum pro mercede; quippe illi perſuaſum erat, ſi ipſe Deum poſſediſſet, futurum eſſe (audeo dicere) poſſeſſorem omnium divinorum attributorum illius.

Cur D. Thomas exhibeatur ſolem gerens in pectore.

Non ſine cauſa exhibetur D. Thomas cum Sole ſuper cor ſuum gerens; ut videlicet per hoc ſymbolum oſtenderetur, ipſum in uno eodemque ſubjecto ad hujus ſyderis inſtar lumen ſimul, & ignem collegiſſe; & ipſius Charitatem ſcientia illuſtratam effudiſſe ubicunque lumen ſuum, & calorem. Hac ratione populis annuntiavit Verbum Dei, & admirabilibus concionibus ſuis uberrimum retulit fructum. S. hic Doctor univerſam illuſtravit Eccleſiam Cæleſti doctrina ſua, & pergit adhuc illam ſcriptis ſuis illuminare. Inde haurit rationes ſuas ad fidem noſtram probandam, & confirmandam. Inde Concionatores lumen mutuantur, ut de ſuggeſtu Evangelicas explicent veritates; inde Theologi percipiunt, quod doceant in ſcholis, & dicere poſſumus, quemadmodum Sol radiis ſuis omnes terrarum plagas illuminat, quæ hac indigent luce, ita nullas eſſe actiones, nulla merita, nullam in Evangelico miniſterio ſanctitatem, cujus Magnus hic Doctor non aliquam ſibi vindicet partem.

Fides S. Thomæ Doctoris oppoſitum infidelitati perfunctoriæ S. Thomæ Apoſtoli.

Voluiſſe videtur Deus reparare Apoſtoli S. Thomæ infidelitatem fide noſtri S. Doctoris, qui eodem nomine inſignitus eſt. Neque aliud afferre volo argumentum, quam humilem, & obſequentiſſimam ſubmiſſionem illius erga Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quod maximum eſt fidei noſtræ myſterium, & præcipuum objectum Scientiæ ipſius. Hic neceſſe non habet, ut Apoſtolus ille, palpare & videre Jeſu Chriſti vulnera, ut credat illa: Abrenuntiat hac in re omnibus ſenſum experimentis, & mentis ſuæ luminibus, & dicit inceſſanter, quod Apoſtolus ille ſemel tantummodo dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Heu! Domine, tu es Agnus Dei, qui in altaribus noſtris quotidie ſacrificas, vel quem tu te ſacrificas; mihi ſatis eſt, te hoc dixiſſe, ut credam. Quodnam intercedit diſcrimen inter alterius quidem infidelitatem, alterius autem obſequium! Doctus eſt tanquam Angelus; in ſcientia vero ſua ſemper æque humilis, & ſimplex eſt, ac Fidelium omnium indoctiſſimus. Difficile non eſt ſpiritui ſimplici, & indocto, cujus lumina inter arctos ſane cancellos continentur, elicere actus fidei, & obſequenter, atque ſimpliciter credere eas veritates, quas edocetur. Cum non ſatis luminis habeat, ut dubitandi cauſas inveniat, non eſt illi magna ſuperanda difficultas. Sed quænam inde cedit utilitas Eccleſiæ, quænam laus Deo, quod exemplum incredulis videre unum ex maximis Mundi ingeniis ſe ſubmittere obſcuritati fidei, & abrenuntiare haud hæſitanter omnibus luminibus mentis, & ſcientiæ ſuæ, ut credat res adeo ſupra rationem poſitas? Certe in hoc dici poteſt id, quod Tertullianus dicentes inducit ſimplices primorum temporum fideles: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum; nec inquiſitione poſt Evangelium.* Hæc quoque erat admirabilis Doctoris noſtri ſententia, ad credendum ſatis illi eſt, aliquid a Salvatore dictum fuiſſe.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum ad hoc argumentum.

Gloria quam ſibi adeptus eſt S. Thomas ſcriptis ſuis in Cœlo & in terra.

Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12. Hinc conjici poteſt quibuſnam gloriæ radiis redimitus in Cœlo D. Thomas refulgeat; quandoquidem tanta luce coruſcant ſcripta illius ſuper terram, ut ſint fons inexhauſtus, unde tot alii Doctores adhuc puriora hauriunt ſua lumina. Non moror vos hoc loco recenſens divina opera, quæ elucubratus eſt, inaudita elogia, quibus ornatus eſt ab Academiis & Univerſitatibus, honores ampliſſimos, quibus cumulatus eſt in Conciliis, in quibus Patres nonnunquam uſi ſunt propriis ejuſdem verbis ad componenda Edicta, & Canones, & glorioſum agnomen Doctoris Angelici, quod Eccleſia univerſa aſſentiente recepit; admirabilem dumtaxat admiror ordinem, quo omnes diſpoſuit materias, quas pertractavit. Qui in ſcientiis verſati ſunt, tenent quantum debeat Schola Doctori huic incomparabili, eo quod prope infinitam hanc quæſtionum multitudinem, veritatum concluſionem eduxerit ex chaos, in cujus caligine quodammodo erant ſepultæ. Hic viam ſtravit eruditis, atque Theologis, qui poſt illum floruerunt, & in ſcholis illius veſtigia ſequuntur. Profunda eruditio plerumque arida eſt, atque obſcura; ſed D. Thomæ character eſt, pari perſpicuitate, atque unctione ſublimia Religionis argumenta pertractaviſſe. Ordo, quem in ſcriptis ſuis ſervavit; omnem

Digitized by Google

prorsus obscuritatem eliminat; videtur lux, qua magni hujus Viri mens illustrata fuit in ejusdem loquendi modum commigrasse. Scripta illius adamantibus similia sunt, eo magis nitentibus, quo sunt solidiora; & satis est illa gradatim sequi, ut bene intelligantur. Ceterum lectura operum illius tantum movet atque ædificat, quantum instruit & illuminat, & ubique effusum manna absconditum invenitur; & nescio quædam secreta virtus, quam Dei Spiritus illis communicat, qui ab eodem afflati scribunt, & quos ille suis luminibus replet.

S. Thomas comparatus Soli, eo quod in omnibus se entibus effuderit lucem, & charitatem.

Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus ejus. Eccli. 42. Divitias, & magnitudinem ingenii admirabilis nostri Doctoris D. Thomæ sancta potissimum scientia constituit, sive illa, quæ nobis purissimam fidei revelationem in divinis aperit scripturis; sive illa, quam Theologia methodice inquirit in Traditione, in Patribus, in Ecclesiastica historia. In immani hac cognitionum abysso omnia lustravit. In Scripturis ullus ne difficilis locus invenitur, quem non enucleaverit? In Theologia ulla ne alicujus momenti quæstio est, quam primus non detexerit, vel recentibus luminibus non explanaverit, vel quam in aciem quodammodo non dispoſuerit, ut veritas victoriam obtineat? Nam licet sciret, in Theologia certitudinem magis quam cognitionis perspicuitatem requiri; nihilominus felici eventu utramque conjunxit. De mysteriis loquitur, quasi videret illa; videtur esse comprehensor, licet sit adhuc in terris viator. Ego vero non miror intellectus ejusdem celeritatem, atque extensionem, ubi video fontes, unde hausit sua lumina, quos tres esse comperio; quotidianam illius cum Sanctis consuetudinem; intimam cum Deo familiaritatem; & ardentissimam ejus erga Sanctam Eucharistiam affectionem.

Thesauri scientiæ, & salutis, quos Ecclesia invenit in scriptis S. Thomæ.

Divitiæ salutis, sapientia & scientia. Isai. 33. Sapientia & scientia, qua magnus hic Sanctus repletus erat, fuere divitiæ salutis Ecclesiæ universæ, thesaurus, ubi invenit unde filios suos locupletaret; fundus, unde haurire posset ea, cum quibus occurret necessitatibus obviis. Vetuit olim Patribus nostris Deus, ne aliquid ex arbore scientiæ boni, vel mali attingerent: hoc quidem optimum factu erat in ipsis mundi primodiis, ubi innocentia nullius indigebat rei, præterquam obedientiæ, & submissionis, ut conservaretur; modo vero cum mundus consenuerit, & malum ipsum satis propria doctus experientia didicerit, nequit satis cognoscere bonum, & ea, quæ ipsum ad supremum bonum suum possunt adducere. Sed ubinam reperiri potest hic fructus scientiæ, & ex quo libro colligi? Assero illum inveniri posse in Divo Thoma, quia nullus est auctor, ex quo plura, atque utiliora percipere valeamus. Quæsitum ab illo quandoque fuit quomodo aliquis doctus evadere posset, & respondit hoc fieri posse si unius tantum libri lectioni quis inhæret. Pauci, equidem scio, consilium hoc amplecterentur, & pauci sunt libri, qui eos de omnibus possunt erudire; sed dicere auderem ejus responsum verissimum esse; si de illo intelligatur; namque illius opera possunt eos eruditissimos efficere, a quibus melius possidentur, unde magnus quidam vir asserere non dubitavit, Sacram Scripturam, & S. Thomam sufficere posse ad omnes homines de officiis eorum erudiendos, & docere quidquid illos efficere potest simul & doctissimos, & sanctissimos.

Dici potest aliquis in ſu comprehendi vix posse sublimes Divi Thomæ cogitationes.

Lucem habitat inaccessibilem. 1. ad Timoth. 6. Quomodonam effici potest justa Solis pictura, dum perstringit oculos eorum, qui aciem in ipsum figere conantur; cum nullus color ad illius lumen accedat, quin ille refulgens imaginis suæ omnem deleat nitorem? Qui usi sunt cognitionibus, ac mollissimis verbis, ut Solis exhiberent imaginem, illum naturæ oculum esse dixerunt, quia illuminat omnia; alii Patrem bonorum omnium vocarunt; quia terra fertilis non est nisi per solis influxus. Sed qui optime rem acu tetigerunt, vocarunt illum imaginem Dei, quia lucem habitat inaccessibilem illis, qui oculorum acie maxime pollent. Sanctus quoque Thomas lucem habitat inaccessibilem. Omnes mortalium oculi in illum conversi sunt, ut illius exhibeant imaginem, sed nemo hanc eidem similem producere valuit. Ejus lumina perstringunt; sunt instar tenebrarum mysticarum: obscura sunt propter profunditatem, quam nemo metiri potest: fulgentia sunt, quippe singuli ab illo mutuantur, & omnes illum magnificis elogiis extollunt. Docti illum consulunt tanquam magistrum; conscientiarum directores illum tanquam ducem sequuntur; Pontifices decisiones suas, atque decreta ad principia ejusdem componunt. Omnes illius imaginem pro virili parte informant; sed aliquid est, quod ad prototypi pulchritudinem accedat? Nonne opus esset, ut D. Thomas ipse suum concinnasset elogium, ut scientiæ ipsius magnitudo, sanctitatis præstantia, lumina, quæ in illius ingenio nituerunt, & ardores, quibus cor ejus incaluit, nobis in toto eorum decore affulgerent. Sed ipsa etiam impotentia, in qua sumus, dicendi quantum satis est ad æquiparandam argumenti pulchritudinem, nonne ipsa est magnum elogium? Sanctus hic ab universo mundo laudatus, nondum pro meritis laudatus est; omnes argumenti magnitudine vincuntur, quia magnus hic Vir *Lucem habitat inaccessibilem.*

Sine cognitione Dei, quæ nobis summum supremæ veritatis motivum, Scientia vana est & inutilis.

Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei. Sap. 13. Nobis persuasum esse debet, scientia utendum non esse nisi ad Deum inquirendum, amandum, eique ardentius inserviendum: quoniam alio quin homines in scientiis acquirendis irrito labore diliment. In hoc tota sanctitas sita est, Verum est, in mundo erudito viros inveniri; plurimos curiosos, ingenia sublimia, sapientes sæculi, ac mentes præstantissimas. Sunt etiam, quibus inexplebile est dicendi, sciendique desiderium, & quibus cæli, elementa, plantæ, animantia, objecta sunt scientiæ suæ, causa vigiliarum, & argumentum speculationum; sed quotusquisque Dei cognitioni operam navat? *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei.* Cætera, ipse Sanctus Thomas ait, cætera non aliud sunt, quam rivulus, cujus aquis defectilibus frustra conantur mortales sitim, & ingenitum discendi desiderium extinguere. In uno tantum Deo inveniemus, unde hunc ardorem extinguere valeamus: reliquæ scientiæ inutiles sunt, nisi hoc præcipuum earum objectum extiterit.

Doctrina S. Thomæ universalis est, & omnibus inservire potest.

Nec est, qui se absondat a calore ejus. Psal. 18. Quæ nam D. Thomæ laus est, de illo dici posse: Omnes homines scientia præstantissimos, omnes locos, omnique tempora experiri lumen, & calorem syderis hujus: *Nec est, qui se absondat a calore ejus?* Solum Sancti hujus Doctoris nomen instar elogii est, adeo in omnibus virtutis ejus fama valet. Quis non admirabitur sublimitatem, atque spiritus ipsius perspicaciam? Ullum ne in natura secretum est, ullum in Religione mysterium, quod illum fefellerit? Nonne habetur ille tanquam Angelus scholæ, Theologiæ Oraculum, Doctor universalis; tanquam pater, qui nutrit, & fovet filios suos, & in eorum corde eundem ignem accendit, quo ipse flagrabat? Nonne Sanctus hic Doctor respicitur tanquam fidelis S. Pauli discipulus in Scripturarum, ac sublimium mysteriorum Religionis intelligentia. Tamquam S. Augustini collega in cognitione diversorum gratiæ motuum in hominum corda, & tanquam Doctorem, qui divinitus scripsit de Redemptionis mysterio, de sacramentorum dignitate, ac potissimum de Augustissimo omnium mysteriorum; quandoquidem Filius Dei ipse fuit doctrinæ illius approbator. Audiamus ergo admirabilem hunc doctorem, ut participes fiamus scientiæ, & luminum ipsius, & ut iisdem illustremur, pro virili parte virtutes illius imitari studeamus.

Unio pietatis & Scientiæ in Sancto Thoma.

Erat lucerna ardens, & lucens. Joann. 5. Gaudet Deus in Sanctis suis efficere potentiæ suæ miracula, communicans illis donum prodigiorum, & operatur etiam in illis nonnunquam sapientiæ miracula; quia ordinis est divinæ providentiæ sua dona partiri: verum gestit etiam aliquando illa in uno, eodemque subjecto conjungere. Hunc extollit & per cumulatissimam scientiam, per sanctitatem, atque sapientiam præstantem, & per donum miraculorum. Ullus ne fuit unquam Sanctus in Dei Ecclesia, qui magis particeps fuerit, & scientiæ divinæ, & sanctitatis Domini, divinarum flammarum illius, & infinitæ potentiæ, quam admirabilis noster Aquinas? In quonam majori cum splendore, veneratione, & fructu effulgere videtur eminentium horum donorum conjunctio, quæ magnos homines, magnosque Sanctos efficiunt? Scientia sua nonne præstitit illi magnam lucem? Laus mediocris est, S. Bernardus ait, *lucere parum.* Sanctitas ejus nonne ciet etiam ardorem? Laus hæc magni momenti est, idem S. Bernardus inquit, *ardere multum.* Sed ille scientiam cum calore conjungit; qui cumulus est omnium laudum, quæ homini tribui possint; hic enim gradus est perfectionis, quæ decet Apostolum, Præcursorem Christi Jesu, illum, qui Prophetis omnibus major est, *lucere, & ardere perfectum est.* Hæc convenit Aquinati: Sanctus est, quia doctus est; doctus est, quia Sanctus. Lumina ejus alueruntipsius fidem, amorem, humilitatem, exteraſque virtutes; sed etiam viva illius fides, amor, humilitas infinite lumen ejusdem auxerunt; non in mercedis modum, sed quia virtutes emundant cor, & mentem, ac reddunt eam sereno cælo similem, ad lumina, cælesteſque ardores concipiendos accommodatam: *Ille erat lucerna ardens, & lucens.*

S. Thomas aliam quam sibi cognitionem sacrificat, ut unum J. C. cognoscat.

Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Ad Philipp. 3. Tanquam lutum existimavi omnes scientias, quas eram adeptus, ut Jesu Christi scientiam acquirerem. Ecce Doctorem, qui fidelis extitit Sancti Pauli discipulus! Omnes lectiones suas in exempla, & actiones convertit: nihil legit, ad quod exercendum se nequaquam teneri arbitretur, & credit se alioquin minime consecuturum cognitionem, & amorem veritatis, quemadmodum docuit S. Augustinus: *Non intratur in veritatem, nisi per charitatem.* Aliam quamvis cognitionem sacrificat, ut Jesum Christum cognoscat; & scientias, quæ ad centrum hoc non collimant, lutum existimat: *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Itaque ad Crucifixi pedes scientiam hanc ediscebat: Si studiis dat operam, ideo dat, ut proficiat in cognitione hac, quæ recta ad mundi Salvatorem adducit. Ejus vestigia sequiminor, qui tantum temporis insumitis in ingenio vestro excolendo, & qui fortasse cor vestrum negligitis. Ne habeatis in pretio

scien-

Digitized by Google

scientias, nisi quæ vos ad Salvatorem adduxerunt. Cavete ne nitendi desiderium vos fallat; in ascetics lectionibus vestris nolite sectari vanitatem, ac veritatem, quæ nitet ut ea venditeris, & inde gloriam aucupemini; quam veritatem, quæ vos redarguit, & quæ de vitiis vestris vos admonet. Heu! in studiis vestris vos manum mitteris in thesaurum, quem ignoratis, & de quo minime solliciti estis, quandoquidem non inquiritis illum; & non inquiritis, quia nullo ejus desiderio flagratis. Omnes lectiones vestræ de Jesu Christo loquuntur; attingitis pretiosam hanc Evangelicam margaritam, quæ omnes mundi thesauros longe superat, & ita infelices estis, ut illi præferendam censeatis parvulam eruditionis alicujus gloriolam, verbi alicujus, quod maximi momenti ducitis, inventum, & aliquam criticen animadversionem. Denique omnia his lectionibus vos addicunt, præter Jesum Christum. Discite ergo a Divo Thoma tamquam lutum facere omnes cogitationes, quæ ad Jesum Christum vos minime adducunt: *Omnia arbitratus sum, ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Angelici puritas hujus S. Doctoris.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. Sancti Thomæ puritas nobis persuadet, D. Thomam hoc oraculum affecutum fuisse, illum sæpe fuisse meditatum, & cor ejus eodem penetratum fuisse, & ipsum fuisse ex numero illorum, de quibus dicit Evangelium, ad regnum cælorum promerendum debere nos mundos esse corde. Deus hac in re favebat illi, quodam quasi beatificæ visionis præludio. Nonne opus erat, ut hæc virtus Angelica consecrarit, atque ut ita dicam, divinitate induerit corpus & animam Sancti Doctoris ad generose propulsandam tentationem, quæ fortissimum quemque devicerit? Dici potest Sanctus hic ante factum adeo gloriosum in hac virtute confirmatum fuisse, & radices jecisse in divina hac virtute. Constat illum nihil unquam permisisse oculis suis; omnibus, singulisque verbis suis invigilasse, & spiritum sepem circumdedisse auribus suis, cogitationes, & imaginationem suam moderatum fuisse; omnia præcavisse, & trinam hanc virtutem in humilitatis sinu collocasse ad illam servandam; illam assiduis precibus, ac frequentibus almisse lectionibus, sibi diligentissime prospexisse adversus gaudia, ne mollirent, ac præpararent cor tentationi; diffidisse de tristitia quadam, qua tanquam integumento Satanas utitur, ad contorquenda in cor hominis tela igni succensa. Hæc media, quibus Sanctus Thomas usus est, sunt nobis exempla, & officia, si cum hoc Sancto perire nolumus, cum tentamur, vel si cor nostrum mundum servare volumus, tanquam unicum medium videndi Deum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Præcautio ad puritatem servandam.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job 31. Quid præcavendum non est, ut virtutem adeo mollem, pretiosamque tueamur, quam in fictilibus vasis deferimus? Amor, quo illam prosequi debemus, efficere debet, ut prudentius, & attentius nobismet ipsis invigilemus, & non credamus nos esse aliis fortiores, ut resistamus occasionibus, & existimemus præcipuum robur nostrum situm esse in cogitatione, ac diffidentia nostræ infirmitatis. ut nos inter atque periculum, longissimum statuamus intervallum, & nobismet persuademus nihil interesse inter temeritatem, qua aliquis periculo se objicit, & lapsum; quia de se præsidentem esse, & esse victum, unum & idem est. Sanctus Doctor dux est in itinere, quod nobis tenendum est. Insignis victoria, quam retulit, affert nobis fidem, ipsum semper spectatæ corpus suum, tanquam templum Spiritus Sancti, tanquam puram victimam illi offerendam. S. Thomas respiciebat cor suum tanquam aureos cribres, de quibus loquitur S. Joannes, ubi excipiendæ sunt gratiæ Dei, preces, desideria, ac vota omnipotenti Deo per Angelorum manus offerenda. Sancto huic persuasum erat, maximam futuram impietatem forde aliqua, licet perfunctoria, inficere naturam hanc; adeoque pepigerat fœdus cum oculis suis, ne quid minus honestum cogitaret: *Pepigi fœdus &c.*

Ecclesia Doctis evertit ministros, qui illum tueantur.

Sapiens in Prophetis vacabit. Eccli. 39. Nihil melius connotatum est in Sacris Codicibus, quam necessitas scientiæ in ministris Evangelicis; quorum labia illam debent custodire. Populi jure suo ad illos confugere possunt, ut ab illis sibi lex explanetur. Igitur eruditio in illis vituperanda non est; sed immo optandum est, ut Theologi, quibus Deus pietatem largitus est cum aliis talentis ad scientias ediscendas requisitis, sibi D. Thomam in exemplum proponant, nullam negligant partem scientiæ, quæ eorum statum decet, ac se doctiores præbeant, quam Ecclesiæ inimicos ideo studiis operam dantes, ut illam oppugnent: *Sapiens in Prophetis vacabit.* Contendant nostris adversariis auferre gloriam melius callendi antiquitatis idiomata, quæ complures ex hæreticis norunt. Nonne S. Thomas infidelibus hanc palmam præripuit, eos scribendi, loquendique celebritate antecellere? Indiget Ecclesia quolibet sæculo viris, qui Sanctum hunc Doctorem imitentur, & qui, ut ille, cognitioni Jesu Christi altissimam adjicianr eruditionem cum solida pietate. Optandum est ut diversorum statuum viri, hoc sæculo doctrinam suam tueantur eminenti pietate, ut S. Thomas, & quærentes in sacris voluminibus, unde eruditantur, insignem Sanctum hunc studeant imitari: *Sapiens in Prophetis vacabit.*

Scientia D. Thomæ proiedit ab altius acto-re oratio-nis.

Effundam super domum David Spiritum precum. Zachar. 12. Dederat Sancto huic Deus spiritum orationis, quemadmodum olim fuerat pollicitus per Prophetam: in abscondito hoc thesauro omnem scientiam invenit. Vix sufficere poterat, ut Deo gratias ageret de bonis, quibus ab illo cumulabatur; utque suppleret defectui, studium suum convertebat in preces; & hoc pacto sanctum hoc exercitium juge erat in hoc eximio Doctore. Sese recipiens in cordis sui penetrale sub oculis Patris cælestis, offerebat illi vota sua desideria, spem, gratiarum actionem, adorationes, lacrymas, atque suspiria. Illic commiseratus Ecclesiæ mala orabat Deum, ut repleret cor suum hoc spiritu rectitudinis, sapientiæ, disciplinæ, ac scientiæ potissimum ad Ecclesiam tuendam necessariæ: *Benitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Illic Sanctus addebat laudibus, & canticis cælestium spirituum preces suas, & recipiebat a Deo magna ea lumina, quæ illi Doctoris Angelici titulum promeruerunt. Illic considerans S. Joannem Evangelistam omnia didicisse in sinu Salvatoris recumbentem, sese in infinito eo luminis & amoris fonte continebat. Ita vitæ ejusdem Historicus illi hoc perhibet testimonium, Sanctum Doctorem confessum fuisse orationem esse rivum scientiæ suæ, & hoc pacto affectum fuisse scripturarum intelligentiam in quæstionibus difficillimis. Concede nobis, Domine, per merita Sancti Doctoris hujus, ne alibi quæramus thesauros sapientiæ & scientiæ, quam in oratione ad illius imitationem.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, qui huic inservire possunt argumento.

Doctor cum fuerit omnibus virtutibus ornatus, tunc est quasi optimum sal; & totus populus de illo conditur, videndo eum, & audiendo. S. Chrysost. homil. 20. operis imperf.

Sicut Doctores propter bonam conversationem sunt Sal, quo populus conditur; ita propter verbum doctrinæ sunt lux, qua ignorantes illuminantur. Idem ibidem.

Debet divinarum Scripturarum Doctor, defensor fidei, & bellator erroris, & bona docere, mala dedocere. S. August. de Doctr. Christ.

Doctor, & auctor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum & liberaliter, & obedienter audiatur. Idem ibidem.

Doctrina cum omni imperio docetur quando prius agitur quam dicatur, nam doctrina substrahit fiduciam, quando conscientia prædit linguam. Sanctus Gregorius lib. 6. Moral.

Docere, & non facere, non solum lucri nihil, sed & damni plurimum infert. S. Chrysost. lib. de compunctione cordis.

Scientia cælestis non per moras temporum, & longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis evitur. S. Cyprian.

Doctrinæ spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. S. Bernardus super Cant.

Qui congrua disciplina unumquemque arguit, eruditum se, & probabilem Doctorem in conspectu omnium ostendit. Gloss. ordin. in Epist. ad Philip.

Non minus pium est docere animum sitientem, quam præbere escam corpori. S. Bernard. in Cantica.

Ante vita quam Doctrina quærenda est; vita bona sine doctrina gratiam habet; doctrina sine bona vita, integritatem non habet. Gloss. ordin. in Epistol. ad Philippum.

Frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit nisi in nobis divinæ cognitionis flamma augescat. Hugo de vanit. mundi.

Hæc est sapientia, ac scientia recta distinctio, ne ad Sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis; ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. S. Augustinus lib. de Trinit.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu depromi possit in hoc argumento.

Nascimur cum generali, confusaque impressione divinitatis, quæ nobis excolenda est & studio, ac labore perficienda ad exemplum D. Thomæ.

CUm primum rationabilis creaturæ officium sit Creatorem suum agnoscere, voluit Deus cognitionem hanc nobiscum, ut ita dicam, oriri; & munus magis ineluctabile simul esse omnium maxime naturale, & facillimum. Tamen satis nobis esse non debet confusa hæc, & generalis divinitatis impressio, quam nobiscum in hanc prodeuntes lucem afferimus; illam extendere, perficere, & emundare tenemur, prout intellectuum nostrorum facultates plus, minusve perfectæ sunt; & sicuti ille qui propius ad Dei majestatem accedit, opprimitur a gloria; qui illum cognoscere negligit, se præbet indignum illius

possess-

Digitized by Google

possessione. Hinc factum est, quod Deus in universum terrarum orbem effudit quædam lineamenta, vel radios divinitatis suæ, qui licet nobis invitis oculos perstringant; quod omnia creata sunt tanquam liquidæ voces, quæ de illius magnalibus, atque perfectionibus loquuntur, & quod nullum in natura objectum est, quod nobis inservire nequeat pro gradu, per quem ascendere valeamus ad ejus principium. Hinc suscitavit Deus sæculis omnibus ingenia eximia, quæ occultissima naturæ secreta penetrarunt, quæ præstantissimas nobis indicarunt regulas ad intellectus operationes dirigendas: quæ harum scientiarum principia nobis aperuere, circa quæ versatur humana mens, non ut naturalem expleat curiositatem, sed ut ratiocinando de operibus Dei discamus perfectius ratiocinari de ipso Deo; & ut divinitatis magnalibus perciti, atque a natura dispositi præsto simus ad excipiendas ideas, quas in nobis ciet Religio. In Sancta hac occupatione S. Thomas primos adolescentiæ suæ annos consumpsit.

Fides rationem superat, sed illi contraria non est, Immo altera alteri præbet opem.

Fides, quæ supra rationem est, non est illi opposita immo mutua sibi præstant auxilia. Fides rationem dirigit, ubi deerrat; ratio fidem nutantem confirmat. Cum Deus formæ habitum divinæ virtutis hujus in animabus addit lumina supernaturalia eo præstantiora, quo sublimior est gradus perfectionis, ad quem easdem animas destinat. Sed ubi hæ vivæ claritates fidei sustinentur luminibus mentis suapte natura eximiæ, illæ procul dubio longe sublimiores Dei cognitiones producunt. Hinc factum est, quod præstantissima antiquitatis ingenia in gravissimos errores inciderunt in conceptibus suis, quia fides illis non prælucebat; e contra vero Ecclesia Sanctis abundavit; quia cum fide pura intelligendi vim arctioribus inclusam finibus habebant. Sed cum S. Thomas sortitus sit ingenium præstantissimum, & a Deo acceperit habitum fidei in gradu perfectionis, qui sanctitatis illius gradum decebat, facile est assequi quænam fuerit cognitionum ejus profunditas.

Docti quidâ evanuerunt in cogitationibus suis: capientes luminibus fuis penetrare oculissima divinitatis mysteria. Sed S. Thomas nollum impegit in scopulum.

Nihil homini a natura magis insitum est, quam sciendi desiderium: hic fuit locus, ex quo Dæmon primam adortus est mulierem, tanquam partem cordis ejusdem infirmiorem; & spes chimericæ hujus scientiæ, quam illi pollicebatur, fuit præcipua inobedientiæ ejusdem causa. Incompositus hic humani cordis motus lapsu illius irritatus est; & mirum esse non debet, si vitia multiplicata sunt, cum virtutes ipsæ perierint. Et profecto sicut in densis tenebris, in quas nos præcipites egit peccatum, adhuc reliquus in nobis est primarum cognitionum radius, nulla veritas est adeo occulta, quam horum luminum semiextinctorum ope cognoscere non aggrediamur; & quia voluit Deus, ut quidam homines colligerent, ut ita loquar, partem meliorem reliquiarum naufragii naturæ perfectionem illis, quam aliis tribuens vim intelligendi; accidit, ut spiritus hi præceteris præcellentes abusi ea prærogativa, qua donati fuerunt ad reparandam quodammodo nativitatis suæ calamitatem, vel evanuerint in imaginationibus suis, vel ob acceptas cognitiones intumuerint, vel in periculosis inquisitionibus erraverint, vel noxiis scientiis adhæserint. Multum quidem esset D. Thomæ, nunquam in extrema hæc vitia lapsum fuisse; sed quas non meretur laudes eo quod illa contrariis virturibus oppugnavit, objiciens eruditam insciti am temeritati periculosarum perquisitionum, ignorantiam Christianam amori noxiarum scientiarum, ignorantiam humilem superbiæ harum scientiarum, quæ noxiæ sunt, & inanes.

Scientia & notitia rerum utilis esse potest, vitii æque ac virtutis esse potest instrumentum.

Scientia per se nullo est in discrimine. Vitiis æque, ac virtuti potest inservire, & eadem luminaria, quæ super aras in Dei honorem ardent, ardere quoque possunt in delubris deorum. Nihilominus si scientiam spectamus tanquam emanationem intelligentiæ Dei, vel donum, quod nobis concedere placuit divinæ Providentiæ; agnoscemus facilem, ubi cum sanctitate conjuncta est, esse materiam atque instrumentum præstantissimorum gratiæ miraculorum. Duarum virtutum usibus inservit, quas Theologi cæcas appellant; fidei in spiritu, & humilitatis in corde, & dicere possumus hæc magna esse miracula videre magnam scientiam, cum magna fide, profundaque humilitate conjunctam. Tamen non sine duplici hac miraculosa conditione scientia ingressa est in D. Thomæ Spiritum; & seu præstantia luminum ejus oriatur a sublimitate mentis ejusdem, seu a studiorum ipsius assiduitate, seu effectus sit orationum ejus, seu remuneratio puritatis, a qua factus similis Angelis, meritus est particeps fieri eorum intelligentiæ: certum est, illum scientia sua usum fuisse ad augendam fidem suam, & acquirendam humilitatem in dies semper altiorem, & sublimitatem ingenii, quæ quam plurimis summis viris interitus causa fuit. Magno huic Doctori profuisse, ut in dies sese exinaniret, atque ita sibi gradus compararet, per quos perveniret ad sublimem hunc gloriæ cumulum, quem in mundo sibi comparavit.

Quid in scientia oppositum sit fidei, & quid huic favet.

In scientia invenitur aliquid Fidei contrarium, & aliquid eidem propitium. Contrarium fidei illud est, quod habet multa lumina, & nimis tribuit rationi. Hac de causa oriens Ecclesia in Religione Philosophiam habuit suspectam; & Tertullianus asserere non dubitavit Philosophos præcursores esse quodammodo hæreticorum, quia nimis erant eruditi. Quod vero huic favet virtuti, hoc est, quod scientia prodest ad probandas causas, illationes eruendas, & moribus applicandas. Asserere igitur possumus scientiam utilem esse posse fidei, cum submittit lumina sua huic virtuti, & quia uti potest luminibus scientiæ ad credendum, uti opus est & ad exequenda ea, quæ credit cum distinctione.

Scientia favet virtuti humilitatis, & aliquando adversatur illi.

Scientia aliqua in re fivet humilitati, simulque rursus in aliqua eidem adversatur. Favet quidem, luminum enim ipsius favore nihilum nostrum detegimus, & causas propter quas humiles esse debemus: Adversatur enim vana gloria, quæ passim scientiam concomitatur, & quæ paulatim destruit humilitatem. Potest etiam præclaræ huic virtuti inservire procurans eidem lumina, quibus secernere possit bonum a malo, & nobis aperiens viam ad sublimissimum perfectionis gradum obtinendum. Scientia deo hæc præstitit officia D. Thomæ; qui si fuit doctus, non ideo minus humilis fuit, quoniam scientia sua usus non est, nisi ut melius naturæ nostræ nihilum cognosceret, & omnes virtutes acquireret, quæ illum deducturæ erant ad sublimem eam perfectionem, quam assecutus est.

Quæcunque scientia hominem super alios homines attollit.

Scientia adeo præstans est qualitas, & quæ adeo attollit possidentes se, ut videatur, illam ipsam prærogativam, quam ratio omnibus hominibus super reliqua confert animantia, hanc super reliquos homines conferre. Neque ideo putetis me velle hodie illam cum Sanctitate comparare. Scio equidem duo hæc longe diversi ordinis, ac meriti esse, neque ausim affirmare scientiam omnino esse necessariam ad Sanctitatem acquirendam, quia per se nullo est in discrimine, & in utrumque usum adhiberi potest pro variis eam possidentium consiliis: verum hæc quoque veritas est, quæ in dubium revocari non potest, ubi eminens scientia iniit affinitatem cum Sanctitate, illam huic admirabilem opem afferre. 1. Ne in errorem, & illusionem ruat; 2. Ut quodammodo uberem efficiat eam, quæ sterilis erat, videlicet magis frugiferam, & proximo utiliorem; & tandem ut illi existimationem & necessariam auctoritatem conciliet, & vitium impugnet, & Ecclesiam, atque Religionem tueatur. Hac peperit glorioso D. Thomæ virtus per felix illud fœdus, quod in illius persona cum Sanctitate percussit.

Communis pietatis merces est rerum divinarum scientia,

Rerum divinarum scientia, quæ vera est sapientia, merces est solidæ pietatis. Hæc divina est illa sapientia, quæ nos docet ambulare in vias Dei, hæc illa scientia est, quam acquirere pro viribus debemus in locum scientiæ inanis, ac sterilis, quæ vanum est spiritus ornamentum, quod inflat noxia superbia, quin nutriat sancta eruditione, & quæ potius Dæmoniorum scientiæ similis est, quam Sanctorum. Sæculi prudentia cum ætate acquiritur; experientia senioribus aufert plerumque usum earum lectionum, quas illis tradidit; & passim obeunt, cum bene vivere incipiunt. Sed Christiana sapientia momento suos erudit Discipulos. Dicebat David se factum fuisse doctiorem senibus, quia Dei legem fuerat meditatus: *Super senes intellexi, quia legem tuam meditatus sum.* Illam meditatus ejus cognitionem acquisiverat; illam cognoscens, eam adimpleverat: meditari, cognoscere, & adimplere Dei legem; hæc tota est sapientia. Per heroicas hasce virtutes S. Thomas promeritus est admirabilia lumina in Mysteriis Religionis, quæ divinitus interpretatus est. Ita fuit ille perfectus Christianus, antequam fieret absolutissimus Doctor; postquam fuit fidelis Discipulus Salvatoris Mundi meritus est esse unum ex præcipuis Religionis Magistris. *Psalm. 118.*

Scientia sanctitatis inserviit; ejusdem auxilio, ut meretur.

Passim Doctis objicitur, quod majorem curam impendant excolendo ingenium præclaris eruditionibus, quam regendæ voluntati per solidas virtutes, quæ solæ aliquid coram Deo laudis merentur. Hæc exprobratio temere fieri nequaquam videtur, ajunt enim hoc rerum experientia probari, & ratio afferatur; quod spiritus nimis divisus est, ut satis vacare nequeat simul duabus rebus, quarum utraque totum hominem possit occupare, quarum altera non minorem curam studiumque requirat, quam altera. Tamen labor, qui scientiam comitatur, large pensatur voluptate, quam tribuunt inventa recentia, quæ quotidie fiunt in regione, ubi nunquam visa fuerant; cum virtute per originale peccatum nobis facta veluti exotica quodammodo versamur in hostico, non procedimus nisi quatenus per confertos hostes viam nobis sternimus vi, quam nobismet ipsis asserimus, ut contra naturæ corruptæ proclive iter instituamus. Quantumvis ratio hæc non spernenda videatur; tantum abest, quod scientia, & sanctitas simul esse non possint, vel aliquid interesse oppositionis inter duas hasce eximias qualitates, ut e contra sibi manum præbeant, sibique mutuo ferant opem, & perveniant ad perfectionem sibi singillatim propriam. Neque alio opus est exemplo, quam admirabilis Thomæ Aquinatis, incomparabilis Doctoris; quem ante oculos habemus: quoniam non solum fuit Sanctus Doctus, quemadmodum tot alii, qui præcesserunt, & secuti sunt illum; sed quod illi proprium est, & prorsus singulare, hoc est, quod Sanctitas illum Doctum effecit, & scientia Sanctum.

San-

Digitized by Google

Sanctitas medium est ad Scientiam acquirendam & perficiendam.

Sanctitas non ſolum confert ſcientiæ, tanquam ratio quædam ad illam adipiſcendam, ſed etiam ad illam perficiendam corrigendo vitia, quæ huic inhærere videntur. Et ſane, dicit Apoſtolus, ſcientiæ proprium eſſe mentem inflare, & efficere ut nos ſupra noſmetipſos attollentes, facile ſupra cæteros attollamur, propria exiſtimatione tumeamus, collatis laudibus plauſibuſque paſcamur, vel ſaltem credamus vulgatiorem ſcientiæ uſum eſſe, in aliorum turba enitescere, & præclaram nobis celebritatem nominis comparare. Juſta hæc querela, ac labes, quæ vitiat, atque corrumpit eximiam hanc prærogativam, oritur ex naturæ noſtræ corruptione jam proclivis ex ſe ad ſuperbiam; licet ex ſe nihil niſi ignorantiam, & vitium poſſideat. Quapropter mirum eſſe non debet, ſi moderatiſſimi etiam afficiantur adeo ſpectabili bono, quod eſt ſcientia, & ſi ambitioſi eodem utuntur, ut inter ceteros niteant. Malum hoc frequentiſſimum in Doctis eſſe, confiteri neceſſe eſt; hic etiam, ſi lubet, effectus eſt ſcientiæ perperam digeſtæ, quæ cum ſit mentis pabulum, hoc habet cum corporis cibo commune, quod inflat, cum immodice hauritur, vel cum natura ſua obire munera prohibetur. Verum quid agit Sanctitas, & quomodo benemeretur de ſcientia? Hoc ſane: Deturbat hos vanitatis, & ſuperbiæ ſumos, qui aſcendunt in caput; diſſipat hanc mentis intumeſcentiam, eſt tanquam ſpiritus ejuſdem libramentum, ne ſe attollat: & nos, ut ita dicam, in nihili noſtri centro contineat. Ita humilitas in Scripturis Sanctis, ſcientia Sanctorum appellatur, quæ ſui ipſius ſuorumque vitiorum acquiritur, juxta ſenſum, quem nonnulli tribuunt illis Sapientiæ verbis? *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*. Sed cum Sanctitas una cum ſcientia conjuncta eſt, tunc deprehenditur effectus prorſus oppoſitus illi, quem Apoſtolus exprobrat. Lumina enim ejus efficiunt, ut noſtros detegamus errores, & cognoſcamus gloriam omnem, quam illius ope poſſumus comparare, non eſſe niſi parum fumi, qui nos excæcat, & mox diſſipatur, & evaneſcit. Hæc illa Sanctorum ſcientia eſt, quam Doctor S. Thomas poſſedit, quia altiſſimam humilitatem cum profundiſſimis conjunxit cognitionibus, quas homo in terris valeat acquirere.

Sap. 10

Sanctitas ſcientiæ libramentum eſt, ut deprimat illam, verum etiam organum eſt, quo ſupra ſuam naturam attollitur, atque utilis ſit gloriæ illius, quem Sacer Textus appellat *Deum Scientiarum Dominum*. Quemadmodum enim Religio conſecrat templa materialia, immo illa etiam, ubi Idolis cultus adhibitus eſt, ut fiant Dei viventis Tabernacula, quemadmodum aurum, & argentum, quæ jam ex ſe pretioſa ſunt, ſacra fiunt, ex quo in ſacros uſus expenduntur in pyxidibus, calicibuique noſtris, & ſicuti omnia naturalia talenta evadunt totidem media, & ſalutis noſtræ inſtrumenta ubi illis utimur ſecundum fines, propter quos Deus nobis illa donavit; hoc ipſum dici poteſt de ſpiritu & ſcientia, quæ ſine ulla comparatione ſunt præſtantiſſima. Hoc autem in noſtro Doctore admirabile Sanctitas operata eſt: quia ſicut nemo unquam a Deo amplius ingenium accepit, neque impenſius incubuit, ut illud excoleret, omnibuſque ſcientiis locupletaret; Sanctitas fecit, ut illud Deo unice devoveret. Nondum loquor de uſu, in quo in Eccleſiæ utilitatem illud impendit, neque de inæſtimabili fructu, quem quotidie illa percipit, ſed tantum de genere ſcientiæ, cui Sanctitas illum quodammodo addixit; nam illis prætermiſſis, quarum cauſa, & finis vel curioſitas eſt, vel delectatio, unice incubuit in ſtudium Theologiæ, quod non ſolum ſcientiarum omnium præſtantiſſimum eſt, verum etiam aptiſſimum ad nos ad Deum attollendos, utpote quæ Deum habet pro objecto præcipuo, & conjungit rationis lumina cum luminibus fidei ad Religionis veritates ſtatuendas: qui proculdubio nobiliſſimus & ſanctiſſimus uſus eſt; in quo ratio & ingenium valeat impendi; hoc quippe eſt illis uti ad naturam, & perfectiones Creatoris cognoſcendas.

Sanctitas ſcientiâ attollit ſupra naturâ, efficiendo ut divinæ gloriæ inſerviat.

Ita eſt; verum eſt, & citra contradictionis metum aſſeri poteſt nihil in Chriſtiana morum diſciplina ignoranti zelo eſſe periculoſius; quia illa boni ſpecie, quæ in illius perſona deprehenditur, vitæ ipſius quamdam auctoritatem conciliante, cujus vitia non ita facile deteguntur a Mundo, ſi in illius mentem aliquis error obreperit ſub colore ſanctioris reformationis, poterit, licet rudis & inſcius, plures fallere, quam Doctiſſimi Theologi ad erroris cognitionem adducere poterunt ſimulae zelus ejus, qui plerumque ſecreta vanitas eſt, & mera hypocriſis, illi comparaverit celebritatem prudentiſſimi directoris, atque optimi viri. Hinc ſequitur, non zelum tantum, neque virtutem ſolam efficere hominem animis regundis parem, ſed ſcientiam cum pietate conjunctam: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*, inquit Propheta; & Deus ipſe repellit eos, qui ſe ſe huic immiſcent miniſterio ſine ſcientia, quæ neceſſario requiritur: *Quia ſcientiam reppulisti, abjiciam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Hoc illud eſt egregium promeritum, quod eminens S. Thomæ ſcientia præſtitit Sanctitati; hanc tutam effeciſſe, cum prudentia conſociaſſe, eamque citra errandi periculum poſuiſſe, addendo illi ſcientiam tanquam ducem in via adeo parum exploratâ, & perſpecta, tot inſidiis laqueiſque præpedita, & ſecus quam undique tot horrentia, & fere inevitabilia circumſtant pericula.

Zelus ſcientia vacuum in Chriſtiana morum diſciplina periculoſiſſimus.

Malach. 2.

Oſee 4.

Magnum illud, & ſpectabile beneficium, quod ſcientia præſtat Sanctitati, tanquam adminiculum ad illam inquirendam ſolum non eſt; ſed Sanctitatem ipſam, quæ vulgo ſterilis eſt, efficit fecundam. Videlicet Sanctus, qui Doctus non eſt, ſibi tantum Sanctus eſt; & Doctus, qui Sanctus non eſt, omnem ſcientiæ ſuæ fructum ad propriam refert oblectationem, vel ad ſummum ad alios docendos, non autem ad illos virtutibus imbuendos. Cum vero Sanctitas cum ſcientia conjuncta eſt, tunc ſe ſe effundit in proximum, namque populos erudire, Dei Verbum annuntiare illis, qui ſunt in tenebris vitii, vel erroris, univerſum terrarum orbem illuminare doctis operibus, quæ eduntur in lucem, & alia omnia adminicula, per quæ, qui zelo & charitate ſuccenſus eſt, aliis poteſt opitulari; quid fient ſine ſcientia? Fortaſſe unum ſine altero nimis infirmum eſt inſtrumentum; certum eſt, utrumque ſimul mirabilia operari poſſe ad ſalutem civitatum, ac populorum. Ideo cum Dei Filius conſtituit Apoſtolos ſuos primos Mundi Doctores, illos lumini comparavit, quia verbum eorum, vitæ ipſorum exemplo accedente, illuminaturum erat mentes, & corda omnia calefacturum; & ſicuti ſyderum lumen omnia naturæ bona producit; lumen doctrinæ ipſorum debet ſimiliter eſſe principium omnium bonarum actionum gratiæ; videlicet virtutum omnium, omniumque bonarum operationum. Adeo verum eſt, Sanctitatem ſecundam fieri per gratiam, & magna hæc effecta converſionis hominum operari.

Scientia Sanctitatem ſterilem facit fecundam.

Scientia omnino neceſſaria illi eſt, qui regit alios, & licet huic defectui ſupplere valeat Deus aliis rationibus, hic tamen ordo eſt, quem divinæ Sapientiæ viſum eſt conſtituere, ut alii ſcilicet ab aliis ducerentur; & hac de cauſa nunquam defuit Deus, quo minus Eccleſiæ ſuæ miniſtraret Magiſtros, atque Doctores, quorum ſcientia eſſet inſtar accenſæ facis, ut aliis in ſalutis via præluceret, & quamvis omnibus hominibus pro norma vitæ dederit rationem, fidemque, quæ duo ſunt lumina, quorum alterum aliquod habet caliginis cum certitudine, alterum vero errori obnoxium eſt cum omni perſpicuitate, quam jactat; tamen cum non omnes veritates ſint æque explicite revelatæ, & principia, ex quibus inferuntur, non ſemper ſint ita perſpicua, ut non ſint alicui diſputationi obnoxia; dicere poſſum admirabilem Doctorem noſtrum Aquinatem ita hæc duo ſaluti adeo neceſſaria, rationem videlicet, & fidem permiſciſſe, ut fidei quidem aliquam evidentiæ ſpeciem, rationi vero integram ferme certitudinem dederit.

Scientia qualitas eſt ad animarum regimen neceſſaria.

Fatendum eſt Theologiam, quam Scholaſticam nuncupamus, omnino neceſſariam eſſe ad tuendam Eccleſiam, primum quia medium efficax eſt ad probandas, & explicandas Religionis veritates, utendo luminibus rationis, pro luminibus fidei. Secundo, quia nobis neceſſaria eſt explicandis erroribus Hæreticorum, idque eo magis, quod acuti illi novatores utuntur Scripturarum auctoritate, & ſcientia, ut orthodoxas veritates impugnent. Opus igitur eſt, ut ſibi Eccleſia procuret adminicula, ut ſe ipſam tueatur, quod per Theologiam Scholaſticam obtinetur. Sciò equidem hoc luminis genus prope fuiſſe ut extruderetur a Scripturarum explicatione, per quam ſinguli abundant in ſenſu ſuo; ſed præterquamquod hujuſmodi explicationes omni ſuſpicione vacuæ nobis eſſe debent, quia conformes ſunt illis hæreticorum, certum eſt, quod ſicuti Scripturæ Oracula & Sanctorum, atque Conciliorum ſententiæ aliquam habere poſſunt caliginem, & hæretici illis falſam lucem tribuere conantur, quibuſdam luminibus indigemus, ut ſenſum aſſequamur, iiſque utamur, uti opus eſt, ad probandam myſteriorum noſtrorum veritatem, juxta veritates Eccleſiæ. Hinc potiſſimum Summi Pontifices Honorius III. Innocentius item III. & Clemens V. tot laudibus celebrant Theologiæ Scholaſticæ præſtantiam, & jure affirmare poſſumus, hoc ſcientiæ genus eſſe quoddam veluti vallum contra pericula, quibus ſepta eſt Eccleſia, & contra Hæreticorum errores, qui ſubinde oboriuntur contra illius auctoritatem, & qui conantur evertere dogmata præcipua acumine ſuorum Sophiſmatum. Si quando Jeſu Chriſti promiſſio Eccleſiæ facta, illam protegendi, atque tuendi uberius adimpleta fuit, hoc accidit, cum illi D. Thomam largitus eſt. Hic enim Scholaſticam Theologiam ad altiſſimum provexit perfectionis apicem, ad quem evadere poſſit, illam ſecundum Eccleſiæ Spiritum, & Patrum ſenſus tanta perſpicuitate pertractavit, ut affirmare poſſimus per illius ſcripta ſatis repletam fuiſſe luminibus, ut ſe propugnare valeat, omneſque confundere hæreſes, neque ſolum antiquas, verum eas etiam, quæ deinceps contra Eccleſiam conſeſcere poſſunt.

Theologia Scholaſtica neceſſaria ad Eccleſiæ tuendam.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS VI.

Delecti Asceticorum, & recentiorum Concionatorum loci hujus argumenti.

D. Thomæ gloria omnia superat Elogia.

ADmirabili Doctori D. Thomæ id accidit, quod Soli, qui symbolum est, cum quo repræsentari consuevit. Fatendum est facilius esse admirari hoc sydus, quam coloribus exhibere imaginem ejus, quam pictores cum omnibus coloribus suis, vel Oratores cum omni eloquentia, & egregiis conceptibus suis. Hoc ipsum de D. Thoma dici potest: magnus gloriæ ipsius nitor efficit, ut mortalium omnium oculi sint in illum conversi; sed si pauciora haberet lumina, melius videretur; & præstantissimum illius meritum videtur obstaculum aliquod illi conceptui, qui de eodem habendus est. Docti certatim eum laudibus extollunt. Concionatores eum consulunt tanquam magistrum, conscientiarum directores tanquam ducem sequuntur: Summi Pontifices illius doctrinam, ac personam approbant; universus denique mundus contendit variis rationibus Sanctum hunc exhibere. Verum fatendum est, nihil horum ad prototypum suum accedere. Optandum esset ut ille ipse Concionem hanc prodiret, quemadmodum olim se videndum præbuit Religioso cuidam ordinis sui, auro lapillisque pretiosis coruscantem, & in pectore solem gerentem, qui totum terrarum orbem illuminabat. Sed nobis de admirabili hoc Doctore dicere sufficiat: *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus ejus:* Opus est hoc esse opus Spiritus Sancti, & sublimem scientiam, atque Sanctitatem illius a Deo ipso profectam, cui semper sinceriſſima fidelitate deserviit, omnes Panegyricas orationes longissime superare. *P. Texier.*

Lustris 18. ab hujus nativitate minima pars est elogii sui.

Oculis vestris exhibiturus præstantiam Sanctitatis, & scientiæ magni hujus Viri, necesse non est, ut de illustri ejus nativitate verba faciam, neque de familiæ nobilitate, quæ inter amplissimas, & opulentissimas Italiæ numerabatur, neque de reliquis prærogativis, quæ profecto non minimi faciendæ erant, propter generosum Thomæ contemptum. Neque immorabor in primis triumphis, quos retulit in virtutis via, strenue resistens annos integros blanditiis æque ac minis quibus illum deterrere conati sunt sui ab inito consilio sese penitus Divino cultui devovendi. Liquet quomodo triumpharit de turpibus artibus, quas ad illius innocentiam labefactandam, & per hoc ad votorum summam assequendam usi sint fratres illius. Ea unice consector, quæ Sanctitas contulit eminenti huic scientiæ quæ constituit illum sæculi sui ornamentum, Angelum Scholæ, Ecclesiæ subsidium & hæreticorum flagellum. Haud quidem inficiari potest quispiam, felix ingenium, quod a natura sortitus fuerat, ad litteras addiscendas, non parum successui huic contulisse. Pluribus ab hinc sæculis non extitit mens adeo perspicax, & illuminata, judicium æque solidum, memoria adeo tenax. Sed non in hoc spem collocabat suam ad scientiam parum communem perveniendi, & licet non negligeret ipse laborem, qui semper ad eam consequendam necessario requiritur; illi persuasum erat, hanc sibi a Deo esse deposcendam, & elaborandum, ut per constantem cultus ejusdem fidelitatem illam promereretur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

D. Thomæ instructo, ac primisturæ Sanctitatis ejusdem præsagia.

Cum D. Thomæ parentes ab illius pueritia plura habuissent futuræ ejusdem Sanctitatis præsagia, & solitarius quidam portendisset futurum, ut aliquando hic in insignem sanctitate virum evaderet, & insignia conferret Ecclesiæ beneficia, parentes illius, inquam, ut obscœcundarent animi studiis, quæ palam ad pietatem tendere videbantur, illum quinquennem in montis Cassini monasterio collocarunt, melius instituendum. Felix ejusdem ingenium vix locum institutioni reliquit, ut quidquam perficeret. Ejus ad virtutem propensio prævertebat semper illi tradenda præcepta. Suavissimæ, & vulgatissimæ illius nugæ studiosæ erant, & oratio; & Abbas ipse illius domus auctor fuit ejus parenti, ut illum ad studendum in aliquam Universitatem amandaret. Ibi humanioribus litteris opem dedit, & in Philosophia maxime profecit: sed licet in litterarum studiis maxime proficeret, quotidie magis proficiebat in scientia sanctorum, & in eo manifesta inspiciebantur futuræ sanctitatis indicia. In ipsa sæculi corruptione innocentiæ suæ integritatem sartam tectam servavit; sed statim ac insidias & pericula intellexit, asylum quæsivit, ubi tutus esset a tempestatibus, quæ in sæculo viventibus imminent. *P. Croiset in Asceticis Exercitiis.*

S. Thomas ingreditur in S. Dominici castra.

Thomas adhuc adolescens quæreris sibi perfugium a sæculi corruptione, illud statim invenit in Ordine S. Dominici, qui licet recens omnem terrarum orbem prodigiis replebat; & instaurans veterem fulgorem status Religiosi jam universam ædificabat Ecclesiam insigni filiorum suorum virtute. Sanctus noster summa cum alacritate in eam familiam adscriptus fuit cum duodevigesimum, præter propter, ageret annum; & in ipsis tyrocinii sui primordiis visus est Religiosæ perfectionis apicem attigisse; Secessus iste adolescentis tantæ spei, ac tali genere orti, plurimos stuporem injecit; & ipsi ejusdem consanguinei commoti sunt. Novitius cum jam audisset matrem suam Neapolim adventare ad se inde auferendum, Cœnobii Præsidem obtestatus est, ut Romam mitteretur. Illuc mater illum secuta est, sed invenit filium profectum Parisios, quo mittebatur studiorum suorum curriculum absoluturus. Non cessit mater; sed scripsit duobus filiis suis natu majoribus, qui in Cæsaris exercitu merebant, atque tunc in Etruria morabantur, ut nihil inausum, atque intentatum relinquerent, ut Fratrem suum Thomam ab incepto deterrerent, eumque comprehensum cum valido præsidio ad ipsam remitterent. Paruerunt Filii, & tandem rediit Thomas ad matrem. *Idem.*

Sanctus validam superat tentationem.

Quid nobis cogitandum est de Sancto viro, qui decimum supra septimum, vel octavum agens annum fuit martyr castitatis, qui a fratribus, ac matre ipsa plura pertulit, quam a Tyrannis primi fideles fuerint perpessi? Nostis illum Parisios petentem, ut studiorum suorum curriculum expleret, ab itinere jussu fratrum suorum retractum fuisse, & biennio in carcere clausum fuisse; fœcentis affectum esse contumeliis, fœcentasque adhibitas artes fuisse, ut consilium mutaret; eo usque ut illius innocentiæ labem inferre conati fuerint. Sed qua constantia impudentissima repulit scorta, quæ ad eum fallendum in ejus cubiculum immissa fuerunt? Videtisne Sanctum hunc ardenti titione armatum ad instar Cherubim alterius, quod igneum stringens gladium adstat præ terrestris Paradisi foribus illuc profanos aditus prohibiturus? Ita eodem succensus zelo, eademque indignatione Thomas fugat impudicas mulieres, & ignem infernalem, quem iliæ in ejus corde, & corpore accendere conabantur, extinguit igne materiali, quem illis opponit, & cum quo illas persequitur. Insignis hujus victoriæ testes fuistis, eamque in libro vitæ descripsistis, Cœlestes Spiritus, ut hæc actio cum nitore appareret ante faciem universi in die retributionis. Tu testis, & spectator certaminis eras Domine, & militi tuo fortes, validasque gratias contulisti, quæ faciunt, ut violentissimæ quæque tentationes superentur. Ingere in nos, quemadmodum in S. Thomam, ardentissimum virtutis hujus amorem. Jubes nos castos esse; huic virtuti æternam vitam annectis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* illius in nobis desiderium accende, ut eum tibi flagitemus eo modo, quo illam impetrare possimus, fac ut evitemus, quidquid virtutem hanc in nobis infirmare potest, & fac nos stabiles in tentationibus, quæ involuntarie nobis ingruunt. *P. Texier.* Matth. 5.

Quomodo resistit precibus matris & fororis suarum ut mutaret consilium.

Mater S. Thomæ cum illum haberet in manibus suis, quemadmodum alibi dictum est, omnes artes excogitabiles adhibuit, ut ille suam vocationem amitteret, eumque ad Religionis habitum abjiciendum induceret. Sanctus adolescens matri magna cum reverentia, atque modestia respondit, sed cum majori constantia: Deum primum esse, ac supremum Dominum, vocemque illius elatiorem esse, quam carnis, & sanguinis. Quandoquidem ab illo ad Religionis statum evocabatur, etiam atque etiam orare consanguineos suos, ne illum vellent prohibere. Mater, cum nihil proficeret, reliquit filiæ, cui non deerat magna loquendi facultas, curam urgentissimis sollicitationibus fratris constantiam superandi. Sed Thomas, cujus vires per orationem in singulos dies augebantur, tanto successu gravissimum hoc prælium sustinuit, ut quin desiderium Religionis amitteret, auctor Sorori fuerit, ut inter Sanctimoniales vellet adscribi, quod paulo post contigit. *P. Croiset in Asceticis Exercit.*

Sanctus liberatæ redditus magno cum plausu a fui Ordinis filiis excipitur & mittitur ad studia sua sub Alberto Magno perficienda.

Dominicanæ Familiæ Patres illecti heroica hac perseverantia illum videndi, & consolandi viam invenerunt; & vestem etiam Religionis ad illum attulerunt. Mater tunc reminiscens eorum, quæ sibi de hoc filio prædicta fuerant, obsistere ultra noluit consiliis Dei; & dissimulans fugam, quam filius capessere meditabatur, permisit, ut per fenestram descenderet. Thomas sui compos factus post carceris biennium Neapolim venit, ubi a Religiosis exceptus fuit ea lætitia, & plausu, quem merebantur virtus ejus, & perseverantia. Ea in domo professionem emisit; & Superiores adhuc veriti, ne sibi auferretur, eum Romam misere & inde Parisios, & mox Colonium, ubi studiis operam dedit Alberto Magno duce, ejusdem Ordinis Religioso, qui tunc magni cum nominis celebrinate docebat Theologiam. Sub tanto Institutore mirum in modum profecit Thomas; at humilitas, atque modestia profectum ejus ita celabat, ut condiscipuli eum mutum bovem appellarent. Sed quamcunque adhiberet artem, ut silentio suo confirmaret opinionem, quæ de illius doctrina percrebuerat; Spiritus ejus acumen brevi enituit, licet aliter conaretur ejus humilitas, & ille totius orbis oraculum, & Scholæ angelus habitus fuit. *Idem.*

S. Thomæ sapientia via fuit ad scientiam acquirendam.

Thomæ pietas fuit secretum admirabile, & præcipuum adminiculum, cujus ope adeptus est profundam hanc scientiam; secretum, quod pauciſſimi norunt, sed quod Sanctus noster acceperat a Propheta David, qui primus eodem usus fuerat: *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Vos, qui sublimioribus illustrari cupitis cognitionibus, quibus discendis par haud est homo mortalis, ad Deum confugite; quo enim propius accedit aliquis ad Solem, eo magis radiis illius illuminatur; & quo magis aliquis accedit ad Deum, qui fons est luminum omnium, eo magis eodem penetratur. Igitur ex hoc fonte scientiam adeo profundam, & minime vulgarem hausit

hausit Thomas. Se ipsum sanctificavit, ut doctus fieret, non quod scientia sit finis sanctitatis; sed quod sanctitas vera via est ad eam perveniendi; quemadmodum ille ipse cuidam ex fratribus suis testatus est, cui confessus est, se plura didicisse per communicationem Dei in Oratione, quam per studium, atque laborem. A pueritia duas quotidie horas impendit in Oratione, ac talem induerat orandi habitum, ut deinceps fuerit prima, ac potissima vitæ suæ occupatio; quamobrem illi applicari possunt verba, quæ de se ipso dicebat Salomon: *Optavi, & datus est mihi sensus: invocavi, & venit in me spiritus.* Scientia fuit effectus orationis suæ; & mox non secus ac magnus ille Rex prætulit eam omnibus terrenis rebus, omnibus fortunis, quas genus, ac nativitas sua illi poterat comparare. *Et proposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ut quis doctus fiat implorare debet auxilium erlese ad exemplum Sancti Thomæ.

Sanctus Noster scientiam acquisiturus non meliorem viam ingredi poterat, quam illam a Deo petendi. Verum quidem est rarum ingenium, & par sublimioribus cognitionibus illi fuisse, & mentis suæ profunditatem atque extensionem admirationem injecisse illis, qui re adhuc integra ipsum propter verecundiam, atque silentium ejus contempserant. Verum est memoriam ejus fuisse thesaurum, ubi nihil peribat; & perspicacitatem ejus ad prodigium usque pervenisse: sed cum humana mens finibus suis sit circumscripta, & ubi de divinis rebus agitur, nihil videat nisi fidei lumen accesserit, ex oratione, ex qua nonnunquam revertebatur luminibus circumfusus, ut alter Moyses, sublimes eas hausit cognitiones. Per illam altissima quæque penetravit mysteria, in quibus alii multi ante ipsum nonnisi caliginem invenerant impenetrabilem. Ita ex vitæ ejus historia discimus illum nunquam, nisi post effusas preces studiis operam dedisse; nunquam consultum ab aliquo de quæstione difficili fuisse, nisi ille Deum ipsum consuleret, antequam responderet, & in obscurioribus Sacri Textus locis orationi jejunium adjecisse, quasi ut a Deo illorum cognitionem vellet extorquere. Quamobrem dicere audeo, scientiam ejus fuisse tanquam lumen ignis charitatis, quo flagrabat, & pietatem illius fuisse fructum scientiæ; vel alteram alterius vicissim causam, effectumque simul fuisse: Charitas illum ad studendum agebat, ut se aptiorem præberet inserviendo Deo: & cognitiones præclaræ, quas ibi adipiscebatur, ipsum Deo ita conjungebant, ut satis crebro sensuum usum amitteret. *Idem.*

Doctoris hujus scientia ad omnia late patebat argumenta.

Ullane fuit unquam scientia magis extensa, & universalis scientia D. Thomæ; sed inde ejus doctrina majorem meretur venerationem, quod hac nulla magis est orthodoxa: nam in Scripturarum cognitione nunquam in propriis confidit luminibus. Quantumvis per se ipsum illuminatus esset, non sequebatur tamen nisi Ecclesiæ faces, quæ ipsum præceserant. Videtur autem omnem Spiritus sui aciem intendisse, ut SS. Patrum mentem rite assequeretur, quod liquet ex pretiosa illa catena, quam ex locupletissimis eorum sententiis composuit, & qua, ut ita dicam, coluit mentem captivare suam sub jugo sententiarum eorumdem. Quamobrem nullam unquam proferebat sententiam, quam non probaret auctoritate magnorum horum virorum; ita ut vix unus inveniri possit Summæ ejusdem articulus, qui hac defensione munitus, & confirmatus non sit. Hæc sequutus instituta emundavit scripta sua ab omni erroris labe; legens S. Augustini vestigia in ordinem digessit hanc divitiarum congeriem, quæ effusæ erant in scriptis præstantissimi hujus Ecclesiæ Doctoris, & omnes dissipavit nubes, quæ tegere poterant puritatem doctrinæ suæ, & in operibus suis inserens exuvias omnium Catholicorum Doctorum cum luminibus, quæ ex proprio illorum fundo collegerat, effecit unum ex pretiosissimis nostrarum Bibliothecarum ornatibus, & meretur quinta Ecclesiæ columna annumerari. Hoc pacto incredibilem elogiorum vim sibi promeruit, quibus Summi Pontifices, Universitates, & Academiæ memoriam illius decorarunt; propria ejusdem verba relata fuere in Canones, & decreta Conciliorum; & ne dicam amplius, doctrina ejus a S. Pio V. pro tuta in fide recognita fuit. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

S. Thomas in studio suo, in Theologicis meditationibus tantum Deo vacabat voluntate sua, quantum intellectu; tantum amore, quantum cogitatione. Ita dicere poterat, quod olim S. Augustinus Nebridio, ubi Spiritum Sanctum invocavi, & me ad Deum attollere incepi, & ad ea videnda, quæ proprie vera sunt, nonnumquam repletus sum tanta rerum æternarum certitudine, ut obstupescam, me eguisse ratione, ut crederem illas. Ecce in S. Augustini verbis veram imaginem animæ Discipuli sui Thomæ; qui sæpe rapiebatur in extasim, quæ neque ad Regum mensam eum relinquebat. Oratio, ac studium ab illo divelli non poterant, & confessus est etiam Religioso cuidam Ordinis sui sibi amicissimo, se multo plura in Oratione, quam in studio didicisse. Præsertim vero per unionem suam cum Salvatore in Eucharistico Sacramento, non secus ac Isaias Propheta cælestium luminum splendore implebatur. Hoc in rebus difficillimis consulebat oraculum; & Salvator dignabatur illum in dubiis rebus certum facere, idque non solum intrinsecis illustrationibus, verum etiam visibilibus miraculis. *P. Texier.*

Mirum esse non debet si D. Thomæ summa omnes confundat Hæreticos hæret enim lobidi hanc scientiam ab alio.

Mirum esse non debet, S. Antoninus ait de S. Thoma loquutus, hominem, qui numquam oculos a Deo semovebat, & qui sæpe cum Cælestibus Spiritibus conversabatur, hominem, qui toties visus est in extases rapi, quorum quædam ad triduum productæ fuerunt, hominem, cui Apostoli Sancti Petrus, & Paulus sæpe dictaverunt explanationem operum suorum; mirum inquam cuipiam esse non debet, talem hominem obtinuisse scientiam adeo profundam & pro Religione tot miracula fuisse operatum. Hoc illud fuit, propter quod Hæretici omnes adversus Doctorem hunc irritati sunt. Cum enim admirabili huic Doctori accepta referenda sit hæc regularis methodus, quæ regnat in Scholis, cum qua opiniones extricantur, errori persona aufertur, veritas in suam lucem profertur, & perspicue fidei dogmata explicantur. Secundum verum Ecclesiæ, Patrumque sensum, hæresis nullum infestiorem habuit inimicum D. Thoma, quoniam non valuit illa diutius resistere contra illius soliditatem, & si dicere fas est, contra doctrinæ ejusdem infallibilitatem. Hæc illa est Angelica Doctrina, quam tot summi Pontifices extulerunt; nam ut ajebat Pius Papa V. quænam hæresis profligata non fuit Sancti hujus Doctoris eruditione? Quinam error insurgere poterit, cujus antidotum in Summa illius non inveniatur? De hoc opere admirabili Papa Joannes XXII. dicit singulos articulos totidem esse miracula, & de eodem Innocentius V. inquit, neminem aberrare posse, qui D. Thomæ doctrinam sequatur, & quemlibet errandi periculum fubire, qui ab eodem recedit. *P. Croiset in Asceticis Exercit.*

Nulla est scientia, in qua non excellentiæ vel difficultas, quam non explanaverit.

Ne stupor vobis incedat, si dixero nullum esse in natura secretum, quod Doctor hic admirabilis non detexerit, nullam in Philosophia difficultatem, quam non explanaverit, nullum in Theologia mysterium, quod non explicuerit, nullam in morum disciplina virtutem, aut vitium, cujus discrimen non connotaverit; nullum in politicis acumen, de quo sunditus locutus non fuerit; nullam hæreseos objectionem, quam non refellerit, nullam gratiæ abyssum, quam non penetraverit. Procul dubio omnia possedit dona, quæ in aliis erant divisa. Quid non dixit de Existentia, & Unitate Dei contra Gentiles? De Personarum Trinitate, de processionibus, & relationibus divinis contra hæreticos; De naturæ proprietatibus, & revelationibus divinis contra ipsos hæreticos? De prædestinatione, & reprobatione hominum? De natura, proprietatibus, & functionibus Angelorum? De peccato Originali, & Actuali? De numero Sacramentorum, & de effectis eorum? Quem errorem non impugnavit? Quem conscientiæ casum non decidit? Quem Scripturæ locum non explanavit? Doctus in Ethnicarum superstitionum cognitione, veluti Tertullianus, S. Cyprianus, & Arnobius; Theologus velut S. Augustinus, S. Gregorius Nazianzenus; solers in Scripturarum interpretatione veluti S. Hieronymus: in morum disciplina versatissimus, ut Sancti Gregorius, atque Chrysostomus; lenis, ac in animos sese insinuans, ut Sancti Ambrosius, atque Bernardus, videtur illos secutus fuisse in ordine temporum, Magnus inquit Cardinalis, ut posset quodammodo omnem omnium spiritum in se uno colligere. *Elogia Historica.*

Mirum in hoc doctore est quod in scientia cujus tanta extensio est tamquam layeus sit in errorem.

Quis crederet tot scientias comprehensis fuisse in uno homine? Et quis considerans tot, & tam diversa opera ab illo scripta de omni argumentorum genere, arbitraretur Cœnobitam tot aliis occupationibus distractum tantum numerum elucubrari potuisse etiamsi pluribus vixisset sæculis? Sed illud admirabilius est, videre magni Doctoris hujus scientiam, non solum universalem fuisse, verum etiam ab omni errore vacuam, & immunem? Nostis difficillimum, & perrarum esse multa de omni argumentorum genere scribere, & nullibi excidere a veritate procellosum Scientiarum pelagus metiri, quin in aliquem scopulum fiat illisio, in quos tot eruditi viri impingentes turpia fecerunt naufragia; scire infinita, & in nullo falli, atque in adeo periculosis itineribus nunquam cespitare: docere, quod cogitat, & semper recta cogitare; hominem esse, & Angelorum more loqui. Hoc miraculum doctrinæ omnibus in rebus desœcatissimæ Angelo Scholarum servatum erat, qui eo recreatus fuit solatio, quod ex ipsius Jesu Christi ore audire meruit, se de illo bene scripsisse. Bene scripsisti, Doctor præstantissime, pro magistris simul, & pro discipulis, pro doctis æque ac pro rudibus; bene contra Ethnicos, & Hæreticos; bene contra impios, & licentiores æquo; bene contra Apostatas, & schismaticos. Bene scripsisse de Angelis, & de hominibus; de libertate, & de gratia; de vitiis, & virtutibus, de politicis, & de religione, de inferno, & Purgatorio; de prædestinatis, & reprobis; de veteri, & nova lege; denique de iis omnibus, quæ in rerum natura continentur, & de illis, quæ posita sunt super naturam. *Elogia Historica.*

Suo Argumento hæc occupabatur, & sæpe in contemplationem rapiebatur, ut sensuum usum amitteret.

Sanctus Doctor ita contemplatione occupabatur, & Deo ita inhærebat, ut sæpe sensuum usum amitteret. Et profecto hoc innotuit, cum die quadam Medicorum jussu igni, ferroque torquendus, ad inhibendum gangrænæ cursum, quæ ulceri adhæserat: namque statim ac orare cœpit, ut se in casu permoleſto divinæ voluntati subjiceret,

Digitized by Google

ret, alio longe ardentiori igne percitus ne agnovit quidem Chirurgum, a quo erat torquendus. Spectari quidem hoc potest tanquam alienatio facultatum animæ unice objecto alicui inhærentis: Sed objectum hoc erat Deus, quo hujus Sancti Spiritus plenus erat. Hoc facit, ut S. Augustini sententiæ subscribam docentis, in causis humanis necesse esse, ut cognitio præcedat amorem, quemadmodum causa suum præcedit effectum; cum in divinis, amor atque voluntas sit potissimum adminiculum, ut illa cognoscantur; quia sese amicis suis communicat Deus juxta magnitudinem amoris, quo ab illis diligitur: Joann. 15. Sicut Salvator hoc significat Apostolis suis: *Vos dixi amicos, quia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quapropter Apostolus S. Paulus omnibus scientiis suis Ad Eph. 3. præfert charitatem: *Supereminentem scientiæ charitatem. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Charitas scientia est adeo eminens, ut quicumque illam possidet, quam primum assequatur altissimas Dei cognitiones, qui aperit se illis, a quibus diligitur, & replet spiritum eorum lumine, prout cor eorum repletur ardore. Non ideo tamen fert animus affirmare, profundam hanc eruditionem, propter quam omnes admirati sunt D. Thomæ scientiam infusam fuisse, ut illam Apostolorum, qui cum rudes essent, & ignari, statim ac Spiritum Sanctum acceperunt, confuderunt omnem Philosophorum Sapientiam, & facti sunt totius orbis Magistri. Neque affirmari potest, Magni hujus Doctoris scientiam solum acquisitam fuisse, & extitisse fructum vigiliarum, assiduorumque laborum ipsius, vel felicem conatum magni ejusdem ingenii; hæc enim vastissima cognitionum extensio, & mira ejus intelligendi facultas aliquid habet plusquam humanum. Dicamus igitur hanc utriusque commixtionem fuisse, effectum studii constantis non sine auxilio cælesti, ac talem denique, qualem Deus contulit illis, quos destinavit futuros Ecclesiæ suæ doctores. Arbores sunt, quæ non statim re adhuc integra fructibus onustæ fuerunt illis similes, quas in terrestri Paradiso collocavit; qui illas plantat, & rigat, non parum procul dubio illis confert; sed pluviæ, & Cæli influxus illis incrementum dedere. Hujusmodi fuit D. Thomæ doctrina, cujus studium erat oratio, & oratio vicissim studium erat: quoniam inde hauriebat ea lumina, quæ labor nunquam illi comparare valuisset. Hoc modo scientia illius divina simul fuit, & humana; infusa, & acquisita; fructus laboris, & pietatis; & demum scientia per Sanctitatem parta, cujus illa fuit merces & fructus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo S. Thomas scientia sua ipsius fit.

O insignis sanctitate vir! Munus ad quod in Consiliis Dei destinatus es, quatenus Ecclesiæ Doctor, hoc fuit, ut præsidium esses, & fulcrum ejusdem adversus ejus inimicos, qui non utuntur amplius, ut olim tyranni, cruciatibus, atque suppliciis, sed scientia ad ejus labefactandam veritatem. Ita nunc Sanctus hic calamum arripuit contra Manichæos, qui olim deleti fuerunt a S. Augustino, & quorum reliquiæ. quæ ad illud usque tempus permanserant, alium in D. Thomæ persona invenerunt Augustinum. Tanto zelo, ac mentis applicatione illos aggressus est, ut die quadam cum mensæ accumberet S. Ludovici Regis Galliarum, cogitans ad ea tantum, quæ in animo ejus obversabantur; exclamavit, quin animum adverteret ad locum, ubi erat: *Conclusum est adversus Manichæos.* Manichæi hoc eludere argumentum non poterunt; provoco illos, ut respondeant. Nunc in certamen cum Philosophis Gentilibus descendit, quorum numerus apud Saracenos ingens erat; & qui Christianam Religionem rejiciebant, tanquam rationi contrariam. Non solum D. Thomas illis respondit, sed vi rationum suarum illos confudit in libris, quos contra eosdem conscripsit. Magnus hic Sanctus eventu pari Atheos, impiosque confudit, qui veritatis lucem sustinere non possunt, quam Sanctus hic illis ob oculos objicit. Quamobrem de hujus Sancti Doctoris operibus dici potest, ea esse quoddam veluti armamentarium, unde erui possunt omnia genera armorum, quibus potest se defendere Ecclesia, & omnia inimicorum genera debellare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

S. Thomas Atheos & Gentiles confudit.

Ex omnibus eruditis viris nemo est, qui majori vi, ac lumine persuaserit Atheis, Deum esse, & Gentibus nonnisi unum esse posse. Doctor hic in ipsis usque naturæ visceribus rationes scrutatur. Ut primos evincat, eorum verba sententiis ipsorum evertit; mentes eorum torquet, & ex invitis veritatis confessionem extorquet. Ostendit illis necessario confugiendum esse ad primum principium, quod prima sit causa omnium effectuum, quos videmus, motus illorum nos adducere ad ens immobile, eorum numerum nos ducere ad unitatem: a creaturis ad Creatorem nos attolli; tot operibus quorum pulchritudinem admiramur, divinum artificem nobis aperiri, a quo facta sunt; diversas eorum qualitates totidem voces esse, quibus erudimur; ab omnibus nationibus sermonem illorum intelligi, & modicum rationis lumen sufficere, ut quisque de Dei existentia persuadeatur. Devictis Atheis, ad cultores Idolorum sese convertit, & ipsorum cogitationibus utens ostendit, naturam ante fidem, illos docuisse unitatem Dei; illos in necessitatibus suis oculos manusque in cælum tendere, quia illud Templum est, ubi reidet Deus; ipsos, si qua ingruunt pericula, invocare Deum; cum ratio errorem prævertit, Christianorum more loqui, & superstitione deleri non posse fidem, quam in animabus ipsorum impressit natura: *O anima naturaliter Christiana!* Mox relictis naturalibus istis sensibus, qui appellari possunt instinctus Religionis, opponit illis adeo solida, ac fortia argumenta, quibus nequissimus quisque respondere non potest. Illis repræsentat Deum ex communi omnium hominum consensu Dominum esse supremum, perfectum, & beatum; omnia hæc illius bona interire, si amittat unitatem, & si socium habet, videre imperium suum divisum, perfectionem suam imminutam, & suam beatitudinem perturbatam. Addit his mundum nonnisi unum Solem pati posse; imperium nonnisi unum habere posse Imperatorem, & naturam nonnisi Deo uni posse obtemperare; & unitatem huic adeo propriam, & naturalem esse, ut non sit amplius Deus, cum unus non est; & hominum mentem illum concipere nequaquam posse, ubi detur illi socius, qui cum ipso non sit unum, & idem. *Tr. Senault Oratorii.* Tertull.

Auctoritas, ac celebritas magni Sancti hujus tanta erat in Ecclesia, ut Patres, qui illam repræsentabant in unum congregatam in Tridentina Synodo, antequam quidquid decernerent, hanc afferrent præcautionem. quæ satis ostendit quantæ auctoritatis esset S. hic Doctor, & quid universus ille augustissimus cœtus de illo sentiret; videlicet, ut nihil statuerent, nisi legissent, & consuluissent ea, quæ ab ipso in subjecta materia scripta fuissent: *Consulamus D. Thomam*, in singulos articulos clamabant; nihil decernentes hoc oraculo inaudito; perinde ac Spiritus Sanctus nonnisi per illius os esset locuturus, vel in ejusdem dumtaxat operibus veritas inveniretur. At ulteriores ne requiruntur probationes illius auctoritatis, quam incomparabilis iste Doctor adeptus fuerat eminenti doctrina sua præter hanc confessionem, quam vis veritatis extorsit ex ore inimicissimorum Ecclesiæ? *Tolle Thomam, & ego dissipabo Ecclesiam Dei*, exclamabat sæculi elapsi famosus Hæresiarcha. Erat hic infelix Bucerus unus ex furentissimis Lutheri discipulis, sed qui erroribus magistri addiderat suos, quibus non minus inerat impietatis *Tolle Thomam, & ego dissipabo Ecclesiam Dei.* Impio huic persuasum erat, scriptis Sancti doctoris hujus illam ab omnibus inimicorum telis tutam esse; hunc unum clypeum adversus omnium gladios sufficere; & hoc unicum vallum contra violentissimos hostium omnium incursus sufficere. Post hoc inimicissimi hominis testimonium, aliane asserenda sunt ad probandos speciosos titulos, quos Universitates, & Summi Pontifices illi detulerunt, illum prædicantes Ecclesiæ columen, hæreticorum malleum fidei propugnaculum? licet enim non alii extarent, quam ejus libri, Ecclesia est munita satis ad refellendas omnes hæreses, quæ futuris sæculis possunt oboriri. Quapropter Pontifex, qui aderat processui Canonizationis illius, cum haberetur examen de miraculis ab eodem patratis, respondit, Summam ejus tot miracula continere, quot complectebatur articulos; quoniam illa pro fidei confirmatione, & Religionis propugnatione id fecerat, quod fecerant in Ecclesiæ ortu miracula; videlicet illam suppeditasse nobis argumenta certissima, & aptissima, ad persuadendum pertinacissimum quemque, ita ut dici possit ex hoc fœdere, & felici consensione scientiæ cum sanctitate existere tot bona, ac tantos fructus, ut comparari valeant cum maximis miraculis: & ita cum Deus dedit Ecclesiæ S. Thomam ostendere voluisse, quid valeant hæ duæ simul collectæ qualitates in Sancto, sed cum dedit illum Dominicanæ familiæ, præbere voluisse prototypum Religiosum Ordinis hujus, cujus character est doctam habere sanctitatem; quippe instituta fuit ad verbum Dei prædicandum, ad populos erudiendos, ad hæreticos confundendos, atque ad convertendos Infideles, & peccatores. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Usus intellectus D. Thomæ cui Deo causa fuit eminentiæ suæ.

Ne quæramus aliud eminentis hujus doctrinæ principium, quam in omnibus Sancti Doctoris nostri operibus admiramur, quam intimam unionem, quam ille semper habuit cum Deo, quam fervorem, & orationum ejus perseverantiam, in quibus incessanter cum eo loquebatur, quam piam legem, quam sibi irrogaverat nihil dicendi, faciendique, quin prius divinam consuluisset voluntatem quam habitum sese colligendi inter maximæ serias occupationes suas, ut infinita Dei magnalia venerarentur. Ingenia alioquin præclara, mentes perspicaces, atque sublimes, quæ adeo tutas, sanctasque negligitis vias; non miror, si quando in errorem inciditis, qui piorum virorum lacrymas cient. Si ut olim S. Thomas Aquinas nunquam legeretis, nunquam doceretis, nihil scriberetis, nisi post primas diei horas mentali orationi, juxta illius exemplum, & sacrosancto Missæ sacrificio impensas; si vos ad ejus imitationem studeretis orantes, si orantes studentes, cum ardore veritatem inquirentes, illam cum humilitate petentes, & cum patientia expectantes, si ad illius exemplum vosmet contineretis coram Deo per vitæ vestræ innocentiam, per morum vestrorum regularitatem, per rectitudinem intentionum vestrarum, per desideriorum vestrorum puritatem, per infirmitatum vestrarum, & magnalium ipsius confessionem: si ad illius exemplum ad crucifixi pedes prostrati ante cetera sanctam illius voluntatem consuleretis, & si attentius illum loquentem audituri, sensuum vestrorum ostia clauderetis,

purum

Digitized by Google

purum esset, nullus dubito, quidquid diceretis, atque scriberetis, quin vestrarum locutionum, & cognitionum rectitudo illam sequatur cordis vestri, & diluculo eruditi in tanti Magistri schola, reciperetis ab illo scientiam hanc, quæ Sanctos efficit. *Elegia Historica.*

Cum Sanctus hic Doctor incredibilem haberet charitatem, qua impellebatur ad omnia pro salute animarum aggredienda, scientia ita feliciter illam moderata est, ut nunquam pervaserit ad zelum hunc indiscretum, quem Apostolus sine scientia vocat. *Zelus non secundum scientiam.* Hinc facile est videre cuinam se periculo objiciant illi, qui sine sufficienti scientia & explorata fieri volunt devotionis magistri, & sese proximo exhibent duces in via, quam minime norunt. Etenim, amabo vos, quid huic accidit præsumptioni, nisi quod dixit olim Dei Filius de Pharisæis loquens; ubi cæcus cæco se ducem præbet itineris, utrumque incidere in foveam, quæ primum illis occurrerit? Heu! quam frequens est hoc sæculo malum! ubi tot mortales impetum sequuntur zeli male instituti; qui nondum gustarunt aliquam in oratione, ac Dei cultu suavitatem, cum aliorum fieri gestiunt directores, de omnibus, tanquam supremi rerum arbitri, pro tribunali decidunt: improbant omnia, quæ illis non sapiunt, & sæpe, dum contra leves noxas detonant, non cavent sibi, ne deteriores ipsi introducant per errores, in quos adducunt eos, qui sese illis regendos committunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

ad Rom. 10.

Zelus gloriæ Dei effecit ut D. Thomas Theologicis studiis totum se abderet.

Sicuti nemo ferme ingenium a Deo præstantius obtinuit, neque ad illum excolendum, & omnibus scientiis locupletandum majorem impendit operam, quam Divus Thomas, sanctitas fecit, ut illas Deo unice consecraret. Hoc in loco non loquor, quomodo illis usus est in Ecclesiæ utilitatem, neque de inæstimabili fructu, quem illa quotidie percipit; sed tantum de genere scientiæ, cui Sanctitas illum addixit. Nam præter illas, quarum causa curiositas est, ut finis mentis oblectatio; unice Theologicis studiis operam dedit, quæ non solum præstantissima est omnium scientiarum, sed etiam aptissima ad nos ad Deum attollendos, tanquam illa, cujus præcipuum objectum Deus est, & quæ conjungit rationis lumina cum luminibus fidei, ut Religionis veritates constituat, qui procul dubio amplissimus est, ac sanctissimus usus, qui fieri possit rationis, ac mentis suæ; ita enim impenditur in cognoscendis natura, & perfectionibus Creatoris. In hunc igitur usum sanctitas incomparabile D. Thomæ ingenium exercuit. Illud quodammodo consecravit divinæ huic scientiæ; & licet magnum, ac vastum esset, magis adhuc extulit, non solum applicans illud objecto, a quo sancte poterat occupari, verum etiam quod tali successu illud applicuerat, ut dici possit, per ipsum scientiam hanc erutam fuisse ab ea confusione, in qua in primordiis suis versabatur. Thomas enim primus fuit qui illam redegit in ordinem, eamque perfectionem, in qua modo est; primus qui illam secundum Patrum sensum pertractaverit; primus denique, qui omnia illius Mysteria tanta perspicuitate simul, & soliditate tractaverit, tanto robore, atque acumine, ut jure Romanus Pontifex Pius V. gloriosum illi titulum quinti Ecclesiæ Doctoris tribuerit, & doctores alii, qui illum subsecuti sunt, certatim eum laudibus celebraverint. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Filii Dei testimonio erga Divi Thomam ejusque doctrinam.

Quocumque præconio Sancti hujus Doctoris nostri nomen decoretur, nullum tamen afferri potest locupletius testimonium in laudem illius, ejusque doctrinæ, quam quod Salvator ipse palam perhibuit, cum dixit illi: *bene scripsisti de me Thoma.* Testimonium pro vero probatum a successoribus illius, pro quo Dominus dixerat, se oravisse, ne fides ejus unquam deficeret; qui nihil probantes nisi certissimis argumentis innixi, de hac Jesu Christi Divo Thomæ apparitione summa cum laude locuti sunt, & per epistolas ad terrarum Principes eandem nuntiandam esse censuerunt. At si de præclaro hoc testimonio jure dubitare non licet, ne quæramus aliud hujus puritatis doctrinæ, quam in omnibus Sancti hujus Doctoris principium, quam unionem intimam, quam cum Deo semper habuit, quam piam legem, quam sibi irrogaverat, nihil dicendi, aut faciendi, inconsulta illius voluntate, quam habitum ab eodem comparatum jugiter in Dei præsentia se se continendi. *Elegia Historica.*

Doctor Hic mirifice illustravit omnes fidei veritates.

Cum non omnes Religionis veritates sint explicite revelatæ, & principia, ex quibus inferuntur, non semper sunt satis manifesta, ut nulli sint dubitationi obnoxia; affirmare possum, S. Thomam ita mirifice duo, rationem scilicet, ac fidem ita permiscuisse, ut fidei quandam evidentiæ speciem & rationi integram ferme certitudinem contulerit. Nam quodammodo nostra detegit mysteria occultissimarum rerum causam aperiens, & rationes ipsas ita solide probat, ut fidei articuli videantur; cumque vim eandem, & perspicuitatem servaverit in omnibus argumentis, quæ pertractavit, sive moralibus sive speculativis; audacter dicere possum nullum ducem esse tutiorem, neque magistrum magis perspicuum, methodicum, & in decisionibus suis accuratum; ita ut si vita ejus esse potest perfectissimis exemplo; doctrina illius esse possit pro canone eruditissimis viris, ne unquam recedant a fide, & Ecclesiæ sententia. Gloriosum hoc testimonium latum fuit a Parisiensi facultate, quæ post diligentissimum doctrinæ illius examen post ejus obitum palam testata est, hanc esse facem, quæ eos omnes deducere debet, qui longum, spinosumque scientiarum stadium ingressuri sunt: quia, dicit illa, Sanctus hic Doctor nihil docet absonum a fide, vel a recta morum disciplina aberrans. At quinam tuto non sequatur illum postquam summi Pontifices, & Concilia ita illum probarunt, ut Innocentius VI. in Sancti hujus elogio pronuntiaverit, eos, qui sequuntur illum, aberrare non posse, cum e contra non desit metuendi ratio, ne quo magis aliquis ab illo recedit, magis recedat a veritate, ac magis magisque se objiciat periculo in errorem incidendi? demum postquam Urbanus V. præcepit edita ob id unum Bulla, ut doctrina illius pro vera, atque ortodoxa habeatur? Hinc argumentor, æque ratiocinari, qui juxta principia ab hoc Sancto instituta ratiocinatur: recte agere, qui illum sequitur; & decisiones ejusdem amplecti idem esse ac pro se stantem habere veritatem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

§. Thomas semper se intimum professus est omnium novis rebus ubi agitur de Religione.

Sancto Doctori nostro non alia erat occupatio, quam studere, orare, & cognitiones, quas studendo assequi non poterat, eas precibus obtinere. Ex hoc fonte hausit lumina divina, quibus scripta ejus repleta videntur. Novitas in iis, quæ ad Religionem pertinent, periculosa, & communis eruditorum affectus, fructus lethifer, ac superbiæ veneno imbutus, inexhausta errorum, & mendaciorum origo; funestus, ac miser novitatis amor, semper objectum fuisti, quod præceteris insignis hic Doctor detestatus est. Jugiter ob ejus oculos versabatur Tertulliani & Origenis exemplum, qui eo quod nimis ingenio suo pruerunt, lapsu suo Ecclesiam fere labefactarunt, postquam eandem doctrina sua illuminaverant, atque tutati fuerant. Noverat ille, quin ignotas tentaret vias, novos semper inveniendos supereffe thesauros in illis, quas Antiqui Patres nobis indigitaverunt; ad utiliter de divinis rebus scribendum non sufficere, esse eruditum; sed majorem pietatem, quam doctrinam requiri; Sanctorum esse, hæc argumenta scite pertractare, in quibus per experientiam sese eruditos præstiterunt; veros autem pietatis magistros eos esse, qui in cordis sui penetralibus scientiæ Sanctorum studuerant, quæ non percipitur ex libris, neque in scholis; ambulantibus nobis in tenebris, uti ambulamus, omnia asserta lumina nostra erronea esse posse; frustra nos in Scripturis, & Sanctis Patribus expiscari, quoniam spiritus humanus veneno inficere potest fontes, qui ex se purissimi sunt; & tandem compertam, exploratam sanctitatem Interpretis Evangelici pluris esse faciendam uberrima eruditione doctoris profani. Hæc secum reputans S. Thomas, & coram Deo se humilians acquirebat cognitionem eorum mysteriorum, quæ Deus superbis quidem abscondit, humilibus vero revelavit. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

§. Thomas omnes hæreses interemit.

Admirabilis Doctor D. Thomas accerrimus fuit hæreticorum inimicus; & dici potest, profligasse hæreses omnes, & antiquas, & illas quæ ævo ipsius obortæ sunt, & illas, quæ post illius obitum insurrexerunt. Ubi de Incarnatione loquitur, omnes explanat difficultates, quæ mysterii illius complemento adversari videntur, omnesque diluit objectiones, quas Philosophi huic amoris mysterio opposuere, simulque omnes Nestorianorum atque Eutychianorum errores evertit, novasque rationes invenit, quæ neque S. Cyrillo, neque S. Leoni occurrerant. Ubi agit de peccato Adam, & Jesu Christi gratia, Pelagianos armis exuit, & adeo palam ostendit humanæ mentis errores, nequitiam voluntatis, affectuum rebellionem, & sensuum infidelitatem, ut hæretici illi confiteri teneantur, sicuti ratio cæca est, quæ nihil videre potest sine lumine fidei; voluntatem esse summam impotentiam, quæ nihil supra naturam efficere potest, sine gratiæ subsidio. Cum scripsit de Eucharistia, omnia illius penetravit secreta, omnes explanavit dubitationes, omnes resolvit difficultates, quas eorum astitudo peperierat; Dissipat Berengarium cum omnibus sectatoribus ejus, & de hoc sacramento tanto cum lumine, & amore disputat, ut nequaquam difficile sit illum ejus intelligentiam vel ex S. Joanne vel ex S. Petro sumpsisse. Facile igitur videre est ex divinis scriptis hujus Doctoris, hunc evertisse, atque dissipasse omnia Hæreticorum, qui eam præcesserunt, Sophismata, & eorum, qui ejus ævo vivebant; at etiam videri potest per quamdam vaticinii speciem, detexisse, & confudisse fallaciam hæresum, quæ post illum obortæ sunt, antequam prodirent, quod adeo certum est, ut Synodi Tridentinæ Patres contra Lutherum, & Calvinum non aliis fere argumentis usi sunt, quam quibus ille in antecessum attulerat ad cohibendam eorum impietatem, atque blasphemiam, & ad futuris eorum objectionibus respondendum.

Compendium virtutum S. Thomæ.

Enumeratio virtutum, ac mirabilium Sancti hujus Doctoris esset infinita. Vita illius non aliud est quam perennis miraculorum series; & hoc præclarissimum est, quod longe plurima complectitur ex sententia Summorum Pontificum, quod unus homo potuerit intra annos vigin-

viginti docere cum inaudita nominis celebritate in celeberrimis Europæ univerſitatibus; Sermonibus ſuis inſignem peccatorum, ac infidelium numerum converiere: admirabilem hanc doctiſſimorum operum copiam, quæ vocari poteſt Religionis theſaurus, explicare tanta cum perſpicuitate, ac ſoliditate, Theologiæ Myſterii docere tanta cum unctione & facilitate, Ethicæ diſciplinæ veritates, eruditis commentariis Sacræ Scripturæ libros tanta claritate exponere; perfecte ſatisfacere omnibus dubitationibus, quæ undique illi tamquam Oraculo univerſali proponebantur: & nihilo ſecius ſingulis diebus plures horas impendere orationi, perquam raro ſe a vulgaribus Communitatis officiis ſe diſpenſare; macerare carnem ſuam auſteriſſimæ pœnitentiæ rigoribus, quamvis affecta eſſet valetudine. Talis fuit vita admirabilis hujus Doctoris, quæ eſſe poteſt exemplo non ſolum Religioſis omnibus Ordinis ſui, ſed illis etiam Ordinum omnium, omnibuſque eruditis viris ſtatuum omnium, & omnium conditionum. *P. Croiſet in Aſceticis exercitat.*

Sancti hujus pietas per illius ſcientiæ.

Metuendi locus eſt illis, qui juge ſtudium profitentur, qui perſpicacia, ac ſcientia præditi ſunt, ne tantum in pietate, quantum in ſcientia, & eruditione proficiant. Si enim ſcientia eſt pietati par, & utraque trutina in eadem æque appendant; timendum eſt ne hic ſitus multum ſit duraturus: vulgo enim uſuvenit, ut ſcientia, quæ in humilitatis cuſtodia non eſt, jugulet pietatem. Comparari poteſt ſalutari plantæ, quæ tamen ad pietatis umbram poſita eſſe debet; ex quo enim pietas non dominatur illi, tunc ſcientia eſt pernicioſa: *Si magnitudine ſua præcedit ſcientia magnitudinem charitatis; non ædificat, ſed inflat.* Incredibile eſt quanta celeritate illam vanitas impellat. S. Thomas hæc omnia pericula noverat: ſciebat, intrinſecus omnia vanitati favere; extrinſecus omnia illi plaudere; pietatem e contra ſecretos, & publicos habere inimicos; minus, quam ſcientiam enitescere, quia minus fulgoris habet; minus quam ſcientiam celebrari, quia minorem habet uſum in Mundo; minus ſpectabilem eſſe, quam eruditionem, quæ ubique laudatur. Cavit ergo ſibi Sanctus hic Doctor a generali impreſſione, decernens omnia pietati eſſe deferenda, eique ſcientiam eſſe tamquam ancillam Dominæ ſubjiciendam. Amicos delegit ſibi eos, qui humilitate præſtabant; raro loquebatur de ſcientia, & de iis, ex quibus acceſſio eidem fieri poterat. Nullo in diſcrimine habuit eruditi viri famam; de hominum exiſtimatione non laboravit; ſcire neglexit, qualis in aliorum ſpiritibus haberetur, dummodo in Spiritu Dei bene audiret. *Auctor recens.*

Aug. comment. in Pſal. 118.

Mortificatio S. Doctoris.

Corporis, & cordis mortificatio longius proferri non poteſt, quam illam S. Thomas protulerit. Dictus fuit natus fuiſſe abſque affectionibus, has adeo ſubegerat. Suavitas ejus, vocis tonus, vultus ſerenitas ſemper immutabiles fuerunt; & per jugem carnis macerationem fere ſenſuum uſum amiſerat. Licet peculiari Dei beneficio puritatis dono auctus eſſet, tamen nihil neglexit eorum omnium, quæ conferre aliquid poſſunt ad mollem hanc virtutem tuendam. Nunquam in muliebrem vultum oculos fixit; & toto vitæ ſuæ ſpatio quælibet colloquiorum cum mulieribus genera evitavit. Ad altare non accedebat, quin illud lacrymis ſuis irrigaret. Ardor amoris in faciem ejus prodibat. Summi Pontificis Urbani IV. juſſu Sanctiſſimi Sacramenti Officium compoſuit, cum ea cordis effuſione, quæ in omnibus, & ſingulis verbis deprehenditur; & Sanctus iſte Doctor non parum contulit, ut inſtitueretur in univerſa Eccleſia Solemnis feſtivitas, & in Fidelium corde amor, & reverentia erga J. C. in altaribus noſtris manentem magis accenderetur. Ejus confidentia, ac amor erga Deiparam ex parte conſtituerunt characterem Sancti hujus ab incunabulis, & illi promeruerunt eximiam dignitatem Amici illius. Beata Virgo non ſemel in ejus vita viſibiliter apparuit; & paucis etiam ante mortem diebus ille teſtatus eſt, nihil unquam ſe a Deo petiiſſe per Sanctiſſimæ Virginis interceſſionem, quod aſſecutus non fuerit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitiis.*

Puritas ejus.

Devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum.

Tenera illius erga B. Virginem devotio.

Ejus humilitas profunda.

Humilitas virtutum omnium fundamentum eſt, & omne ædificium, quod non huic lapidi innititur, ruit neceſſario. Virtus hæc eo magis eruditis eſt neceſſaria, quo magis indiget æquipondio contra motus ſuperbiæ, quos ſcientia, ut plurimum, ciet. Quis unquam Sancto Doctore noſtro humilior? Conjicite ex diuturno ſilentio, quod tandiu tenuit in Scholis, ubi ſibi conciliare valens admirationem, oſtentans ſcientiam hanc admirabilem, quam deinceps celare non potuit, adeo raro loquebatur, ut condiſcipuli ejus Bovis agnomen illi appoſuerint, quod occaſionem præbuit dicendi futurum ut Bovis hujus mugitus in univerſo terrarum orbe reſonarent. Si ſerio ad examen vocatur locus iſte ex vita Doctoris noſtri, facile erit judicium ferre de gradu virtutis ejus ex menſura humilitatis ejuſdem. Et profecto ſi facile acquieſcimus exiſtimationi adeo bene conſtitutæ ut novis non egeamus teſtibus; ſi ſilemus haud ægre coram illis, qui ſciunt, a nobis tantum pendere loqui cum audientium approbatione: ſilentium, quod in his occaſionibus ſervamus, eo glorioſius eſt, quod relinquit imaginationi libertatem augendi ea, quæ dicere poſſemus, & hæc modeſtiæ ſpecies, quæ exploratum meritum comitatur, eſt velut umbra, quæ illius nitorem, imaginemque commendat. Sed in ſe cognoſcere magnum ſcientiæ fundum, & mentem ad inſignem ſibi nominis famam conciliandam, & in vulgi turba animo tranquillo tacere; hic non poteſt eſſe niſi effectus animæ magnæ, & abſolutiſſimæ humilitatis. Hujuſmodi illa eſt noſtri Sancti Doctoris in vitæ ejus decurſu. Fuit ille tamquam Magiſter Univerſitatum, ubi deciſiones non niſi ſecundum ejuſdem ſenſum fiebant; ab omnibus generatim habebatur in pretio. Erat ex eo Ordine, ex quo Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, & Summi Pontifices eligebantur: Sed nunquam ſibimet complacuiſſe, quod ſemidoctis uſitatiſſimum eſt, & nunquam animum inducere potuiſſe, ut vel minimam Eccleſiæ dignitatem reciperet, quomodonam appellari hæc modeſtia poteſt, niſi humilitatis prodigium? Sanctus hic vir ægre Doctoris gradum excepit, ille qui erat ſæculi ſui Magiſter. Hoc ſecretum eſt, & humilitatis, & ſanctæ ambitionis D. Thomæ, nullam unquam gloriam quæſiviſſe quam illam Jeſu Chriſto ſerviendi, illi placendi, & ſumma cum integritate Eccleſiæ bonum procurandi. *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum, & ex P. Texier.*

Ejuſdem argumenti.

Gentilium Apoſtolus palam nobis oſtendit periculum, quod eſt in humanis profaniſque ſcientiis, cum nobis dicit, ſcientiam inflare; ſed ubi profundiſſima humilitas cum ſublimiſſima conjungitur eruditione, quam homo in hac vita poſſit acquirere, hæc vera Sanctorum ſcientia poteſt appellari. Quam raro conſenſus hic invenitur! Quam difficilis eſt! ſed quam glorioſum humili, & Doctiſſimo Thomæ eſt exhibuiſſe hoc portentum in ſe ipſo, tamquam in abſolutiſſimo exemplari! eo uſque ut in tanta celebritate, ac plauſu, quem illi ſcripta ſua comparaverant, Deo gratias egerit ſub finem vitæ ſuæ, quod nullo unquam inanis gloriæ ſenſu commotus fuerit; cujus ſe reum eſſe exiſtimaret. Ecce quid vocari poſſit non ſolum Scientia Sancti, ſed effectus, & miraculum Sanctitatis in ſpiritu viri docti; potuiſſe ſe ipſum tueri contra juges impetus hoſtis adeo ſubtilis, conſociſſe ſcientiam adeo extenſam, illuſtratam, & ſublimem, cum profundiſſima humilitate; ſe ſe infra omnes homines demiſiſſe, licet ſupra omnes eminenti eruditione ſua conſurrexiſſet, quaſi ſubtilitas cognitionum ejus fuiſſet menſura humilitatis illius! Quod de ſe humiliter ſentiebat, ideo conſtanter reſpuit altiſſimas Eccleſiæ dignitates, velut Neapolitanum Archiepiſcopatum, & alias id genus, quas tanta cura fugiebat, quanto ardore alii eas ambiunt, & aucupantur: Nunquam animum inducere potuit, ut Doctoris gradum exciperet; & opus fuit, ut Superiores pro jure agerent, & obedientiæ titulo illum adigerent, cum ille non poſſet omnibus eorum rationibus ſeſe dare, neque de meritis ſuis ſibi perſuadere. Hinc viſus eſt ad infima uſque domus miniſteria ſe abjicere: modo libros & maximas occupationes ſuas deferere, ut ſocii munere fungeretur cuidam e fratribus ſuis, qui minime cognoſcens illum, magni hujus Viri patientiam, & humilitatem exercebat. Viſus eſt medio in Sermone, quem neſcio qua publica in ſolemnitate habebat, illico ſilere, & de ſuggeſtu deſcendere ad vocem imprudentis, qui ſine ulla auctoritate ipſi ſilentium indixit, tantam auditoribus ſuis hujus humilitatis ciens admirationem, quantam ſua eloquentia exciverat. Ita ſecutus eſt regulam, quam ipſe propoſuerat, metiendi gradum perfectionis eorum, qui virtutem exercent, ex eorum humilitatis profunditate. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Contra eos qui præſumunt in ſcientia ſua, & Doctoris autam captant.

Hæc ſunt prodigia, quæ placuit Deo in magno hoc Sancto oſtendere, in ejus perſona conjungendo ſcientiam eminentem cum profunda humilitate: quæ duo perquam raro in uno eodemque viro inveniuntur. Quod ad nos ſpectat, nonne tam abſumus a Sancti hujus humilitate, quantum ab illius ſcientia, & doctrina; quandoquidem ne minimam quidem prærogativam poſſidere poſſumus, quo minus infletur ſpiritus noſter, & pro vera magnitudine accipiamus, & merito ſupereminente id, quod re ipſa non aliud eſt, quam intumeſcentia, & vanitas? Hic temporis genius eſt: ubi in duabus, vel tribus occaſionibus nitescere nobis contigit ingenii gloria, cum ſtatim occaſiones inquiramus, oſtentandi quantum valeamus. Volumus hoc omnibus apertum eſſe, & ſæpe per vaniſſimam omnium vanitatum repetimus elogia, & plauſus, qui tribuuntur nobis; & credimus noſmet laudare poſſe, ubi nos ab aliis laudari audivimus. Extant ad hanc quoque diem eruditi, nemo inficiari poteſt, ſed plerumque quia ſe ipſos nimis oſtentant: ſtatim dominationis ſpeciem exercent in litterarum imperio eo uſque, ut inimicos ſibi putent eos, qui cæce ſententiam ipſorum non amplectuntur. Hoc ſemper fecit, ut id ſcientiæ fœdus cum humilitate Chriſtiana tamquam prodigium haberetur, quod nonniſi in Sanctis reperitur, vel potius, quod Sanctitas una producere poteſt. Nam ſicut inter homines adeſt ars nitendi, efficiendique ut inter cæteros aliquis emicet, & hæc ars unum eſt ex primis mundi elementis, ut cum Apoſtolo loquar: *Secundum elementa mundi*; adeſt quoque ars latendi, quam ſcientiam Sanctorum appellavimus, & quam admirabilis Doctor noſter peculiari modo poſſedit; quia ſi alii artem invenerunt celandi talenta ſua in oculis mundi; Sanctus hic,

qui sua eclare non poterit, quia vellet, nollet effulgebant, artem nactus est illa propriis oculis auferendi humilitate, quæ æque profunda erat, ac sublimis erat ejus scientia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Cur dederit Deus D. Thomæ ordini S. Dominici, & in quo nobis esse possit exemplo.

Cum divina Providentia S. Thomam dedit Ecclesiæ, ostendere voluit, quid scientia & sanctitas simul conjunctæ efficere possint in Sancto; sed cum dedit illum ordini S. Dominici, Deus proponere nobis voluit prototypum Religiosorum ordinis S. Dominici, quorum character est scientiam cum sanctitate conjungere, & sicuti Deus nihil unquam destinat ad aliquem finem, quin illi præbeat adminicula, per quæ illuc pervenire possit, mirum non debet esse, si dedit huic ordini tot doctos, sanctosque viros, quorum zelus illustratus, & scientia Sanctitate animata, hæresim Albigensium extinxit, Religionem in Gallia, Hispania, Italia, Polonia propagavit, & qui satis non esse ratus illam in veteri mundo tueri, eamdem in novum usque mundum invexit: ita ut Europa, Asia, & Africa viderint lumina scientiæ ordinis illius, & expertæ fuerint ardorem zeli sui per conversionem infinitarum animarum ad Deum; & donec ilic vigebit, Ecclesiæ nunquam defuturi sint eruditi, qui eamdem illuminent, vel Sancti qui illam ædificent exemplo vitæ, quemadmodum fecit admirabilis S. Thomas, ad cujus absolutissimum elogium nihil deerat, nisi quod doctrinam illius servaremus, ejusque sanctitatem admiraremur. Hæc illa duo sunt, quæ a Deo petit Ecclesia in oratione, quam illi dirigit. Ut ex hoc sermone proficiamus aliquid, discamus, satis non esse habere scientiæ lumina, si non habemus charitatis ardorem; sicut enim utraque simul admirabilis est prærogativa; ita scientia sola erit nostræ damnationis causa, quia cum melius quam cæteri intellexerimus, cum nobis bonum esset faciendum, illud facere neglexerimus. Verum si qui alios erudierunt ad justitiam, videlicet ad perfectionem fulgere debent in cælo tamquam micantia sydera, secundum Salvatoris promissionem: quænam erit eorum gloria, qui ad S. Thomæ exemplum labores, scientiamque suam in glorioſum hoc opus insumpserint? Quod si minus omnes non possunt ad hunc sublimem scientiæ, & cognitionum gradum pervenire, quo S. hic Doctor evasit; saltem omnes possunt, & debent virtutes, & Sanctitatem illius imitari pro captu ingenii, quod singulis impertire divinæ placuit Providentiæ. *Idem.*

PRO SANCTÆ MONICÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

Finis, & scopus, quem Concionator sibi proponere debet in Sanctæ Monicæ Elogio, est præbere prototypum sanctissimæ feminæ divinæ Providentiæ in matrimonio constitutæ, quæ se ipsam in hoc statu sanctificat obeundo sua munera tum erga illum, quem ipsi Deus conjugem dedit, cum erga filios, qui sunt conjugii sui benedictio.

Character hic Sanctitatis, qui hodierna die adeo infrequens est in Christianis familiis, primum est Dei consilium. In institutione Sacramenti, quod Apostolus Magnum antonomastice appellat, & quod institutum est ad filios Ecclesiæ procreandos, & cælum incolis replendum, ita ut conferre huic naturalis, ac supernaturalis Providentiæ consilio, obeundis muneribus illis, quæ huic statui inhærent, sit proculdubio via, quam indigitavit conjugibus Providentia, ut ad non communem perveniant Sanctitatem in statu vitæ, quæ cæterarum est communissima, sicuti Sancta Monica præstitit: Ubi animadvertendum est,

1. Licet plures piæ feminæ sese commendabiles præbuerint iisdem muneribus perfungendis, & seipsas ante, & post illam sanctificaverint: non deesse tamen facta, & circumstantias in Sanctæ Monicæ vita, quæ illi locum præbuerunt exercendi adeo nobiles virtutes, ut hæ efficere valeant argumentum Elogii maxime proprii, & omnino singularis.

2. Cum præcipuum objectum curarum, atque laborum Sanctæ Monicæ, respiciat conversionem S. Augustini filii ipsius, qui eos nobis descriptos reliquit in Confessionibus suis, facere non possumus, quominus hoc in elogio attingamus flagitia filii, quæ fuere causa lacrymarum, precum, & patientiæ matris, & verba faciamus de hujus filii sanctitate, & de ejusdem meritis erga Ecclesiam; quæ non minima pars est gloriæ Sanctæ hujus Mulieris.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Synopsis Sermonum hujus Argumenti.

Mulier, cum parit, tristitiam habet; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, quia venit homo in mundum. Joann. 16.

I. NOn equidem ut aliquid meriti, aut virtutis auferam admirabili Sanctæ Monicæ, eos mihi cancelios circumdedi, ut loquerer tantum de curis atque solicitudinibus, quibus agitata fuit, ut filium suum ab errore revocaret. S. Paulus, qui docet Deum salvare velle mulierem per filios, quos edit in lucem, scilicet per curam, quam gerit institutionis eorum, simul docet etiam illam salvam fieri, tribuendo illis modum salutem suam operandi: *Salvabitur per generationem filiorum.* Et sane hoc unum officium, quod Deus ab illa petit, & quod unum ex gravissimis illius muneribus est; hoc unum inquam tot alia continet, & adeo sublimes virtutes complectitur, & conjunctum est cum tanto amore, patientia, & adeo perfecta obedientia voluntatibus Dei, ut sine metu dici possit, illam adimplere officium suum eadem cum perfectione, quam præscribit Apostolus, quæ validissima ratio est perveniendi ad sublimiorem Sanctitatem status conjugalis, quem ille ipse voluit sanctificare. Non ideo tamen existimandum est alios defuisse locos, propter quos Sancta Nostra Deo fuerit jucundissima, & S. Augustinus ipse, qui nobis veluti in Tabula virtutes ejus descripsit, satis loquitur, ut inde fieri valeat absolutissimus mulieris conjugio vinctæ prototypus, quæ per submissionem, patientiam, & lenitatem suam Deo lucrata est virum suum, ex infideli Christianum efficiens. Mox illum exhibuit tamquam perfectum exemplar Sanctæ Viduæ, orationi, bonisque operibus intentæ, mortuæ mundo, & vanitatibus sæculi, in uno Deo omnem spem suam collocantis, ac talis denique, qualem S. Paulus illam primus per hæc verba delineavit: *Quæ vero vidua est, & desolata, sperat in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus die ac nocte*: vel si vultis: Filius hic in matre sua nobis proposuit veram imaginem mulieris fortis, de qua loquitur Sapiens, qui illam nobis ostendit in regimine familiæ suæ occupatam, omnia, tempus, labores, eleemosynas distribuentem; curas suas rebus omnibus impertientem, & domum suam convertentem in domum ordinis, pietatis, œconomiæ, & charitatis. Sed Sanctus hic prolixius se extendit, & in Confessionibus suis majori cum animi grati sensu loquitur de cura, quam mater sua gessit de ipsius educatione, de amaro dolore, quo conficiebatur propter ejusdem flagitia, & de eo, quod illi perferendum fuit, ut filium in vias salutis reduceret, a quibus impudicitia illum mirum in modum abduxerat. Itaque in eo quod mihi proposui argumento, totum videlicet Sanctæ Monicæ elogium comprehendendi in conquisitione, & conversione filii sui, qui fuit eximia Sanctitate vir, & firmissimum Ecclesiæ subsidium, nihil æquius, ac magis simplex inveni, quam hæc tristitiæ, & gaudii, doloris, & consolationis vicissitudo expressa in his verbis, & in hac Evangelica similitudine: *Mulier cum parit &c.* Secundo peperit cum dolore filium suum obtinens lacrymis, precibus, & suspiriis illius conversionem a Deo, ita ut

1. ad Tim. 2. 1. ad Tim. 5.

1. Se

Digitized by Google

1. Se ipſam ſanctificavit per eas artes, quibus conata eſt ex filio ſuo Sanctum inſignem efficere; quod in priori parte videbimus.

2. Hic idem filius, filius doloris ſui, & lacrymarum fuit illius gaudium, & gloria, per eam, quam ille Deo procuravit, & Eccleſiæ in illius Converſione. Hæc erit Sermonis partitio.

II. *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam.* Prov. 31. Ex his verbis numquid non agnoſcitis admirabilem S. Monicam? Cum illam pronuncio, ejus character non ne in mentibus veſtris deſcribitur? Dominus, in cujus manu ſunt hominum fata, illam conjugio implicuit. Virum habuit, & filium; quomodonam perfuncta eſt munere ſuo, erga utrumque? uterque ex æquo gloriæ ipſius aliud contulerunt, non ſolum per teſtimonium, quod illius virtuti perhibuerunt, ſed multo magis propter virtutes, quas ipſi in illa coluerunt. Novit illa eorum laudes promereri, & viciſſim novit eos dignos præbere laudibus aliorum: *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus; & laudavit eam.* Præclara, ac ſolida argumenta meritorum S. Monicæ: quis enim erat iſte vir, quis iſte filius? Numquid nullius erat negotii illum ſatisfacere, vel illos ſanctificare? Alter quidem ita morioſus homo erat, ut in ſanctiſſimis etiam actionibus aliquid objiciendum inveniret: alter vero ingenium habebat adeo perſpicax, quem ideo ne minima quidem labes fallere potuiſſet. Uterque iis erant impliciti erroribus, ac vitiis, a quibus nequaquam fieri poſſe videbatur, ut avocarent. Tamen Monica eos lucratur, & corda eorum pertrahit ad Deum.

1. Eos cogit, quandoquidem penitus virtutes illius ipſis compertæ erant, & exploratæ, ut illam tamquam mulierem prorſus ſanctam colerent, & obſervarent.

2. Tanta charitate, lacrymis, effuſiſque ad Deum precibus adeo pro eorum converſione laboravit, ut illos coegerit, ut Sancti fierent. *P. Martineau.*

III. *Os ſuum aperuit Sapientia, & lex clementiæ in lingua ejus: conſideravit ſemitas domus ſuæ.* Prov. 31. Hæc Sacri Textus verba ad unguem S. Monicæ quadrant, quandoquidem tantam habuit in regenda familia ſolertiam, ut ei illam ſanctificare contigerit.

1. Tantam ſervans moderationem cum viro morioſo, ingeniique pravi, ut tandem infinita ſua patientia illum converterit.

2. Deum orans tanto ardore, & tot lacrymas effundens pro filii ſui converſione, ut ex eo magnum Sanctum effecerit.

3. Greſſus ſuos tanta diligentia dirigens, ut omnia ad Evangelii normam componens ſe ipſam quoque poſt ſanctificatam familiam ſanctificaverit. *Biroat.*

IV. Pro argumento elogii S. Monicæ deſumi poſſunt:

1. Adminicula, & occaſiones, quas habuit ſemet in conjugio ſanctificandi, primum per patientiam, qua perpeſſa eſt triſte viri ſui temperamentum, ſecundo juges perſecutiones ſocrus ſuæ, tertio licentiam, & vitia filii ſui.

2. Virtutes quas in ſua viduitate exercuit, primum per exercitationem omnium bonorum operum, quæ illius ſtatum decebant eleemoſynas &c. Secundo bonus odor, qui ſe ſe per totum orbem effuderat, & optima exempla; tertio ardor, quo pro Auguſtini converſione laboravit, quem tandem convertit, & ſanctificavit.

V. Oſtendi poteſt quam glorioſa fuerit S. Monica, eo quod Eccleſiæ Sanctum peperit Auguſtinum: nam gloria filiorum reſilit in eos, a quibus vitam acceperunt, quod pluribus Scripturæ locis probatur, immo etiam populorum omnium conſuetudine, qui colunt, ac obſervant Regum, Principumque parentes. Quod peculiariter locum habet in parentibus Sanctorum, jure enim præſumpſerunt, hos illorum Sanctitati aliquid contuliſſe præceptis ſuis, atque exemplis.

2. Quantum S. Auguſtinus debeat S. Monicæ matri ſuæ, quod illi quodammodo vitam gratiæ tribuerit, lacrymis, ac precibus apud Deum conſecuta illius converſionem: Qua in re plus illi debet Auguſtinus, quam quia ab eadem naturalem vitam acceperat.

VI. Oſtendi poteſt S. Monicam verum fuiſſe exemplar chriſtianæ matrisfamilias.

1. Propter obſequium viro ſuo præſtitum, qua re illius converſionem procuravit.

2. Propter curam domeſticorum ſuorum, quibus fuit exemplo.

3. Propter educationem filiorum ſuorum, præſertim vero S. Auguſtini, cujus dupliciter mater extitit, quoad corpus, & ſpiritum.

VII. Nequit exhiberi S. Monica aliis coloribus magis propriis, quam ſi oſtendatur, hæc vere fortis extitiſſe mulier, quam Regum omnium ſapientiſſimus Divino illuſtratus Spiritu nobis exhibuit, indutam fortitudine, & gratia, magnis occupatam rebus, intra fines modeſtiæ ſexus ſui, paratam ad effundenda in pauperum ſinu fortunæ bona, quibus illam cumulaverat Deus; Dei timore percitam, de humanorum magnalium vanitate convictam: non de inani fulgore fragilis formæ, ſed de ſolida virtute gloriantem; morientem in pace, atque tranquillitate electorum propria, divinam quæ recipiatur in Cælum, cui ſeſe offert bonis operibus ſuis ſtipata, & onuſta theſauris honoris, & gratiarum, quas ipſa collegit. Hæc pars eſt eorum linearmentorum, quæ nobis exhibet mulier fortis, quam hodie colit Eccleſia, digna laudibus viri ſui cujus converſionem operata eſt per morum ſuorum puritatem inſignemque patientiam: digna laudibus filii ſui, quem lucrata Deo eſt per lacrymas, & preces.

PARAGRAPHUS II.

Unde plura hauriri poſſunt argumenta ad texendum Sancta hujus Panegyricum, cujus virtutes ibi ad vivum expreſſa legantur.

SAnctus Auguſtinus in Confeſſionibus ſuis deſcripſit vitam, mortem, & virtutes Sanctæ Matris ſuæ, & ex hoc fonte hauſerunt alii, quidquid de hac Sancta ſcriptis reliquerunt. Sancti Patres.

Valtherius Canonicus Regularis in ordinem coegit, quidquid de illa S. Auguſtinus obiter tractavit in Confeſſionibus ſuis.

Idem S. Auguſtinus de eadem loquitur etiam in Epiſtola *de bono, & perfectione viduitatis*, & Epiſtola ad Probam, ubi Illam Religioſam Domini ancillam vocat.

Martinus Papa V. in vita S. Auguſtini loquitur de Translatione corporis S. Monicæ Romam.

S. Ambroſius tomo primo librum edidit de viduis, unde plura deſumi poſſunt in laudem S. Monicæ.

S. Hieronymus Epiſtol. 9. ad Salvinam de ſervanda viduitate, & in Epiſtolis ad Furiam, & Hedibiam nonnulla habet, quæ inſervire poſſunt elogio Sanctæ hujus.

S. Fulgentius in Epiſtola ſecunda ad Gallum latius de hoc loquitur argumento.

Surius, Lypomanus, Flos Sanctorum Ribadenciræ, Baillet, Acta Sanctorum, Henſquenius, & Papebrochius. Qui vitam ejus ſcripſere.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis, eximiam habet de S. Monica Meditationem.

P. Senault ex Oratorii tomo 1. Panegyricorum.

Biroat tomo 2. Panegyric.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. In tomo 2. Panegyricorum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, applicationes Scripturarum huic Argumento.

Loci, qui Argumento huic poſſunt convenire.

SEcundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſal. 93.

Mater autem ejus flebat illum, irremediabilibus lacrymis. Tob. 10.

Mulierem fortem quis inveniet? .... Lex clementiæ in lingua ejus .... Conſideravit ſemitas domus ſuæ. Prov. 31.

Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam. Ibidem.

Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea malum. Judith 8.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat. Luc. 7.

Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere; & acceſſit, & tetigit loculum: hi autem qui portabant, ſteterunt, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Ibidem.

Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Luc. 15.

O mulier! magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis. Matth. 15.

Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Mulier cum parit triſtitiam habet: cum autem pepererit puerum, non meminit preſſuræ, quia venit homo in mundum. Joann. 16.

Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat; & cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Luc. 15.

Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Corinth. 7.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Ad Gal. 4.

Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt. Ad Tim. 5.

Quæ vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. Ibidem.

Exempla, & figura Scripturarum in hoc argumento.

S. Monica bono pastori comparatur qui invectam ovem, quæ perierat super humeros gestat in patria.

NOverat ad unguem Monica munus, quod sibi imponebat maternitas sua, & quam inde auctoritatem reciperet. Noverat alterum quidem magnum zelum requirere ad Augustini sanctificationem, alterum vero zelo suo permittere quemcumque ardorem, ac sollicitudinem. Quid ergo illa per se non fecit? Vix intellexerat prima vitiorum semina in filio, cum illa suffocare conata est monitis salutaribus. Attenta in omnibus illius gressibus explorandis, nulli parcebat labori, ut illum ab erroribus revocaret; & si illius exprobrationes erant suavitate conditæ, omnem tamen habebant vim, quam illi suppeditare poterat timor videndi filium optatissimum, & alioquin amore dignissimum, in æternum pereuntem. Hoc sensit filius, quemadmodum deinceps confessus est, sed raptus ardore æstuantis adolescentiæ, non cessit. Quodnam spectaculum occurrit oculis meis! Videor mihi videre bonum hunc Pastorem, qui in Evangelio cum stultra gestu, ac voce conatus fuisset ovem aberrantem revocare; illam anhelitu crebro, usque per invia, ac devia persecutus est. Quæ enim aptior inveniri potest imago ad ea exprimenda, quæ Monica aggreditur? Amor, & observantia Augustini in illam non finit, ipsum diutius ob oculos ejus in vitiorum cœno volutari, quæ genitrici amantissimæ dolorem novit afferre; & cupiditas, quæ dominatur illi, minus adhuc sinit, ut illi abrenuntiet. Ut utrumque conciliet, alio se conferet eam quæsituras libertatem, quam nanciscinon potest domi suæ, & sub oculis matris sanctissimæ. Sed quodcunque moliatur, non fugiet unquam sanctis sollicitudinibus, quibus illa filii salutem perquirit. Frustra interserit se inter, ac illam immensa maria; hæc illa invitis tempestatibus arabit, & licet conspiret, ut ita dicam, cum Augustino infernus, ad procellas in illam ciendas, quamcumque in regionem se conferat ille, ut matrem ab incepto deterreat, hæc tamen laboribus, periculisque contemptis illum prosequetur. Africa, Europa, Carthago, Roma, Mediolanum videbunt hanc constanter persequentem filium, qui gratiæ rebellis pertinaci animo ad interitum per errotis, ac licentiæ semitas advolat.

Gloria S. Monicæ est precibus suis Ecclesiæ peperisse S. Augustinum, sicut S. Stephani gloria est dedisse illi S. Paulum.

Non postremum S. Stephani elogium est precibus suis conversionem Apostoli Gentium obtinuisse: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Hoc ipsum in Monicæ honorem dicamus: precibus ejus Ecclesiam debere Doctorem, cujus vastum, & sublime ingenium longius sui nominis gloriam, quam aliud quodpiam vel ante, vel post ipsum protulit; cujus auctoritas adeo probata est, ut error ad fideles fallendos nomine illius se tegere affectaverit, & veritas non alibi fere, quam in illius scriptis aut lumina quæsiverit ad illam detegendam, aut arma ad illam impugnandam, cujus scientia, & virtus vigent adhuc in tot ferventibus Religiosis, inceſſanter pugnantibus contra inimicos Domini, sub vexillo, quod alius illis ostendit, & servantibus regulam, quam illis proposuit.

Sicut Senex Simeon mori optavit postquam vidit Messiam: ita Monica non curavit ultra vivere ex quo vidit conversionem filii sui Augustini.

Simeon venerabilis non vivebat nisi expectans adventum Salvatoris Israel; sed ex quo votorum summam assecutus fuit, mori desideravit, ut facie ad faciem videret, quem sub humanitatis velo latentem conspexerat. Nequivit exuberantem cohibere lætitiam, eo quod inter ulnas suas Redemptorem Israel gestabat, vel moriendi desiderium post adeo jucundum spectaculum. Intonuit canticum illud admirabile, quod cordis ejusdem ardorem, vivam illius fidem, æternorumque bonorum spem indigitabat. Monica non vivebat, nisi ut videret Augustinum suum conversum; hoc erat curarum, hoc lacrymarum ejus objectum; preces illius non alium finem habebant. Voti tandem rea facta fuit, & ini Simeon non aliud cupit nisi Mortem; Nescio, fili mi, dicebat illi S. Augustino: *Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio.* Unum erat, propter quod vivere optabam, nempe ut ante obitum meum hac lætitia perfruerer videndi te Christianum, atque Catholicum. Deus mihi plura contulit optatis; video enim te sæculi felicitate contempta temet illius cultui addixisse: *Cumulatius hoc mihi præstitit Deus, ut etiam contempta felicitate terrena, servum ejus te viderem.* Non restabat ergo S. Monicæ nisi pars Simeonis; in pace animam efflare, quia adimpleta erant illius desideria.

lib. 9. Conf. c. 10.

Preces S. Monicæ pro conversione filii comparatæ precibus S. Stephani pro S. Pauli conversione.

Quandoquidem juxta Sapientis doctrinam: *Gloria Patris filius sapiens* est; fructus enim omnia debet arbori, quæ illum produxit, & omnis soli debet lumen origini suæ: tota Augustini gloria ad S. Monicam pertinet; omnes victoriæ filii ornamenta sunt triumphi sanctissimæ hujus parentis. Igitur S. Monica Minichæos devicit, illa domuit Donatistas, illa Pelagium confudit, quia illa non solum dedit corpus S. Augustino, qui illos omnes delevit, sed illi etiam animæ vitam dedit; quis tandem convertit illum, & æque feliciter illius facti mater est secundum spiritum, quæ secundum corpus tantum mater fuerat. Si jure suo cognovit Ecclesia S. Stephanum omnia sibi vindicare potuisse S. Pauli merita aliquo in sensu eo quod persecutorem hunc precibus suis convertit, nonne pari jure S. Monica sibi vindicare potest omnia operum filii sui merita; & quandoquidem per preces, lacrymasque illum dedit Ecclesiæ; sibi quodammodo omnia arrogare potest ea, per quæ filius de Ecclesia optime meritus fuit. Quam dives es bonis operibus, o vere fortis mulier: quoniam hæc una de filio tuo victoria tot victorias, atque triumphos retulisti.

S. Monica cum Vidua Naim comparata.

Cum Ecclesia veritatis spiritu ducta S. Augustini miseriam nobis exhibeat sub illa adolescentuli Nain, quem immatura mors in ipso flore ætatis abstulerat; ita extremum S. Monicæ dolorem nobis repræsentat sub imaginem Viduæ mœrore confectæ, quæ sequebatur filium, qui efferebatur, & quæ illius mortem lacrymis prosequens obtinere merita est ejusdem resurrectionem per lacrymarum torrentem. Mortuus erat Augustinus per peccatum, per libidinem, erroresque suos, per quos & continentiæ, & fidei fecerat jacturam. Reliquum illi erat, ut contumularetur, non secus ac infelix ille adolescens; non quidem in terra, sed in inferno. Sed non minus verum est Monicam lacrymis suis illi vitam reddidisse, & illum avocando a flagitiis, & erroribus felicius fuisse matrem animæ ipsius, quam corporis fuerat. Ita ille consideratis conditionem suam aliquam habere similitudinem cum illa Viduæ Naih; filium suum obiisse, non secus ac illum matris hujus dolentis, illius verba mutuabatur, & obtestabatur Dei Filium ut diceret Augustino, quemadmodum dixerat illi adolescentulo, *Surge*; eumque sibi redderet, quemadmodum alias puerum illum mœrenti genitrici dederat. Patres, Matresque hanccine viduam imitamini? lugetisne filios vestros, ut Monica? petitisne illorum salutem tanto cum dolore, & perseverantia? Lugetis eorum morbos; & illorum libidines non lugetis. Lugetis mortem corporis eorum, & excidium animarum ipsorum non lugetis. Peccatis se ingurgitent, flagitiosam ducant vitam, Deum blasphemiis lacessant, illius mandata criminibus violent; in suis libidinibus computrescant, totos vitæ suæ dies in sceleribus transigant, ne minimum quidem gemitum, aut suspirium emittitis; ne unam quidem lacrymulam funditis. Aut si in morbum incidant, qui valetudini eorum officiat; Si mala valetudo vel oris colorem, vel temperamentum mutet; si quid accidit, quod nomini eorum ignominiæ labem offundat, vel fortunarum jacturam afferat, non satis verborum invenitis, ut conqueramini, vel satis lacrymarum, quibus eorum causam prosequamini. Discite a S. Monica, hoc non esse filios diligere, discite ab Augustino dutum esse flere mortem filii, & non flere mortem peccatoris; *Sciat se esse inculpabiliter durum, qui flet mortem amici, & qui non flet mortem animæ.*

S. Aug. ser. de Verb. Dom.

Exemplum gravissimi doloris in matre, quæ unigenitum suum amisit translatum ad S. Monicam.

Scriptura nobis affert exemplum inconsolabilis tristitiæ, gravissimique doloris tristitiam, doloremque matris, cujus unigenitus obiit, quem unice diligebat; mihi autem adjicere posse videor, nullum majus inveniri posse gaudium, aut animi consolationem, quæ illam matris hujus exæquet, quæ postquam diu lacrymis prosecuta est filium suum tanquam e viventium numero deturbatum, hic illi occurreret non optima tantum fruens valetudine; sed præterea ad summum dignitatis apicem evectus, & in eo loco fitus, ubi eidem posset mutua præbere amoris & benevolentiæ argumenta. Hæc fuit exuberantis lætitiæ magnitudo in S. Patriarcha Jacob, ubi audiit filium suum, cujus jactura tot illi lacrymis steterat, non solum vivere, verum etiam potentem esse in Ægypto, Magni ministrum imperii, & potentissimi Regis amicum. Tunc Sanctus hic Patriarcha reviviscere sibi visus est, & temperare non potuit gaudium, quominus in omnes illius sensus erumperet. *Sufficit*, exclamavit, *Sufficit, si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Post hoc nihil est, quod petam in terris; antequam moriar, hic fruar videndi illum felicitate, & votorum meorum compos obibo. Hoc gaudio affectus prodigi filii pater sensit sua exultare præcordia ad illius redeuntis aspectum. Ubi eminus illum intuitus fuit, ad illum cucurrit obviam eum deosculaturus, licet omnibus his blanditiis indignissimum. Opus fuit, ut tota domus in hujus lætitiæ partem accederet, magnifico instructo convivio. Hoc profecto gaudium tantum est, ut non defuerint matres, quæ tantæ lætitiæ impotentes ita fuerunt, ut quæ ad nuntium mortis filiorum suorum dolorem sustinere potuerunt, ubi eos reduces præter spem viderunt, in eorum ruentes oscula expiraverint. Si ergo naturæ sensus huc usque processerunt, illi, quos excivit gratia in cor S. Monicæ ad aspectum Augustini mutati, & conversi eo graviores fuerunt, quo animæ vita, quam illi suæ reddiderant lacrymæ toto cælo erat matri antiquior, quam corporis vita, quam eidem antea tribuerat. Hoc matri suæ testimonium perhibet Magnus hic Doctor: *Mater cordis mei salutem meam sempiternam cordis parturiebat corde casto.* Licet mihi saltem gaudii, & consolationis ejus magnitudinem metiri, ex magnitudine dolorum ipsius, quod faciebat David Propheta: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Patres

S. Monica peperit filium suum per vulnus cordis, ut Ecclesia emanavit ex latere Salvatoris.

Patres vulgo dicunt Dei Filium Ecclesiam suam peperisse per vulnus cordis, per aquam, & sanguinem inde manantem. Dicere possumus, habita ratione, Monicam peperisse gratiæ filium suum per vulnus cordis sui; hunc esse *Benoni* suum, filium dolorum suorum, filium gemituum, ac suspiriorum. Suspiria & lacrymæ sunt steriles in ordine naturali, sed secundæ sunt in corde, & in oculis Monicæ, quæ nonnisi per motum gratiæ plorat filii sui Augustini conversionem consecutura.

Preces S. Monicæ pro Augustino suo comparatæ sacrificiis quæ Job offerebat pro filiis suis.

Narrat Scriptura Job sacrificia offerre consuevisse pro filiis suis, & amantissimum patrem hunc veritum ne illi in adolescentia, & in rerum omnium copia Dei læderent Majestatem, hanc muneribus suis placare studebat. Licet magna esset hæc pietas, tamen par non erat illi matris nostræ piissimæ; magnus enim ille vir ex gregibus suis victimas sumebat, & Dei viventis aram sanguine agnorum, hircorumque irrigabat; sed Monica ipsa victima est; rigat enim altaria purissima sanguine cordis sui ex oculis suis in lacrymas effusi fluente: *Et de sanguine cordis matris mea, inquit filius ejus, per lacrymas ejus, diebus & noctibus pro me sacrificabatur.* Mater mea, mater animæ meæ æque ac corporis mei, mater salutis meæ æque ac vitæ meæ sibi quotidie sacrificabat sanguinem cordis sui per lacrymas suas. Petebat a te resurrectionem meam, sciens me mortuum esse, & recordata omnes peccatores a te in cruce fuisse resuscitatos, suas cum tuis lacrymas miscebat, ad te cogendum, ut me converteres, atque resuscitares.

S. Monicæ lætitia pro filii sui conversione comparata gaudio S. Pauli pro Gentilium conversione.

Nulla Christiano viro major esse lætitia, & consolatio potest, quam sibi ad Dei Tribunal accedendum esse, postquam animam lucratus est, & postquam de Deo optime meritus est ea in re, qua illi nulla est antiquior. Quærite ex D. Paulo quænam hæc sit consolatio? Dicit enim eam toto Cælo sublatos a se labores excedere: *Superabundo gaudio: consolatione plenus sum.* Cor meum ita exuberat gaudio, ut illius compos non sit: quare autem Apostole? quænam est hujus rei causa? Hæc nempe, quod Titus mihi nuntium attulit zeli, & ardoris, quem Corinthii testantur pro cultu Dei, & felicis cordis eorum mutationis. Heu! Nullum est gaudium, quod cum hoc valeat comparari. Eamdem ob causam Philippenses, quos ad fidem converterat, appellat causam gloriæ suæ, coronam suam, spem suam, quoniam zelus quo flagrabat propter gloriam Dei sui, efficiebat, ut ille spectaret horum animarum salutem, tamquam messem, pretium laborum, vigiliarum, & sudorum suorum. Hoc igitur in sensu Augustini conversio non solum fuit gaudium, & consolatio Sanctæ Monicæ, quæ illum pepererat gratiæ tot lacrymis, atque doloribus; sed præterea matris etiam gloria adaucta est per merita præclara, quæ filius ejus conversus Ecclesiæ præstiterat; ita ut quantum verecundiæ matri per flagitia sua Augustinus intulerat, cum Religionis veritati obsistebat; tantum eidem afferret honoris cum Ecclesiam propugnabat.

Cum Salomon nobis Mulierem fortem descripsit, visus est repetendo præterita sæcula, nequaquam illam inveniisse virtutem, cujus tabulam exhibebat. Spiritus Sanctus novo servabat Testamento prærogativam præbendi spectaculum rei adeo infrequentis. Monica una ex illis est, in quibus major invenitur similitudo cum admirabili autographo, quod Salomon delineavit. Nonne toto vitæ suæ spatio nativam præfetulit bonitatem? summam erga conjugem suum reverentiam; juxta Religionis placita? solertissimam familiæ curam in iis, quæ cum ad spirituale, tum ad temporale pertinent? Semper intenta fuit, ut consideraret semitas domus suæ. Manus ejus labori assuetæ fuerunt; filii ejus in Dei timore educati; nunquam deerat alicui ex officiis suis erga Deum, erga virum suum, erga familiam suam. Os non aperiebat, Prov. 31. nisi ut proferret verba Sapientiæ plenissima: *Os suum aperuit Sapientiæ.* Nonne æquum est, ut hæc admirabilis vidua recipiat, sub titulo fortis mulieris, tributum laudum nostrarum; quoniam opera ejus illam commendant? *Laudent eam in portis opera ejus.*

Applicationes aliquorum locorum Scripturæ huic Argumento.

Vita gratiæ quam recipimus longe præferenda est vitæ naturali quam a parentibus accepimus.

Mulier cum parit tristitiam habet, cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, quia venit homo in Mundum. Joan. 16. Cum vita gratiæ aliquam habeat similitudinem cum vita, quam a natura recipimus, mirum non est, quod Dei Filius in Evangelio iisdem verbis utatur ad utramque significandam; & ad conceptum aliquem tradendum nativitatis prorsus Cælestis, quam in baptismo recipimus, & quæ nos Dei filios efficit, comparat illam cum ea, quæ nobis notior est, & in hominum numerum introducit. In hoc fundamento, ac locutione constituo admirabilis Monicæ elogium, Matris Magni Augustini secundum naturam simul & gratiam: *Mulier cum parit, tristitiam habet.* Amatissimum hunc filium magnis cum doloribus edidit in lucem, hoc illi est commune cum aliis matribus, hæc enim pœna illas Dei sententia damnavit; sed in Sancta hoc peculiare est elogium, quo Ecclesia illam celebrat. Iterum parit hunc eumdem Augustinum doloribus, & diutioribus, & gravioribus; nam quem novem mensibus utero gestaverat, novem annis illum gestavit in corde cum iis cruciatibus, qui non desierunt nisi postquam illum vidit gratiæ renasci, & cum jugibus suspiriis, quæ tandem Cælum flectere valuerunt, & coegerunt filium tot lacrymarum, ut se se dederet voci Dei: quapropter illam æquat ac Rachel quæ Benjamin filium doloris sui nuncupavit, fructum suorum dolorum, votorum, atque gemituum, Monica etiam jure Augustinum suum valeat appellare.

Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere. 1. ad Timoth. 5. Perfectionis vias extra statum suum quærere, stultum est. Deus ita conditiones omnes ordinavit, ut illæ ut plurimum secus magnam perfectionis vitam sitæ inveniantur. Illas alibi inquirere, errare est. Si qua vidua filios, aut nepotes habet, S. Paulus inquit, discat primum præesse domui suæ; non ait: primum transigat in Templis, vel Nosocomiis dies suos; non ait: omne otium suum in opera bona transmittat, sed ante cætera curam habeat filiorum suorum, educet illos in timore Dei, discat domum suam regere. Hæ devotæ, quæ hoc nomen aucupantur, hæ matres familias, quas fallax bonorum operum, ac pietatis color, incessanter ex domestica extrudit solitudine, & nimis gravi objicit tumultui, sequuntur ne Apostoli consilium? Absit, quod hic perstringere audeam Christianarum Matronarum piam Charitatem, quæ tot miseris tanto est subsidio, & quæ efficit, ut tanta cum luce primus Christianæ Religionis Spiritus reflorescat. Loquimur solum de iis devotionibus, quæ non habent locum, quæ ut plurimum amoris proprii, & secretæ superbiæ sunt fructus. Cura familiæ fatigat, jugis vigilantia in iis, quæ ad domus regimen pertinent, tædio est; domi sedere fastidium creat, amor proprius sibi satisfacere quærit; color inquiritur ad rationem inveniendam se se dispensandi ab officiis, quæ patet esse essentialia; illum autem suppeditat falsa devotionis imago. Omnibus Ecclesiæ celebritatibus volunt adesse; omnibus pietatis cœtibus interesse gestiunt, maxima dici pars in Templis consumitur. Sanctæ quidem occupationes, commendabilis temporis usus, dummodo non adsint officia quædam obeundi, quæ cum pio hoc otio simul esse non possint. Verum si donec ista mater familias devote interest cœtui cuipiam pietatis, domestici in flagitiosa vivunt licentia; si donec in alienam familiam studet pacem injicere, dissidium, simultas, tumultus regnant in sua; si donec mœrentibus opem affert, virum suum exasperat, & spiritum ejus pia irritat otiositate, atque prolixis abstinentiis; denique si donec stationes suas in Ecclesia producit, filii sui traditi curæ alicujus domestici, aut vitiosi, aut negligentis, educatione carent, non audiunt nisi obscœnos sermones, non nisi sæquiora vident exempla: placitæ ne erunt Deo tot illius erga alienos curæ? Rationem ne habiturus est Deus zeli adeo imprudentis, & inordinati? Devotiones ejus adeo importunæ, & vix, & ne vix quidem conciliabiles, cum officiis status sui, Deo sapient? Tumultuosi filiorum suorum clamores; viri querelæ, domi totius murmur Dominum non prohibebunt, quominus vocem audiat deprecantis? Videtur non potuisse Deus devotionem faciliorem efficere, eamque magis mortalium omnium captui subjicere, quam illam cujuslibet status officiis subnectens: quod optime assecuta est S. Monica, quæ quin phantasticas id genus devotiones consectaretur, & in Mundi tumultus se se dissiparet, latebat in penetralibus domus suæ, unice intenta muneribus status sui.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. 1. ad Cor. 7. Quænam fuit S. Monicæ gloria violentum Patritii ingenium placasse, & infidelem hunc convertisse? Laudantur Apostoli, eo quod gentes converterunt, dæmones de templis ejecerunt: propriæ Monicæ gloria est, fuisse quodammodo Apostolam Patritii, eumque Salvatoris jugo subjecisse; expulisse dæmonem de corde illius, eique gratiam contulisse. Sed quænam post hæc illius extitit consolatio, videre virum suum animam efflare, qualem decet Christianum, & Sanctum, cum hac spe, futurum ut aliquando illum iterum videat in gloria, quam illius ope receperit? Tale est gaudium Angeli Custodis, qui hominis in toto vitæ spatio fuit dux, & quem tandem post repulsas, & errores videt incolumem in portum appellere. Lætare, prudens Monica, in morte Patritii tui conversi; & ejus dilectio elicuit ex oculis tuis lacrymas aliquot, charitas supernaturalis tibi lætitiæ sensus injiciat, eo quod illum Jesu Christo lucraris, cum mundo perdis, eo quod alter fuisti Custos Angelus, qui post tot contradictiones, obices, atque insuperabiles difficultates adduxisti illum in Cælum, quo illum secutura es ad spectandam gloriam, quam recipit, simulque videndum, te illis causam extitisse.

Quo dolore S. Monica iterum peperit S. Augustini, illi vitam gratiæ procuraus.

Mulier cum parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. Non sine magnis doloribus Monica Augustino suo, quem unice diligebat, alteram contulit nativitatem, vel potius Deus illa usus est, ut hanc illi rursus conferret. Hæc applicatio a S. Paulo probatur: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Optatissimi fi-

filii dicebat ille Galatis, quibus secundo fidem nuntiaverat: Filii charissimi, quos iterum pario, donec Dei Filius perfecte efformetur in cordibus vestris, per gratiam, quam ipse in vobis producit. Deinde satis est illum audire narrantem curas, & sollicitudines suas, labores & persecutiones, quas passus est, ut judicium fiat alteram hanc vitam supernaturalem nobiliorem esse prima, quam a natura recipimus. Parturitionis hujus passiones, atque dolores excedunt illos, quos Matres filium enixæ patiuntur. Sed hoc nemo melius cognoscere potest, quam admirabilis Monica, quæ utrumque partum experta est, & primi dolores nullo in discrimine censuit habendos, cum lacrymæ ejus ubertim emanare in altero non cessaverint. Primi quidem dolores naturalem Matri erga filium amorem immiserunt, quod in aliis etiam matribus vulgo accidit; si verum est, quam nonnulli asserunt, hanc esse causam amoris illius adeo teneri, atque ferventis, qui quodammodo in earum corde infixus inhæret; sed cum Sancta hæc vere Christiana esset, & supernaturalibus ageretur principiis; cogitabat non solum, hunc filium ad Deum potius pertinere, quam ad se, & se illum in lucem prodidisse propter Dominum: verum etiam arbitrabatur primum officium suum esse hunc propter eumdem educare; cumque ipsum ab eo recepisset tamquam hominem, propter benedictionem, qua Deus conjugium illius cumulaverat, existimabat sibi filium Deo reddendum, & esse quodammodo Cælum illi aperiendum, eumque suis documentis, exemplis, sanctaque institutione illuc inferendum.

Quomodo S. Monica fuerit mater Augustini, qui mortuus erat gratiæ.

Mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est. Luc. 11. Peccatoris conversio non minimum est opus Dei: similis est novæ creationi, & resurrectioni hominis, quæ maxime sunt mirabilia divinæ potentiæ effecta. Creatio est, quia educit peccatorem ex nihilo, & ex abysso peccati; hoc etiam nomine illam David appellat: petens enim a Deo conversionem suam, eum flagitat, ut in se creationis miraculum operetur: *Cor mundum crea in me Deus.* Peccatoris conversio est etiam Resurrectio; Scriptura enim dicit animam occidi peccato: *mortuus erat, & revixit.* S. Monica duo hæc magna miracula operata est in Augustino filio suo, facta est iterum mater illius educens illum de nihilo peccati, eumque gratiæ resuscitans. Procul abscesserat, per errores suos perierit; sed Monica pastoris zelo animata, & zelo materno succensa secuta est ovem hanc errabundam, atque fugientem, eamque super humeros retulit in pascua Jesu Christi: *perierat, & inventus est.* Mortuus erat gratiæ, jamprudem tumulatus fuerat, gravissimum scelerum suorum odorem fundebat: *Domine jam fœtet:* sed Monica felix æque ac Martha & Maria merita est resurrectionem Augustini peccatoris.

Lacrymæ S. Monicæ pro filii ejus conversione comparatæ lacrymis quas Filius in cruce effudit pro peccatoribus. *Psalm. 50.*

Cum lacrymis, & clamore valido exaudita est pro sua reverentia. Ad Hebr. 5. Cum Dei Filius peccatorum vices subiens in Cruce, lenire voluit Patris sui justitiam; lacrymas sanguini admiscuit, & duplici hac effusione id, quod cupiebat assecutus est: quippe lacrymæ sunt amoris effectæ, & sanguis cordis sancti, cui Deus nihil negare potest: *Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.* Juges lacrymæ S. Monicæ testes fideles ardentis amoris sui erant sanguis, qui de ipsius corde manabat: *Testantur lacrymæ dolorem, testantur etiam amorem: erumpunt quasi rivuli sanguinis cordis.* Hoc erat cruentum illud sacrificium, quod incessanter offerebat Deo. Poterasne, Domine, non audire cor istud contritum, & humiliatum, Monicam pro me ferentem dolores partus spiritualis, & singulis diebus, noctibusque sacrificantem hunc cordis sui sanguinem per lacrymas suas? & *de sanguine cordis matris mea, per lacrymas ejus diebus, & noctibus pro me sacrificabatur.* Petebat illa a te resurrectionem meam, sciens me mortuum esse, & non oblita te fuisse promeritum resurrectionem peccatorum omnium in cruce per sanguinem, lacrymasque tuas, tuis suis miscebat, ut te cogeret ad me convertendum, atque resuscitandum. Te obtestabatur, ut gemitibus aliqua virtutis fieret accessio per gemitus validos, quos pro nobis Filius tuus emisit in Cruce, quibus nihil negare potuisti: *Cum lacrymis, & clamore valido exaudita est pro sua reverentia.*

Hæc lib. 3. Confess. c. 12.

Ibidem l. 3. confess. c. 7.

Dirupisti vincula mea. Psalm. 115. Monica post obitum Patritii viri sui jure dicere poterat Deo illa Prophetæ verba: Nulla re prohiberi modo possum, quominus sine ulla divisione tota tua sim. Profecto licet Monica sese totam ab ipsa pueritia devovisset Deo, licet illi a teneris unguiculis famulata fuisset; adhuc perfectius sese tradidit ipsi; sed filius ejus Augustinus fuit quodammodo vinculum, & nodus, qui arctius eam conjunxit, videlicet occasio fuit propter quam illi propius inhæret orationibus magis assiduis, ac ferventioribus, jejuniis austeroribus, & uberioribus eleemosynis ad obtinendam filii sui Conversionem, qui majorem nactus libertatem, & vitæ suæ dominium per obitum patris, qui cum seipsum jam convertisset, & Christianæ fidei nomen dedisset, filii flagitia exprobrare non destitisset; qui nactus inquam, plenum dierum suorum arbitrium, & in singulos dies sese pluribus vitiis ingurgitans, nullo habens in discrimine monita parentis suæ, de flagitiis in hæresim, & de morum licentia in carentiam fidei lapsus est.

Monica post Patritii mortem viri sui, petitur se devovit Deo bonis operibus intenta & conversioni filii sui.

Commodavi eum Domino. 1. Reg. 1. Hi pii sunt sensus matris Samuel, cum obtulit filium suum Templo, ex quibus videre est, teneri parentes Deo filios suos commodare, sed cum lucro, & perfectionum augmento. Deus dedit illis filios tamquam homines, & hi fieri debent a parentibus Christiani, Sancti, & Prædestinati. Deus per genitores filiis dedit animam rationabilem; genitores autem debent illos Deo reddere cum animabus per bonam institutionem sanctificatis. Parentes, vos illis dedistis corpora materialia, & mortalia; date illis per curas vestras corpora virtute prædita, modestos oculos, linguam verecundam, membra aliquando gloria, & immortalitate induenda. Facite in illis fœdus duplicis fecunditatis, alterius quidem fecunditatis naturæ, alterius autem fecunditatis gratiarum. His conditionibus Monica facta est S. Augustini Mater, & excepit fructum conjugii sui, ut ex illo deinceps insignem sanctitate virum efficeret.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ S. Augustini de Matre sua.

Quæ referat Augustinus de virtutibus Matris suæ, & de sollicitationibus, quibus angebatur propter filii conversionem.

Qualis illa erat, docente te magistro in schola pectoris? S. August. l. 9. Confess. c. 20.

Erat serva servorum tuorum; si quis eorum noverat eam, multum in ea laudabat, & honorabat eam, & diligebat te, quia sentiebat præsentiam tuam in corde ejus.

Fuerat unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat, in operibus bonis testimonium habebat. Ibidem.

Nutrierat filios toties parturiens, quoties a te deviare cernebat. Ibidem.

Sategit virum suum lucrari tibi; nempe Christo. Ibidem.

Majore me sollicitudine parturiebat spiritu, quam carne pepererat. l. 5. Confess. c. 9.

Mater carnis meæ salutem meam sempiternam charius parturiebat corde casto. l. 1. c. 11.

Per lacrymas ejus diebus, & noctibus pro me sacrificabatur. l. 3. c. 7.

Virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fideli planxit quod in nondum fideli planxerat. l. 9. Confess.

Jam venerat ad me mater fortis pietate, terra, marique me sequens, & in periculis omnibus de te secura. l. 6. c. 1.

Placidissime, & pectore pleno, respondit mihi, credere se in Christo, quod prius quam ex hac vita migraret, me visura esses fidelem Catholicum. l. 6. Confess.

Inter dissidentes, atque discordes quaslibet animas, ubi poterat se prabebat pacificam. l. 9.

Alteri de altera nihil prodebat, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Ibidem.

Quantum ad me attinet, fili, inquiebat, nulla re delector in hac vita, quid hic faciam adhuc, & cur hic sim, nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Ibidem.

Unum erat, propter quod in hac vita aliquantulum immorari cupiebam, ut te Christianum Catholicum viderem, priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut contempta felicitate terrena servum ejus te videam. Ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in Argumento valeat hauriri.

Cur Deus conjugium instituerit, & quænam sint eorum officia, qui ad statum hunc evocantur, quod a S. Monica dici potest.

DEi Consilium in fœderibus sanciendis, quibus mortales invicem conjunguntur, & ex quibus familiæ coalescunt, longe aliud est ab humanæ politicæ rationibus. Humana politica respicit tantum temporalem rerum publicarum utilitatem, quæ alioquin stare non possent: Deus vero potissimum intuetur augmentum Civitatis Sanctorum, juxta S. Augustini verba; vel Cælestis Jerusalem, pro qua ea omnia fecit, quæ omnium sæculorum lapsu prodierunt: *Omnis hæc temporis dispensatio propter nostram salutem facta est.* Ita mulier, quæ Dei consiliis obsequi vult, & fieri mater vere Christiana, se ipsam debet sanctificare, incessanter invigilando sanctificationi, & viri sui, & filiorum, quos illi cælum largitum est. Super solido hoc principio, S. Monica vitæ suæ rationem instituit; & quemadmodum noverat, se quatenus conjugem subditam futuram esse, & quatenus matrem obtenturam esse auctoritatem, intellexit, quin extra duplicis hujus characteris cancellos egrederetur sibi duplici via longa alia sibi vacandum esse, & Patritii conjugis sui Sanctificationi, & Augustini filii sui Conversioni, sibi, ut Sponsa fieret vere Christiana, alterum sanctificandum esse per omnem patientiam, quam eidem inspirare poterat subjectio; atque ut mater esset vere Christiana, sibi adhibendam esse omnem eam sollicitudinem pro filii sui Conversione, quam auctoritas ipsi permittere poterat.

Docet

Digitized by Google

Viri felicitas qui bonam uxorem nactus est

Docet nos Sapiens, virum; *qui invenit mulierem bonam, invenisse bonum*, ut intelligamus felicem hanc electionem plura secum involvere bona non solum pro tempore; sed in omnem æternitatem profutura; quod non vereor in ordine vitæ urbanæ quamdam velut primam gratiam appellare. Quamobrem S. Paulus testatur crebro accidere, quod *vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem*. Conjugium S. Monicæ cum Patritio fuit huic fons gratiæ, & causa prædestinationis; & Sanctæ nostræ fuit illi tamquam Prædicator, atque Apostolus, quia posuit gratiam in labiis suis, ut illam in conjugis sui pectus infunderet. Ratio ex duplici capite desumitur, ex obligatione, quam Sponsæ qualitas, mulieri Christianæ imposuit procurandi viri sui sanctificationem, & mediis, quæ in ipso conjugii sui statu adinvenit, ut consilium hoc exequeretur.

1. Cor. 7.

Preces, & lacrymæ S. Monicæ fuerunt causa conversionis filii sui.

Theologia tres magnas veritates nos docet: quarum prima est, ad insignem peccatorem convertendum opus esse non vulgaribus gratiis, sed gratiæ miraculis, ut olim ad S. Paulum convertendum; Altera Deum communiter loquendo eas orationibus tantum concedere, quas Sancti pro peccatoribus effundunt. Hoc medium est, ad hunc finem coordinatum. Ita, S. Augustinus ait, gratia, quæ S. Paulum convertit, fuit effectus orationis S. Stephani. Tertia veritas est, Deum parentum precibus potissimum concedere gratias necessarias ad filiorum conversionem, atque salutem. Cur? quia petunt ex officio tamquam causæ ad filiorum suorum prædestinationem constitutæ; & Deus facilius exaudit preces, quas ad hunc finem effundunt. Ex hoc principio arguimus, preces & lacrymas S. Monicæ causam fuisse conversionis S. Augustini; quia illa impetravit a Deo miraculosam hanc gratiam, qua factum fuit ut triumpharet de illius peccato, & filii conversio magnificentissimum esset elogium quod ad parentis hujus gloriam posset afferri.

Quinam sit conjugii finis in mente Dei.

Cum nemo unus inter Christianos ignoret, quinam sit finis conjugii, & quodnam fuerit consilium Dei illud in ipsis Mundi primordiis instituentis, videlicet sibimet filios acquirere, & Ecclesiæ suæ, quam Salvator deinceps erat instituturus: hac mente parentes quoque liberos suos educare tenentur, ut postquam illis naturalem vitam largiti fuerint, procurent aliam moralem, atque Christianam, ut illos adducant in viam salutis; ita enim, quemadmodum cum S. Paulo diximus, se ipsos salvos facere poterunt. Altera autem hæc vita, quam filiis suis parentes debent procurare, non est similis priori, quæ in instanti, & tota simul communicatur; sed hæc multum requirit temporis, multum curarum, sollicitudinum, & sæpe etiam magnos sumptus atque labores. Sed per has eadem curas, atque labores, parentes se ipsos debent sanctificare. Monica profecto hanc magni momenti obligationem intellexerat, & licet naturæ vox non satis illam hac de re edocuisset, præceptum, quod proposuit Deus omnibus Christianis per os Sancti Pauli infidelibus deteriorem affirmantis eum, qui huic deest officio, & sensus pietatis, quibus erat imbuta, procul dubio ad illud explendum impulissent: & enixe concupiisset sese omnino devovere Deo in perfectiori statu, quam conjugio; verum se in hoc implicitam videns per ordinem Providentiæ filium ejus deinceps convertere volentis in gravissimum Ecclesiæ Doctorem, secuta in omnibus est Apostoli præceptum, quin cor suum Deum inter, & mundum in educatione filii sui Augustini partiretur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Matrimonii Sacramenti institutum ad Sanctificationem parentum, & familiæ.

QUi ad conjugalem statum vocati sunt, ex Monicæ exemplis discere possunt, quomodo status hic queat consecrari. Hoc gratiæ Sacramentum est, hoc medium Salutis, cui illorum annexa est prædestinatio. Ita debent amorem suum ad supernaturalem ordinem attollere, mutuo ad utriusque salutem cooperando. Monicæ persuasum erat de hac veritate. Nupserat illa quidem viro nobili, cui tamen duæ pravæ inerant qualitates, quæ conjugii felicitati, & sanctitati adversari videbantur. Religione infidelis erat; moribus autem & ingenio violentus, & iracundus. Quam monstruosæ nuptiæ infidelis cum Sancta? Leonis cum columba? Quis credidisset unquam connubium hoc aliquando felix Monicæ futurum? Quis sibi non persuasisset eumdem diem, qui huic puellæ virum dedit, daturum quoque illius tranquillitati tyrannum, & fortasse fidei ejus tentatorem? Tamen divina Providentia, quæ in cælo matrimonia constituit, antequam in terris celebrentur, huc ita disposuerat, ut faceret veluti duplicem gratiæ communicationem: nam pravum ingenium, & infidelitas Patritii fuerunt argumentum patientiæ, & zeli Sanctæ nostræ; sed hæc patientia, & hic Monicæ zelus fuere medium conversionis, & salutis Patritii. *Biroat.*

Qualis esset vir, quem Monica duxit idolorum cultor, & flagitiosus non secus ac Dii quos venerabatur.

Non sine peculiari divinæ Providentiæ numine Monica nupsit Patritio, qui longe ab illius moribus abhorrebat. Patritius mancipatus erat Ethnicis superstitionibus, quarum contemptibiles reliquiæ vigebant adhuc propter fortium quorumdam spirituum pertinaciam, qui sibi gloriæ vertebant aliorum viis non insistere: & Monica ab infantia sua in Christiana religione alita, & educata fuit, quam illius parentes profitebantur, & quam vitæ suæ sanctitate decorabant. Patritio inerant deorum, quos colebat, vitia; & juxta S. Cypriani phrasim, tantum aberat, quod ea vitia putaret, ut haberet illa tamquam virtutes exemplis deorum consecratas: *Fiunt miseris religiosa delicta*. Hinc ejus impudicitia, ac furor, quibus maxime obnoxius erat, teste Augustino. In Monica omnes florebant virtutes, quas Christiana Religio inspirare potest mulieri; sed præsertim modestia, & lenitas eminebant. Ullane fuit unquam major cultus in duobus conjugibus disparitas? Attamen, Deus, tu illos alterum pro altero fecisti; Voluisti, ut Patritii mores Monicæ patientiam exercerent, & Monicæ patientia Patritii flagitia corrigeret; talis enim est ratio Providentiæ tuæ in confusione bonorum, & malorum, qui simul in terris versantur: *Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per eum bonus exerceatur*. *P. Martineau.*

Dolor, & molestia vivendi cum viro infideli.

Patritius, quemadmodum animadvertimus, Ethnicis infectus erat superstitionibus, & iis implicitus flagitiis, quæ errores illi parere poterant. Infidelis Deo suo, infidelis etiam erat uxori, & cum alteri minime obsequeretur, nullam alterius rationem habebat. Quodnam patientiæ hoc erat in Monica experimentum! Acerbius est præter quam quod existimetur, arctissimis conjungi vinculis cum iis, quos profanus cultus a Domino secernit, cum eorum præsentia semper oculis nostris exhibeat imaginem injuriæ, quam inferunt illi, donec amor erga ipsum efficit, ut propter eamdem gravissimo dolore conficiamur. Verum quidem est Monicam non ignorasse uxorem fidelem esse posse instrumentum, quo divina utitur misericordia secundum S. Pauli doctrinam ad virum infidelem sub fidei jugo cogendum; verum noverat etiam patientiam tutissimam esse viam, qua ad hanc gloriam pervenitur; omnia in discrimen vocari, cum trahi sinimus zeli nimium ardentis, ac festinantis motibus; correptiones importune adhibitas acrimoniam, atque pertinaciam relinquere in illis, quos in saniorem partem studemus pertrahere; ac demum nunquam efficacius Evangelium persuaderi, quam cum bona fide exercetur coram illis, qui oculos luminibus illius aperire detrectant. Intelligebat quoque hæc axiomata vera quidem esse erga illos, quibus debetur reverentia, & quos auctoritas sua magis sensibiles, ac delicatos reddit; convicium passim putant licentiam, quam sibi aliquis vindicat illos erudiendi de veritatibus, quas oderunt. Hæc causa fuit, S. Augustinus ait, propter quam Monica inlit consilium Patritii erroribus bellum inferendi, non quidem sermonibus, qui illi possent displicere, sed factis, quæ illum erant ædificatura, simul concilians ea omnia, quæ & reverentiæ erga virum suum, & ejusdem conversionis desiderio debebat: *Tradita viro, servivit ei, tamquam Domina: & lucrata est eum lucrari tibi, loquens de te illi moribus suis. Pater Martineau.*

Quo animo affecta videret viri sui injustitiam & infidelitatem, & qua patientia hanc ferret injuriam.

Quid dicam de patientia, qua Monica perferebat injustitiam, quam conjugis sui licentia illi inferebat? Hoc notis: delicatissimum eorum negotium, qui legitimi fœderis vinculo conjuncti sunt est, sine divisione ulla invicem gratiam possidere. Minima quæcumque labes huic interferitur rei, nunquam deest, quominus in altero pariat suspiciones, zelotypias, quæ velut per gradus adducunt ad murmur, ad simultatem, ad gravissima dissidia. Monica quidem non omni sensu carebat injuriæ sibi illatæ: ægre vidit flammas illegitimas succensas in eo corde, quod nonnisi ipsius ardore incalescere debuerat; & uxor pudicissima, modestissima, & fidelissima earum quotquot sunt, fuerunt, erunt, non ignorabat sibi jus esse potius, quam alteri culpiam reciprocam adhæsionem a viro suo repetendi. Sed nunquam minus fuit patiens in sustinenda, quæ sibi inferebatur, injuria, quam esset in eadem cognoscenda oculata. Domine ajobat illa dirigens suspiria sua ad Deum, cui uni angustias cordis aperiebat in secreto orationis suæ: Patritius nondum est tuus, & illum sustines: æquum ne esset, ut ego obsequerer dolori, quem ejus in me infidelitas parere potest, cum ille sanctissimis legibus tuis sit rebellis, ac surdus naturæ universæ, quæ illum urget, ut te veneretur, & colat? Thus adolet idolis, quæ cæca superstitio tuis invexit altaribus; egone succensere debeo, eo quod aliis dispertit amorem suum, quem mihi totum promiserat? Numquid jura tua meis non sunt sanctiora, & minime temeranda? Si pateris, patienterque sustines eum suis erga te officiis deesse, nonne æquum est, ut illatam mihi injuriam dissimulem, tranquille illud expectans momentum, quo jus tuum tibi reparandum est, ut videam injuriam, qua ego afficior, simul reparari? Hujusmodi erant Sanctæ Nostræ sensus, teste filio ejus Augustino: *Ita toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet simultatem: expectabat enim misericordiam tuam super eum, ut credens in te castificaretur*. *P. Martineau.*

S. Monicæ prudentia in corrigendo pravo ingenio viri sui.

Monica recens in novum hunc statum integra, facile illius munera, labores, ac pœnas assecuta est: Primum quidem viri sui ingenium explorare studuit. Impudicitia, & iracundia dominabantur illi; quorum alterum

Digitized by Google

dissimulatione, ac patientia corrigere, alterum vero modestia ac lenitate sua frangere adnisa est. Licet iracundus, ac violentus esset Patricius, Monica iniit consilium, ne aperiendi quidem os suum, ut responderet irato; voluntates illius prævertere, & ea omnia, quæ viro placitura credebat, occupare satagebat. Cum quædam adolescentulæ ex necessariis suis cum illa clanculum conquererentur de injuriis, quas a viris suis perferebant: cavete, dicebat illis, ne culpa vestra illas prometeamini: nihil ad extinguendum ignem iræ, & ad mulcendum morosum viri ingenium aptius est, quam silentium obsequens, quam otis habitus humilis, & serenus, quam uxoris patientia, lenis & perseverans. Obsequium viris nostris debitum non patitur, ut illis obsistamus; matrimonialis contractus semper onerosus est, nobisque irrogat necessitatem, sustinendi patienter eorum vitia. Si sciretis tacere, plurimas vobismetipsis curas ac molestias eriperetis. Sapientibus hujusce monitis cura illius respondebat. Licet iracundus, ac furens esset Patricius, illum patientia sua, & lenitate mulcebat; sibique conciliabat Monica. Suis attenta muneribus domesticæ rei invigilabat; pietatis exercitia, & familiares curæ totum illius tempus occupabant; operum cessatio in orationibus impendebatur, & quamprimum nacta est consolationem vivendi, quod in domo, quæ tota fere Ethnica erat, spiritus omnino Christianus dominaretur. Socrus illius nurus suavitate illecta hanc delicias suas esse duxit. Monica brevi totam civitatem in sui admirationem arrexit: nonnisi de pace, quæ penes illam erat, fiebat sermo, & hæc fama tantam illi comparavit celebritatem, ut per sapientiam suam evaserit litium omnium arbitra, omniumque familiarum pacatrix. *P. Croiset in Exercit. Ascetic.*

Quanta fuerit S. Monicæ patientia, & quæ illius exercendæ occasiones.

Necesse non est, ut multa loquar, ut intelligatis, quantum Sanctæ nostræ molestum fuerit vivere cum hujusmodi viro, qualis erat Patricius. Quænam crux, nonnunquam esse dicitur, debere morem gerere illi, qui nonnisi suæ paret libidini, suisque indulget cupiditatibus! Huic, quantum fieri potest, obsequi, atque ad unguem in omnibus placere velle illi, qui elatus, & durus est tibi! Inquirere ea omnia, quæ jucunda possunt accidere, te mortificare satagenti; & jugiter ob oculos habere objectum, quod amare teneris, tunc etiam cum vitæ suæ asperitate, ac rusticitate odio tuo digniorem se præbet? Hoc tamen in statu plurimos annos Monica versata est. Patricio, S. Augustinus inquit, satis bonus erat ingenii fundus, sed fundus hic prava educatione fuerat corruptus. Ita, vehemens illa animi perturbatio, quam exasperant remedia, correctiones irritant, & contradictiones alunt, & muniunt; cæca illa cupiditas, quæ se ipsam dumtaxat audit, quæ pro se jus, ac rationem stare semper credit, & quæ nonnisi male merenti gratiam confert; ita, inquam, in Patricii animo dominabatur. Ne putetis, a me hoc loco vobis describi mala, quæ illa pariebat; neque enim Satyrico sale virum perfundere meum est, sed illius Sanctæ Uxoris elogium texere. Quomodonam hæc se gessit tot in occasionibus, quæ perturbassent, parum est, quæ ad extremum redegissent tot aliorum patientiam? Modestum, & obsequens silentium tota erat Monicæ defensio, silentium, quo suffocabat omnes exprobrationes, quas ingerere potuisset in eum, qui causa erat dolorum suorum, & omnes querimonias, in quas erumpere potuisset apud eos, a quibus solatium aliquod expectare potuisset. Cum illo tunc tandem loquebatur, cum in se reversus erat, & cum jam placatus cognoscere posset errorem suum; neque cum aliis verba faciebat, nisi ut eas domestica infortunia perferenda hortaretur ea animi mediocritate, quæ suam imitaretur. Ita, Domine, Patricii scelera Monicæ patientiam exercebant; quæ quidem pars erat consiliorum tuorum; sed volebas etiam, ut Sanctæ hujus fœminæ patientia Patricii flagitia corrigeret. *Pater Martineau.*

S. Monica tandem lenitate sua viri sui conversionem operatur.

Nemo unquam melius, quam S. Monica ostendit verum esse illud Filii Dei verbum, patientiam eos fructus producere, quos ex fidelibus expectat, summa spiritus æquabilitate sustinens viri flagitia, quæ ipsa corrigere non poterat. Ea tandem correxit, & Patricius illectus uxoris suæ suavitate, ac virtute, non potuit amplius dubitare, quominus illa esset in bona Religione, agnovit errores suos, eosque detestatus est; factus est pudicus, modestus, temperans, & Sancta nostra tandem hoc gaudium consecuta est videndi illum suæ pietatis imitatorem, quam adeo pertinaciter impugnaverat inhærendo ethnicis superstitionibus suis, sese subjicientem juribus, quæ per suam vivendi licentiam violaverat; aliquid conferentem quieti illius, quam suis furoribus turbaverat. Denique ille errores suos confessus, eosque est detestatus, & perfecte in fide eruditus salutari lavacro ablutus fuit. Quodnam fuerit Monicæ gaudium, ubi vidit conjugem suum in Christifidelium albo recensitum, quis dicendo potest complecti? Magna pietatis exempla, quæ illi jampridem præbebat, effectu non caruerunt. Patricius factus est lenis, humilis, castus, & timens Deum, & dicere possumus, Monicam tandem consecutam fuisse triumphum, qui eidem tanto steterat pretio. Si opera nostra, S. Joannes Chrysostomus inquit, essent opera

De admirabili S. Monicæ vivendi ratione.

lucis, nubes fatalis; quæ peccatoras excæcat, quam cito dissiparetur, & lucis hujus ope detegerent veritates, quas ignorant. Hoc Patricii conversionem peperit. Sanctæ conjugis patientia illum ita perstrinxit, ut oculos tandem aperuerit; & rectus sensus, quem a natura acceperat cupiditatibus incipiens prævalere, sine alia doctrina, intellexit Religionem, quæ adeo generosos sensus poterat inspirare fœminæ, quæ sexus sui ratione habita valde infirma esse debebat, esse non posse, nisi opus Dei. Intellexit, uxorem, a qua tanta diligebatur constantia, cum ipse illam nullo in discrimine haberet, vere mereri amorem suum. Intellexit tandem virtutem, quæ nunquam inter tot dolorum, curarumque causas defecerat, exigere abs se omne genus obsequii; & ille rubore suffusus, quod tandiu in suis criminibus vixerat, festinavit ingredi vias justitiæ illa duce, quam tot annos neglexerat. *Idem.*

Talis esset consolatio vestra, mortales, qui æternum de illis conqueri audimini, quibus fidem vestram obligastis per vinculum Sacramenti, quod ab Apostolo *magnum* vocatur *in Christo, & Ecclesia*; talis esset consolatio vestra, si uti scireris iis rationibus, quas potentia vere Christiana Monicæ suasit, quin erumperetis in eos impetus, ac furores, qui æque & stuporem, & scandalum mortalibus inferunt. Suavissima pace frueremini, & super eas procellas, quæ semper vestra augentur impatientia, videretis tranquillissimam oriri malaciam; nam ubi funestorum horum furorum origo reperitur, nihil aliud quod passim in sæculo usuvenit, juxta tristem Salvatoris prædictionem, occurrit nisi castitas languens eo ardore vacua, quo alias erat succensa, furores, qui separant, quod conjunxerat Deus, & nodos infringunt, quos ille concluserat: quid invenitur, nisi nugæ perperam exaggeratæ, zelotypia nimia, præceps responsio, importuna correctio, tepor neglectus? Hinc simultates, contemptus, acerbitates, odia. Ubi ita mortales affecti sunt, omnia displicent, omnia lædunt, omnia negotium facessunt. Ut temet probes, ab altero conjuge jus, ac rationem abesse putas; & quod re adhuc integra levis momenti censetur, nonnunquam illuc procedit, ut putes penes te rationem adesse seorsim vivendi; & si aliquam externam speciem exciplas, quæ urbanitatis causa servanda est; nihil est, quod tibi non licere arbitreris. Longissime abfuit Monica a minima hujusmodi labe, & si ulla unquam in illa hujusmodi imbecillitas fuit, hæc haberi potest pro sublimi virtute earum, quæ sunt in eodem statu implicitæ. *Idem.*

Monica post Patricii viri sui conversionem Augustinum filium suum convertere adnisa est.

Dicere possumus Patricium primum fuisse Monicæ triumphum; sed illi alterum Ecclesiæ longe utiliorem reservabat Dominus in persona filii sui Augustini; qui natu major erat inter filios, & cujus conversio plurimis matri lacrymis stetit. Pia hæc mater perfecte cognovit qua cura illam persequi deberet, eamque ad se unam pertinere, homo enim ollius generis, qualis vir ejus erat in Ethnicæ superstitionis tenebris educatus, quin unanimi cum illa conflatoque consensu ad hoc adeo laudabile consilium operam adderet, facilius corrumpere potuisset felix ingenium Augustini, in quo illa admirabilem deprehenderat mentis, ingenique vim, & perspicuitatem supra ætatem, ac ingenium superius, quod spem eidem injecerat futurum, ut in magnum virum evaderet, si sibi e voto contigisset, ut illum ad virtutem converteret. Sollicitis sanctissimæ parentis curis non statim obsecutus est Augustinus; re enim vera, exempla, ac instituta patris ardenti, & ambitioso ejus ingenio magis conformia quamprimum pertraxerunt illum in libidines, & in effrænis adolescentiæ licentiam. Heu! quodnam tristitiæ doloriſque argumentum huic matri, quæ nulli pepercerat curæ, ut piam daret educationem filio, quem unice diligebat, tamquam christiana mater, cui animæ salus erat antiquior, quam fortunæ licet amplissimæ magnitudo. Conscientiæ testimonium nihil bibebat quidem, quod illi exprobrarete hac in re, & illam ab omni culpa vacuam probare poterat coram Deo, & hominibus; non autem dispensare eam poterat quominus persisteret ingeminare curas pro filio, fusque apud Deum deprecationes. Præcepta, exempla, monita, minæ, pollicitationes, blanditiæ, omnia suo tempore, & loco tentata sunt; & nihil illa prætermittit eorum, quæ aliquam efficere poterant impressionem in animo adhuc tenero Augustini; & Augustinus fortasse cui optima erant studia, inter aliquot parva ex eo tempore matris instituta fuisset secutus, nisi paterna exemplis, & externa consuetudine roborata prævaluissent. Nam præterquamquod impressionem, quam mali exemplum efficit in filiis, jugis & efficax est, naturæ quoque accedente corruptione, quæ ultro in vitium cerea est, communitur. Verum quid ergo? Inutilesne erunt; ac omni fructu carebunt assiduæ curæ, constans attentio, monita salutaria? Hæc extitit causa primorum Monicæ dolorum; funesta videlicet experientia cognoscere, filios potius vitia parentum sequi, quam ex eorum virtutibus proficere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Augustinus propter magnum ingenium rate

Magna talenta, quæ Augustinus ab ipsa natura sortitus fuerat, facilem illi poterant aperire viam ad amplissimas in mundo dignitates. Spiritus reipublicæ, qui

apud

gnamque mentem in mundo nitescere potuisse.

apud Romanos diutissime viguerat, nondum extinctus erat, & eloquentia validus adhuc titulus erat, ut quis ad primas Imperii dignitates eveheretur. Augustinus suam cum populorum plausu ostentabat, & in Cæsaris aula jam notus famæ celebritate eo usque pervaserat, ut ad Panegyristæ Cæsarei munus eligeretur; cumque excelleret spiritu ad hæc maxime idoneo, non injuria spem hanc alere poterat futurum, ut adeo fausta principia illum ad majora promoverent. Sed hæc omnia mundi bona, quæ filii spem fovent, matri ejusdem solatium afferre non possunt. Quicunque gressus extra salutis viam profertur, illam gravissimis torquet doloribus, dolores partus exæquantibus. *Toties eum parturivit, quoties a Deo deviare cernebat.* Quot aliæ id patienti, & æquo sustinuissent animo, non expertæ amaritudinem, quam in matris corde gignere debet libido filii in omnem licentiam effusi? quia nimia cum voluptate gustassent blanda orientis fortunæ principia. Sed Monica cognoscebat & officium, quod maternitas ex illa quærebat, & auctoritatem, quam eadem sibi conferebat. Illi persuasum erat, alterum quidem magnum requirere zelum pro Augustini Sanctificatione; alterum vero permittere, ut zelo suo omnem servorem, quem habere poterat, adjiceret. *P. Martineau.*

S. Monica post obitum viri sui bonis operibus se totam adjungit & filii instituendis.

Sancta Monica post viri sui obitum incubuit ad eas sibi comparandas virtutes, quas S. Paulus in Viduis requirit. Solitaria, mortificata, reliquis creaturis quodammodo invisibilis, dies suos traducebat in bonorum operum exercitationibus, omnesque curas suas impendebat in filiorum suorum, præsertim vero Augustini institutione; acre enim hujus ingenium efficiebat, ut illa omnia metueret; quippe objurgationes vim non habebant cohibendi impetum ardentis naturæ, neque illius propensionem in omnes libidines. Magno quoque mœrore confecta fuit, ubi audiit illum in Manichæorum errores incidisse, qui impudicitiæ, ac licentiæ morum favebant. Non cessit tamen, & jugiter a Deo jejuniis, precibus, & eleemosynis, omnibusque bonorum operum generibus petens filii conversionem, cujus salus erat illi curæ, illum admonere non cessabat, ne vitiis sese ingurgitaret. Augustinus suis tantum cupiditatibus obsequebatur; matris optimæ lacrymæ illum quidem movebant, sed inordinatæ juventutis inordinatum ignem non extinguebant. Illa has noctu, & interdiu fundebat coram Domino, ut illius misericordiam erga filium inflecteret, & precibus suis consociabat gravissimas austeritates; sed voluit Deus, eam diu omni consolatione, & spe carere. Omnes Monicæ labores erant inutiles; prava Augustini studia prævaluerunt monitis matris suæ; ubi adolevit ætate, omnibus se voluptatibus, erroribusque mancipavit, & in mali tanti accessionem simul factus est hæreticus, & impudicus. Transegit inter hæc flagitia suam adolescentiam, & virilis ætas, quæ sæpe alios corrigit, Augustini mala deteriora, & propiora periculo reddidit. Perversi ejus affectus in illius anima pepererant habitus pravos; hi adeo onerosas catenas effecerant, ut illas gestare non posset, & adeo fortes, ut illos non posset amplius infringere. Incedebat tanquam mancipium post Dæmonem de illius libertate triumphantem, cumque non haberet amplius nisi leves cogitationes, & invalida conversionis desideria, omnem ejusdem spem auferebat illis, quibus cognitus erat. Monica interea lacrymis manabat, emittebat suspiria, jugesque fundebat Deo preces pro filii salute. *P. Croiset in Exercit. Asceticis, & P. Senault Oratorii.*

Quo dolore confecta fuit Monica videns filium in omnem licentiam effusum, & in hæresim lapsum.

Quodnam recens doloris, atque tristitiæ argumentum Monicæ fuit videre filium tanta cura educatum, a doctissimis Præceptoribus excultum in errorum, vitiorumque abyssum prolapsum; cujus mens hæreti. & cor nequissimis cupiditatibus corrupta de tenebris in tenebras, de præcipiti ruebant in præceps; quemadmodum ille in confessionibus suis confitetur. Heu! quid? Numquid tot ego sollicitudinibus acta sum, ad fidei rudimenta filio tradenda, ut illum mox omnes fidei sensus jugulare conspicerem? Num in Ecclesiæ sinu eum alui, ut ejusdem fieret persecutor? Num illum de veritatibus adeo Sanctæ Religionis erudivi, ut aliquando illas tanta pertinacia impugnantem viderem? Si illum præmaturæ morte in ipsa infantia mihi raptum vidissem, Divinæ Providentiæ consilia adorarem, eo quod illum mihi abstulisset fortasse in meam utilitatem, & ut me a terrenis rebus omnibus divellerer: sed illum extra Ecclesiam videre, cogitare me sinu meo illum gestasse, qui non videtur natus, nisi ut illam impugnaret; intueri illum, quem ad majorem Dei gloriam educabam, contra Deum ipsum vexillum attollere, & illius infestissimum hostem evadere; hoc mihi omnem aufert consolationem. O Deus! Numquid me superstitem vis; ut fiam exemplum patientiæ in gravissimo dolore, quo matris cor confici valeat? Tales erant querelæ, ac sensus piæ matris, quæ in jugi cordis amaritudine trahebat animam. Hactenus fleverat filii flagitia, tanquam hominis in omne nefas ruentis, & sperabat, ætatem aliquam allaturam esse medicinam: sed illum modo luget tanquam hæreticum; cum enim mens illius non minus esset perversa, quam cor; nullam habebat amplius spem, nisi in Dei misericordia, quæ una illum ex abysso poterat revocare. Quomodo rem non recedebat amplius a Templis, & altaribus, ad quorum pedes juge offerebat sacrificium precum, ac semet offerebat tanquam victimam, ut averteret Dei iracundiam, quæ non poterat severius in hac vita in Augustinum animadvertere, quam illum tradendo in desideria cordis, & in errores mentis ejusdem. Verum dici quoque potest, quo magis filius suis criminibus fœdabatur, eo magis matrem sese lacrymis expiasse, quo magis ille per vitium, erroremque a Deo recedebat; eo magis illam ad Deum accessisse per inconcussam confidentiam, vivamque fidem: quo magis filii Charitas tepescebat, eo teneræ Matris charitatem inflammatam fuisse, quia dolor ejus effectus erat zeli similis illi, propter quem tabescebat Propheta: *Vidi prævaricantes, & tabescebam.* Ipsa etiam jejunia, quæ servabat, & eleemosynæ, quas erogabat, quantum vires suæ pati poterant, non alio spectantes, nisi ad conversionem peccatoris, purissima charitate animatæ erant; & ita pia hæc vidua se ipsam sanctificabat, Deum pro filii sui salute, & conversione sollicitans. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Ex quo S. Monica vidit Augustinum in vitiis & Manetis erroribus demersum, non cessavit cœlum urgere pro illius conversione.

Ex quo Sancta Vidua vidit filium in interitum ruere, & corruptæ naturæ suæ cupiditatibus parere, illum plorare cœpit, & lacrymis suis suscitare adnisa est, qui per peccatum sibi mortem conciverat. Nulla temporis momenta siccis traduxit oculis, & viginti annorum spatio, vel præter omnes parturientis dolores sustinuit. Quod martyrii genus, seu illius vehementiam, seu diuturnitatem spectemus! Augustinus semper peccat, & Monica sine ulla patitur intermissione. Novis criminibus irritat Deum; illa vero recentibus lacrymis Deum mulcere conatur, & monita suis fletibus addens de tumulo studet eruere illum, qui in peccatis alte sepultus erat. Quot doloribus stetit impudicus hic filius matri suæ! quot suspiria frustra in cælum emisit, ejus conversionem impetratura! quot cruciatus passa est, ut pertinaceem hunc mortuum revocaret ad vitam! Pietas sua illi inexhaustum lacrymarum fontem suggerebat: cor ejus dolore saucium jugiter ex oculis ejus manabat: & per sacrificium hoc innocens, ac triste satagebat expiare scelus filii sui, & Dei sui lenire iracundiam. Curæ, quibus pia hæc mater afflictabatur, lacrymæ, quas fundebat, suspiria, quæ in Cælum ejaculabatur ad petendam a Deo filii sui conversionem, nullum habebant finem. Nullum erat templum, quo non se conferret oratura, nullum altare, ubi illius justu Sanctissimum non offerretur Sacrificium ad eundem finem, nullæ Sanctorum Martyrum reliquiæ, a quibus auxilium non poscceret. Ad Sacerdotes, & Episcopos confugiebat, ut negotium hoc illorum precibus commendaret; ita ut dici possit post tot motus, quibus dies noctesque se exercuit pro conversione Augustini, si tandem voti damnata fuit, hoc proculdubio suis curis, lacrymis, atque suspiriis debere. *P. Senault Oratorii, & Bireat.*

Quamvis illa perfecte in Deo confideret, nullam neglexit humanam artem ut votorum summam consequeretur.

Sancta nostra ita in Cœlesti auxilio confidit pro filii sui conversione, ut tamen nullam humanarum artium intentatam reliquerit, quæ illi occurrebant, ut voti damnaretur. Omnes aditus cordis ejusdem exploravit, ut aliquod vitæ verbum, inferret, quo sese tandem colligeret. Illum misit ad omnes qui sanctitate, ac doctrina præstabant, ad illos quidem, ut retraheretur a sordibus criminum, ad hos vero, ut ab erroribus revocaretur. Parum interesse putavit, unde fieret exordium; sibi enim persuadebat fore ut si emergeret ex libidinum cœno, vitamque magis frugi vivere posset, quamprimum abdicaturum esse pertinaciam, qua mordicus opinionibus suis inhærebat; & vicissim, si ad fidem revocari posset, quam primum voluptatibus extremum vale dicturum. Nam sicuti fides, & nefarium vivendi genus diu simul esse non possunt; ita vera virtus non potest diu simul cum pertinacia contra fidem commorari. Hac de causa Augustinum hinc modo, modo illinc aggreditur, procurat illi sanctissimorum, doctissimorumque virorum conversationem, sperans eorum exemplis, & sermonibus commoveri posse, eo usque, ut insignis Præsul ab eadem exoratus, ut cum filio ejus iniret necessitudinem; non nisi prophetico afflatus spiritu dixerit: *Consolare, mater afflicta; fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat*; quod ipsum confirmatum fuit suavissima visione, quæ illi filium suum sub eadem lege in qua ipsa erat repræsentavit. *Lib. 3 Conf. c. 12.*

Timor, ac dolor quo confecta fuit videns filium hunc in extremis laborantem coelum ire. Illum Ecclesiæ inimicè obiturum.

Cum libidinosus hic filius in morbum incidisset, pia mater preces, lacrymasque suas ingeminavit; cælumque votis, atque suspiriis fatigavit, ut vi eorum peccatori huic corporis valetudinem largiri debuerit. Tantum hoc miraculum illi fuit veluti pignus quoddam salutis filii sui, sibique pollicita est futurum, ut quandoquidem Deus illi corporis valetudinem bonam reddiderat, animæ quoque salutem redderet. Sed quis assequi dicendo possit dolores extremos, quos Monicæ peperit timor mortis Augustini, dum morbo conflictaretur; & quo mœrore obrura fuerit, ubi cogitavit illum hoc in statu moriturum, & in nullam reditus spem animam, & corpus perditurum? Mutuemur verba filii sui, ut illius sensus explicemus; ingrediamur in Monicæ cor, ut aperiamus æquissimos ejus terrores, quibus Augustini sui interitum pertimescebat: *Hoc vulnere si feriretur cor matris, nunquam sanaretur: nam majore me sollicitudine parturi-* *Lib. 5. Conf. c. 6.*

Digitized by Google

parturiebas spiritu, quam carne pepererat. Fateor, Domine, si mihi vitam ademisses eo tempore, vulnus, quo matris meæ cor fuisset sauciatum, nullam passum fuisset medicinam; neque sustinuisset illa dolorem, propter quod elata fuisset. Scis enim Domine illam me parturiisse spiritu majori sollicitudine, ac dolore, quam me pepererat carne, & illi nihil antiquius fuisse, quam me videre ex erroribus, & impudicitiis meis emergere, ut ad officium, Ecclesiamque tuam tandem aliquando redirem. *P. Senault Oratorii*.

Fructus quos nupta retrahere possunt ex Monicæ curis pro filiorum educatione.

Monicæ ad filium suum monita magno esse possunt exemplo patribus, matribusque pro filiorum suorum educatione. Vos, quorum Deus thalamis benedictionem contulit, ex cura, quam gessit Monica Augustini sui, discite, quænam a vobis gerenda sit filiorum vestrorum. Ne credatis Deum hic vos benedictionibus cumulasse, ut vestris satisfaceret cupiditatibus, sed ut gignatis Sanctos; fidelitati vestræ Divina Providentia eorum salutem committit, eorumque prædestinationem. Vult Deus ex hoc filio Augustinum efficere, sed vult vos quoque ad eundem finem cooperari. Precibus autem potissimum ad opus hoc cooperari potestis; hoc enim pacto Sancta Monica Augustinum suum salvum fecit. Satis curam geritis filiorum vestrorum, non abnuo; sed ut illos in sæculi vanitatibus eruditis, atque ut in mundi viis ambulent. Matres docent filias suas officiosa verba; urbanitas quidem vituperanda non est, sed optandum esset, ut illæ nonnunquam de Deo colloquerentur, & satagerent, ut filii fidei præcepta ediscerent. Pro illis quidem aliquando precibus cælum fatigant, sed tantum in necessitatibus. Si filius laborat morbo, sexcentæ funduntur preces, sexcenta nuncupantur vota: hæc rationabilis quidem oratio est, licet illi cupiditas quædam accedat: sed si vobis nuntiatur filium vestrum in omnem libidinem effusum esse, filiam vestram parum esse pudibundam; ibi preces melius impenduntur ad conversionem filii, & salutem filiæ obtinendam; sed ad hæc non advertitur animus, & hoc domus vestræ opprobrium erit, & fortasse vos ipsæ eritis causa interitus filiorum vestrorum. Quam tutius est sequi piæ hujus matris sensus, ut fatis participes gloriæ, quæ illi defertur, eo quod Augustinum converterit! *Bivar.*

Sancta Monica quocumque sequitur hunc filium rebellem gratiæ, & fugientem ab ea ut importunis ejusdem cursu se eripere.

Monicæ charitas erga filium non passa est, ut illius oblivisceretur. Illum quocumque subsecuta est; & quo longius Augustinus recedebat a Deo per scelera, & flagitia, eo magis ad illum pia mater accedebat gemitibus suis, & conabatur illum ad misericordiam flectere precibus, atque suspiriis. Tamen quamvis optimam parentem diligeret, nullo in discrimine habebat illius monita, & lacrymas. Pertæsus insolentiæ disciplinorum Carthaginiensium, ubi Rethoricem tradebat, mare traducere decrevit, & Romam se conferre, ubi majori cum gloria & fructu artem eandem se professurum sperabat. Sanctæ Monicæ permolestum accidit hoc nuntium, veritæ, ne hoc iter differret conversionem illius, cujus quotidie recenti spe fulciebatur. Quidquid industriæ, & artis adhibuit illa, Augustinus noctu discessit, cum illa precibus vacaret; quod effecit, ut illa suas apud Deum deprecationes, suaque vota geminaret. Navem & ipsa conscendit filium secutura; at ubi ad Romæ portum appulit, audit inde filium suum Mediolanum profectum fuisse, ubi sedem sibi figere decreverat. Ibi Deus teneræ hujus matris precibus lacrymisque commotus effudit divitias suarum miserationum erga Augustinum; nam cum Sancta nostra invenisset illum jam fastidientem doctrinam Manichæorum, & conscientiæ stimulis agitatum, curavit, ut cum Sancto Ambrosio colloqueretur, quo Deus usus est, ut huic operi manus extrema admoveretur, ad abstergendas mœrentis hujus matris lacrymas, & ad coronandam illius perseverantiam ei concedendo quod unum enixius optabat. Quæ res nos docet ne unquam de cujuspiam salute desperemus, quantumvis derelictus videatur. Dei Misericordia suas habet artes ad damna sarcienda, quæ quia ignorantur a nobis, non sunt minus efficaces; & sicuti hæc constans est veritas, Deum aliorum salutem precibus aliorum adnectere; per hoc potissimum potest quilibet in familia sua Pastoris, & Apostoli munus obire per preces, & opera bona, quæ Deo pro illis offerunt, qui eandem componunt, quemadmodum egit Sancta Monica, quæ iterum Augustino vitam dedit, quemadmodum ipse ille fatetur. *P. Croiset, & Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Lætitia S. Monicæ in conversione Filii sui Augustini per collationes, & narrationes S. Ambrosii.

Colloquia a Sancto Augustino cum Sancto Ambrosio Mediolani habita illius conversionem tandem perfecerunt. Hæc magna fuit Sanctæ nostræ consolatio, videre filium suum repente sensus, moresque mutantem; consolatio tanta, ut omnino oblita fuerit excessus mœroris sui, & dolorum hujus spiritualis parturitionis, videns non hominem in mundum prodire, ut dicit Evangelium, sed animam oriri gratiæ, postquam plorata fuerat tanquam mortuum per peccatum. Lætitia hæc adeo justa, sancta, & tanta est, ut Dei Filio teste, adjicere novum gaudii incrementum valeat in ipsa omnium deliciarum sede: *Hoc dico vobis, gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Et profecto si metienda est gaudii, quod percipitur magnitudo, ex magnitudine boni, quod exoptatur, & demum ex diuturnitate laborum, qui ad illud obtinendum sustinentur: recordamini quem dolorem pia hæc mater fuerit experta Augustini sui conversionem sollicitans. Recogitate lacrymas, quas effudit, vota & suspiria quæ in cælum emisit; animo volvite inquietas illas sollicitudines, quibus negotium hoc procuravit, & curas, quibus agitata fuit, ut voti rea fieret; ac inde intelligetis vota sua non æquasse tantum, sed superasse tristitiam atque mœrorem ipsius. Ita dicebat illa huic filio, quem iterum pepererat tanta felicitate, ut nihil ipsi optandum remaneret, quam cælum: *Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim, nescio?* Hæc illa sunt verba, quæ ab ipso S. Augustino referuntur: *Unum erat, propter quod in hac vita immorari aliquantulum cupiebam; ut te Christianum Catholicum viderem, antequam morerer*; Hodie vero cum cælitus mihi cumulate concessum fuerit quod tanto ardore concupivi, evasi jam ad cumulum gaudii mei. *Cumulatius hoc mihi præstitit Deus, ut etiam contempta felicitate terrena servum ejus te videam*. Deus vota mea superavit, quandoquidem video, te ipsum terrena felicitate posthabita, temet totum divino cultui abdidisse. *Auctor Idem.*

Novum lætitiæ argumentum quod habuit Monica in Augustini filii conversione. *Prov. 10.*

De lætitia Sanctæ Monicæ aliunde judicium ferri potest. Si sapientia, sanctitas, & aliæ præclaræ dignitates filiorum cedunt in parentum gloriam, quemadmodum Sapiens testatur: *Filius Sapiens lætificat patrem*; dicere possumus, Augustinum conversum, & sanctificatum non solum Sanctam Monicam lætificasse, sed præterea inter ceteras matres glorioſam effecisse; quoniam illi debetur, & tota in laudem ejus cedit gloria hujus filii, non solum præsensu futuræ illius magnitudinis, quod matribus usitatum est; verum etiam quia testis fuit gaudii, quod Ecclesia universa in hac conversione præsetulit, videns futurum esse, ut hic Vir fieret Ecclesiæ præsidium, & una ex firmissimis columnis ejusdem. Hæc enim fuit totius mundi sententia quascumque partes Augustinus amplecteretur, ibi victoriam futuram, vel saltem ipsum validum futurum partium earum libramentum. Inde factum est, hunc post S. Paulum, unum fuisse, cujus Ecclesia peculiari solemnitate conversionem recolit; quatenus illi duo illi sunt, a quibus majus decus acceperit per eorum doctrinam, & felicia certamina, quæ pro illa tuenda sustinuerunt. Hujus itaque gloriæ partem omnino singularem S. Monica accepit, non solum quatenus mater magni hujus doctoris, quem in vitales auras ediderat, sed etiam tanquam secunda mater, quæ iterum illum peperit Ecclesiæ, quæ curis suis, monitis, precibus, lacrymis filio cælestes gratias promeruit, quæ denique illum lucrata Deo est, cui sæpe illum obtulerat; perinde ac si quis animum strenui, ac periti ducis ita moderatus fuisset, ut hunc ad patriæ defensionem induxisset, ille sane hoc facto auctor esset accessionis virium patriæ, & hostibus robur ademisset, adeoque auctor evaderet omnium victoriarum, quas reportaret, & omnium eventuum, quæ rempublicam cumularent gloria, & felicitate. Simili pacto Ecclesia debet S. Monicæ progressus, quos Augustini arma retulerunt, victoriæ quas retulit de Hæreticis, sunt fructus lacrymarum, & orationum illius, non secus ac victoriæ, quæ a populo Dei referebantur de inimicis Moysi acceptæ, ambas manus in cælum attollenti. *Idem.*

Mors S. Monicæ accidit paulo post conversionem S. Augustini.

Vix S. Monica vidit S. Augustinum conversum, & in eo statu, in quo illum concupiverat, cum perinde ac illi nihil reliquum esset, quod in hoc mundo faceret, Deus illam evocavit in cælum, & voluit ut illa animam efflaret in manibus optatissimi hujus filii, qui vicissim illam lacrymis prosecutus est, & a quo illa post obitum suum non nisi preces, & sacrificia petiit, pro iis, quæ tot pro ipso obtulerat Deo, dum viveret. Relinquamus ergo Augustinum in tristitia, ac dolore suo, intentum efferendæ matri suæ, donec illius anima a gravissimis hujus vitæ afflictationibus emundata volat in cælum. Ibi Deus abstergens lacrymas eorum, qui propter amorem suum pertulerunt, ut loquitur Scriptura, consolatur S. Monicam ob tot labores, quos perpessa est; ibi preces, jejunia in æternitatem recensentur, ibi denique quodlibet ex bonis operibus ejus paratam habent coronam meritis respondentem, quibus de Deo optime merita fuit procurans S. Augustini salutem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quam suavis fuit mors hujus Sanctæ.

Sed me evocat magnæ hujus Sanctæ mors. Quæ mors, Domine, quam suavis fuit, & jucunda! quam in oculis tuis pretiosa! Cum jam illi persusum esset de nihilo rerum humanarum, iis nunquam adhæserat, & sola cupiditas videndi optatissimum Augustinum suum conversum, effecerat, ut aliquot annos adhuc vivere peroptaret. Hoc opere divinarum miserationum absoluto, exilium suum super terram illi factum fuit intolerabile, quia non se credidit amplius in terra desiderabilem. Fili mi, hæc sunt illius verba; æternæ, ac immortales sint Deo gratiæ, qui mihi dignatus est tribuere consolationem videndi te, cultui ejusdem devotum; postquam erui te de viis sæculi, ubi fallacem mundanorum felicitatem quærebas. Ecce extremus mihi finis advenit; & quid mihi ulterius faciendum restat in hoc sæculo? satis beata si clausero oculos meos omnibus objectis creatis, illos aperitura lumini, quod nobis repræsentat in cælesti

Sion

Digitized by Google

sion Creatorem. Ama semper magnum hunc Deum, qui te tot beneficiis cumulavit; adora illum, eum time, neque obliviscaris matris tuæ, quæ semper unice te dilexit, & cujus amor erga te tanto futurus est acrior, quanto defœcatior erit per flammam charitatis, quæ in Beatorum corde succensa est. Recordare potissimum maturare mihi momentum illud desiderabile, efficiens ut pro me incruentum celebretur Agni sacrificium, qui suum effudit sanguinem, ut nobis cælum aperiret. Ad hæc verba anima ejus novo ardore succensa se se vinculis corporis expedivit, & se se ejaculata est versus æternum sanctorum habitaculum, ut in Domini gaudium ingrederetur, Augustinum relinquens eo dolore confectum, quo affici potest tantæ parentis jactura. *P. Martineau.*

Qua in re præsertim Parentes admoneri debeant Sanctam Monicam.

Ad exemplum tantæ hujus Sanctæ parentes componere debetis filiorum vestrorum curam, tanquam princeps officium vestrum, sæpe orantes pro illis, illos offerentes Deo, patienter sustinentes molestias, quas inferunt vobis, & nunquam desperantes fore, ut ab erroribus suis resipiscant, iterumque in salutis vias revertantur. Reliqua opera bona, quibus vacatis, propter hoc vobis instituenda sunt; vobisque persuasum esse debet cætera omnia, quæ exercetis, pauperum visitationes, infirmorum in xenodochiis curam, cœtus charitatis, spiritualia ac temporalia subsidia, quæ procuratis iis qui præ aliis miseri, & derelicti sunt; omnes has inquam unliones opera esse supererogationis; sed præcipuum officium vestrum esse vacare filiorum vestrorum educationi. Videlicet vestra charitas ad alia extendi non debet, nisi postquam hoc erga filios vestros munere perfuncti fueritis. Hinc magnus Apostolus judicium censet ferendum de virtute, & sanctitate viduæ, & hinc orditur quæstionem de illius moribus, & vita; *Si filios educavit*; & si virtutes quæ exercentur, in officio adeo justo obeundo, non admodum enitescunt; in remuneratione tamen solidiores sunt, propiores ordini status vestri, & illæ, quas potissimum a vobis Deus præstolatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

1. ad Timoth 5.

Monni. & corona qua Sancta Monica in Cælo recipit.

Dici potest admirabilis Monicæ coronam in cælis non unam fuisse, sed ex omnibus aliis compositam, quoniam illa particeps fuit meritorum Sanctorum omnium, particeps fuit coronæ Apostolorum, quia ad fidem convertit primum quidem virum suum, mox & filium; possidet illam, quæ propria est viduarum, quia eo modo vixit, qui esse posset exemplo omnibus, quæ in eo statu versantur: domesticæ afflictiones ex parte viri morosi, ac violenti, & persecutiones socrus, quas plures annos sustinuit invicta patientia, insignem illi promerentur locum inter eos, qui propter Deum passi sunt invicti patientia; pax, quam quocumque ferebat, & quam in omnibus familiis statuere studebat, componens lites, & jurgia, atque contentiones extrudens, illi promerita est beatitudinem, quam pacificis promisit Deus. Sed si qui alios erudierunt, & in justitiæ vias deduxerunt, fulgent in cælo, micantium instar syderum, sancto spiritu teste; quæ corona non debetur Sanctæ Monicæ eo quod primum Ecclesiæ doctorem ediderit, & quod illum fidei suæ luminibus illustraverit? Ita Augustinus, qui fuerat causa dolorum, tristitiæ, & laborum illius, mox fuit illi causa lætitiæ, gloriæ, & felicitatis. Hinc absurde reparatum fuit damnum curarum, quas illa gessit in illius educatione, lacrymarum, quas libertim effudit pro illius conversione, & laborum, quos pro ejus salute sustinuit. Per easdem vias, Patres, Matresque ad Sanctæ Monicæ exemplum vosmet sanctificare potestis; curæ, quas geretis, dolores, quos patiemini ad filios vestros educandos, erunt causa vestræ lætitiæ, materia coronæ vestræ; verum curæ hujusmodi vobis adhibendæ sunt, ut educetis illos propter Deum, & pro virili parte eos revocetis a flagitiis eorum, nihil prætermittentes, ut illos ad virtutem formetis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

PRO SANCTI BONAVENTURÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

Glorioſus Seraphici Doctoris titulus, quo Sanctum Bonaventuram decoravit Eccleſia, non innuit ſolum quanti apud illam ſit meritum ejus, verum etiam elogium hoc aliis quibuſque omnibus æquiparari. Itaque quin hic morer diu explicandis rationibus, quibus illuſtris hæc qualitas comprobetur, quæ panegyrici materia futura eſt, ſatis eſt animadvertere, quod licet jam attulerimus in medium D. Thomam Aquinatem tanquam prototypum Doctorum omnium, hoc tamen non adverſatur menti meæ, quæ ſane eſt hoc in volumine loquendi de ſanctis, qui notiores ſunt, & diverſi characteris, cum Angelico Doctore Seraphicum Sanctum Bonaventuram conjungere: ſpero enim, licet hæc adſit conformitas occupationum, laborum, & meritorum, quibus uterque ſibi Eccleſiam demeruerunt, atque idem ſtudii commercium, & amoris, quod inter utrumque interceſſit; ſpero inquam, id quod utriſque commune eſt non prohibiturum, quominus quod huic proprium eſt, & ſingulare, ſufficere poſſit ad elogium hujus proprium, & ſingulare exornandum. Tandem enim dubitari non poteſt, quin modus, quo ille omnia obiit ſibi demandata officia, & honores ad quos evectus fuit, Generalis totius Ordinis, Epiſcopi, & Cardinalis, non contulerint occaſionem eidem exercendi virtutes proprias horum ſtatuum diverſorum, præter eminentes, quas animo conſtanti rejecit, dignitates, quæ illum ad gloriæ faſtigium coram Deo, & hominibus evexerunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum Structuræ hujus Argumenti.

In Scientia ſua juſtificabit juſtus iſte ſervus meus multos. Iſaiæ 53.

I. ITa olim Iſaias Propheta loquebatur, cum divino Spiritu animatus hominibus prædicabat infinita bona, quæ illis Meſſias erat collaturus. Nonne diceres prophetiam hanc in Jeſu Chriſti perſona adimpletam, noviſſimis Eccleſiæ temporibus iterum fuiſſe completam; Deum, qui videt, & vocat ſecundum Apoſtolum ea quæ non ſunt, tanquam ſi eſſent, qui per æternæ ſapientiæ ſuæ lumina penetrat denſiores futurorum tenebras, cui perſpicua, & divina præſcientia aperuit illos, quos providentia ab æterno elegit futuros conformes imagini Filii Dei; nonne diceres, inquam, nobis exhibere voluiſſe pium, ſanctumque doctorem Bonaventuram, Eccleſiæ lumen, Crucis diſcipulum, Virum in tota vitæ ſuæ ratione æquiſſimum, ſimplicem in luminibus, humilem in dignitate, pauperem in Eccleſiaſticorum bonorum perfruitione, modeſtum in purpura, zelotem in difficillimorum Eccleſiæ negotiorum adminiſtratione; hominem adeo perfectum in via ſalutis, adeo in ſcientia Jeſu Chriſti profundum, in ſcientiæ, & ſanctitatis ſtudio adeo numeris omnibus abſolutum, quo uſus eſt Deus ad tot alios juſtificandos: *In ſcientia ſua juſtificabit &c.* Ne putetis hoc loco, me ad inſtruendum par gloriæ ejus elogium, eum commendare a muneribus, honoribus, dignitatibus, quas poſſedit: quod amplum eſt coram hominibus, ſæpe coram Deo eſt abominabile; & Sancti, cujus generis eſt Bonaventura, non æque laudandi ſunt, quod illas poſſederint, ac quod flocci fecerint. Igitur panegyricæ orationis meæ argumentum petendum eſt mihi ex ea ſcientia, quæ fundamentum fuit ſanctitatis ejus. Verum ut hoc fiat ordinatim, animadvertite:

1. Sancti Bonaventuræ ſcientiam ex precibus, ac ſtudio crucis hauſtam illi fuiſſe cauſam ſanctitatis.

2. Scientiam illius virtutibus ſuffultam cauſam fuiſſe ſanctitatis aliis.

3. Scientiam zelo ejus animatam cauſam fuiſſe ſanctitatis, & gloriæ Eccleſiæ. *Ex MSS. Sermone.*

Homini bono in conſpectu ſuo, dedit Deus ſapientiam, II.

Digitized by Google

riam, & scientiam, & lætitiam. Eccl. 2. Nonne voluisse videtur Ecclesiasticus his verbis nobis proponere veram imaginem Sancti Bonaventuræ Doctoris, de quo dici potest,

1. Fuisse gloriam & ornatum status religiosi per sapientiam, quam ostendit in conspectu Dei & hominum, 1. Conferendo se Domino in hoc statu, licet tot illi adversarentur obices in sua familia. 2. Triumphando de variis tentationibus, quibus lacessitus fuit. 3. Modestiam, humilitatem, ac sedulam regulæ obedientiam servando: *Dedit Deus sapientiam.*

2. Ostendi potest Sanctum hunc Doctorem fuisse gloriam, & ornamentum Ecclesiæ, quoad vixit, 1. Per universalem scientiam, nullum enim vel Scholasticæ, vel Moralis Theologiæ argumentum, aut difficultas illum fefellit. 2. Quia scientia ipsius ab omni errore fuit immunis; quia nihil fuit veritati magis conforme, quam tractatus Dogmatici, Polemici, & Morales, quos tanta edidit cum laude.

3. Ostendi denique potest illum fuisse gloriam, ornamentum, & lætitiam Ecclesiæ; quandoquidem hæc per illum de præteritis, præsentibus, futurisque hæreticis triumphavit, quandoquidem justis quidem certos proposuit canones, per quos in pietate confirmarentur, peccatoribus vero regulas, quarum ope in pœnitentiæ vias reverterentur: *Dedit illi Deus lætitiam. Ex Sermone MS.*

III. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Joann. 5. Hæc duo verba, quibus compendiose continetur elogium maximi, atque Sanctissimi inter omnes homines, eadem sunt, quibus ratus sum me complecti posse Seraphici Doctoris Panegyricum, cujus hodie memoriam recolitis, neque alia mihi invenire datum fuit, quæ melius exprimerent characterem illius Sancti, qui simul absumptus fuit purissimis ardoribus Charitatis, & maximis cognitionibus præditus, ita simul conjungens scientiam elatissimam cum ardentissima charitate, easque perfectissime possidens satis digne obtinuerit locum, quem illi Sanctos inter Doctores tribuit Ecclesia. Illud vero supra quaslibet laudes eum attollit, nempe arctum fœdus illud, quo sublimem scientiam cum pietate, & devotione conjunxit, quod illi Seraphici Doctoris nomen comparavit; deinde vero hujus, licet admirabilis, scientiæ fœdus cum altissima humilitate, quæ illi acquirere debebat nomen Doctoris humilis simul, atque illuminati: *Lucerna ardens, & lucens;* Hæc fax Ecclesiæ non minus ardoris habuit, quam lucis propter hoc fœdus nunquam satis celebrandum. Nostis enim hoc esse contra scientiam satis commune præjudicium, in plurimis experientia duce probatum; scientiam videlicet hinc quidem exsiccare cor, & devotionem minuere, inde vero mentem inflare eandem implendo existimatione sui ipsius, quemadmodum testatur Apostolus. Inde igitur Magni hujus Doctoris Sanctitas clarnit,

1. Quia inde quidem scientiam cum tenera pietate, & ardenti charitate consociavit:

2. Hinc autem illam cum altissima humilitate conjunxit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

IV. *Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum.* Sap. 10. Sanctus ille Doctor, cujus elogium texendum aggredimur, unus ex illis est, qui præ cæteris melius divinam hanc scientiam perceperunt. Dici quidem potest, Deum illi dedisse Scientiam Sanctorum, quonium simul sanctus, & sciens extitit, quia nunquam scientiæ suæ specimen præbuit, quin & virtutis suæ præberet; & quia omnia illius opera magis ædificant, quam erudiant. Dicitur vulgo, Scientiam inflare cor, non alere; facem quidem præferre illis, qui eadem carentes, in aliis eam coruscare vident; sed plerumque perstringere possidentes illam. Injuria quidem probrum hoc in divinum lumen rejicitur, quod ex eodem manavit fonte, qui Verbum Æternum edidit, & quod Deus hominibus largitus est, ut eos sibi quam simillimos redderet. Tantum hoc mali nequaquam acceptum referendum est scientiæ. Docti superbi esse possunt, ac parum pii; sed si parum semetipsos norunt, si parum diligunt Deum, quem tamen perfectius, quam alii cognoscunt; ridiculum sane esset, eorum scientiæ succensere, cujus est lucem præferre, & illuminare. Verum quidem est infirmos spiritus, parumque solidos inflari scientia, & hac corda impura, & terrestria exsiccari; sed illa prorsus oppositos effectus gignit, ubicumque alias invenit affectiones, & studia. Sanctis suimet ipsorum contemptum inspirat, illis Jesu Christi amorem immittit; eos in humilitate confirmat; eorumque animabus fervoris instaurationem tribuit, quo in dies magis magisque sanctificantur. Neque dixeris scientiam Mundi alterius esse naturæ, ac illam Sanctorum; sed inde hoc fiet, quia Sancti scientia non abutuntur, & bene uti norunt ea re, qui Mundus consuevit abuti. Mens igitur fert, vobis in duplici parte Panegyricæ Orationis in S. Bonaventuræ laudem vobis ostendere, neque scientiam illius animum inflasse, neque scholam cor illius exsiccasse. Videlicet, humilitatem ejus nequaquam suffocatam fuisse multitudine pulchrarum, & sublimium cognitionum, & pietatem non recessisse ab illo in studiis ipsis spinosissimis, & modicæ fecunditatis.

1. Ostendam igitur illum antonomastice appellandum esse Doctorem humilem, & pium, quoniam profundissimam humilitatem cum altissima doctrina conjunxit;

2. Et simplicissimam, atque tenerrimam pietatem cum admirabili subtilitate consociavit.

Hoc totum est encomii illius argumentum. Omnes eruditi viri tenent, Sanctum Doctorem hunc Scripturæ, & Scholæ scientiam ad altissimum gradum perduxisse; ex magistris omnibus, qui ante illam docuerunt, paucos præditos extitisse æque sublimi, ac perspicaci ingenio, & neminem fuisse, qui tantam soliditatem cum tanta sublimitate conjunxerit, vel majorem facilitatem, ac methodum cum tanto acumine. *La Colombiere.*

Jure affirmari potest de S. Bonaventura, quod *dedit* V.
illi Deus *scientiam Sanctorum; honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius*, & ostendi

Primum S. Bonaventuram singularibus fuisse gratiis præventum; quia 1. Editus fuit a piis parentibus, qui pie, sancteque instituere adnisi sunt; qui a tenera pueritia illum Sancti Francisci disciplinæ subjecerunt, ejusque Ordini devoverunt, cujus amorem, ac gustum in antecessum eidem injecerant. 2. Quia illi inseruit Deus studia, & affectus erga virtutem; amorem solitudinis, humilitatis, mortificationis, omniumque Christianarum virtutum.

Secundo. Dedit illi scientiam Sanctorum. 1. Ingenium sublime, perspicax, & aptum ad omnia facillime perdiscenda. 2. Cor vastum, ad veritatem conversum, cui præter illam nihil sapere poterat, & quod non nisi veritatem diligebat, & habebat in pretio.

Tertio. Honestavit illum Deus in laboribus ipsius tribuens illi, 1. Ignitos ardores Seraphim, quæ causa est, propter quam hoc titulo eum decoravit Ecclesia. 2. Lumina & puritatem beati hujus Spiritus. 3. Et cum his talentis adeo insignibus, & egregiis profundissimam conjunxit humilitatem, quæ illorum fuit tanquam Custos, atque servatrix: *Dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Recens Auctor.*

Magni hujus Doctoris S. Bonaventuræ laus texi potest VI.
secundum illa Evangelii Verba, quibus ad vivum exprimitur; quoniam verba, & opera, theoriam, & praxim simul conjungere novit: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Illum ergo sub duplici aspectu possumus intueri.

Primo, tanquam perfectum Religiosum; observavit Regulam, quam aliis prædicavit; nulla enim, neque rationabili etiam de causa, neque studiorum suorum prætextu, neque Magisterii sui labore improbo, quo alios docere cogebatur, ullam ullum sibi dispensationem admisit.

Secundo, tanquam Doctorem eximium. Neque enim in eo consistit, ut sublime ingenium suum ostentaret, sed 1. Contemplationem actioni addidit, & studium præclaro virtutis exemplo. 2. Doctoribus ipsis viam aperuit scientiam cum humilitate conjungendi, quod perrarum est; & unctionem cum elatissimis luminibus, non per canones quidem mere theoreticos, sed eos, quorum in semet sedulam praxim exprimerat. *Auctor recens.*

Mortuus est Pater, & quasi non mortuus; similem enim VII.
reliquit sibi post se. Eccli. 30. Mirum vobis nequaquam videatur, si S. Bonaventuræ habiturus elogium, hæc mutuor sacri textus verba, ut vobis ostendam hunc filium esse prorsus similem parenti suo, Magno videlicet, ac Seraphico Assisinati Francisco, quem cum exhibuerit mente, corpore, consiliis, operibus, illum modo repræsentat in Cælo, ubi agnoscitur tanquam vivissima, & absolutissima heroicarum virtutum ejus imago. Tamen quin quidquam de laudibus S. Patris Francisci deneram, vel imminuam, illi alterum subdo, qui spiritum ipsius instauravit, vitæ austeritatem imitatus est, ejusque ingentia consilia subsecutus. Non deesse in natura quamdam similitudinem parentes inter, & filios, veritas est nimis perspicua ita ut in dubium revocari minime possit; nosse sufficit alterum alterius imaginem a Philosophis nuncupari: *Protestio viventis a vivente, in similitudinem naturæ;* & experientia magistra cognoscimus, hanc similitudinem usque ad oris lineamenta procedere, & affectuum, studiorum, atque votorum conformitatem. Fert animus hodierna die vobis ostendere, hoc ipsum in virtute, & sanctitate deprehendi, exhibendo vobis S. Francisci filium Seraphico patri suo simillimum; eosdem quippe habuit interiores sensus, easdem vitæ rationes exteriores, eosdemque in factis, consiliisque successus. Atque ut vobis apertius meam vobis mentem aperiam, non utique mihi propositum est utrumque vobis ob oculos statuere, & comparationem affectatam, elaboratamque instituere, ut in iis omnia deprehendatis lineamenta similitudinis singillatim; ad id enim utriusque celebrandum esset encomium: sed tantum ostendere, quomodo præcellentes virtutes, & quæ præ ceteris in S. Francisco nituerunt, visæ fuerint aliquanto post reflorescere in persona Seraphici Doctoris, qui Institutoris sui sedulo vestigia legens ad similem Sanctitatis gradum pervenit.

Prima est humilitas, quæ animum eorum prorsus similem

Digitized by Google

milem præstitit, & per abjectissimos de semetipsis sensus, per eandem anihilationem, & secretæ vitæ studium, ut nonisi a Deo tantum dignoscerentur.

Altera est mortificatio, & amor crucis, qui perfectissimam peperit corporum similitudinem per magnam austeritatem, ac rigores, qui stuporem cient.

Tertia denique zelus est, & fervor, qui ostendit eadem studia, & animi affectiones in ipsorum consiliis, & actibus prorsus conformibus. Quippe Sanctus hic in Ordine suo instauravit primum fervorem, qui sensim dilabebatur; & hic zelus in omnem se se effudit Ecclesiam, de qua non uno in loco per quam optime meritus fuit. Hæc erit hujus Sermonis partitio. *Serme MS.*

VIII. Pro textu, & divisione Sermonis desumi potest locus ille *Psalmi* 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*; ad ostendendum

1. *Bonitatem*, hoc est naturam bonam, cor rectum, propensionem ad virtutem, magnamque innocentiam, quæ omnia *bonitatis*, nomine indigitantur.

2. *Disciplinam*, amorem ordinis, & regularum in tuendo fervore, & primo spiritu regulæ S. Francisci, quam fuerat amplexus; mox etiam in corrigendis abusibus, qui in mores obreperant; denique in procuranda consensione, quæ tantopere concupita fuerat Ecclesiæ Latinæ cum Græca.

3. *Et Scientiam*, profundam eruditionem, admirabilemque omnium scientiarum cognitionem, quam cum singulari pietate conjunxerat.

IX. Considerari potest S. Bonaventura in triplici statu, ad quem divinæ placuit Providentiæ illum arcessere, & cujus munera obiit absolutissime.

Primum in statu Religionis, cui libentissime se se addixit. 1. Sibi penitus abrenuntians, ut Evangelicam humilitatem complecteretur. 2. Perfecte se mortificans exacta regularum observantia; 3. Humillimis domus officiis se se subjiciens.

Secundo in statu Doctoris, ad quem a Deo evocatus, ut aliis præesset, 1. Se ipsum omnibus replevit scientiis, eas fratribus suis communicaturus. 2. Conatus est humilitatem cum altissima eruditione conjungere. 3. Studio eodem, & oratione usus est, ut æque lumine, charitate proficeret.

Tertio in statu Episcopali, & inter Cardinales adlectus, ad quem se sublatum videns, 1. Usus est hac dignitate, ut fieret humilior. 2. Ut populorum conversioni cooperaretur. 3. Ut zelum suum magis inflammaret, & de Ecclesia melius in dies mereretur, quod perfecte executus est, Latinam cum Ecclesia Græca conjungens.

X. Ostendere possumus S. Bonaventuram æquissimo jure promeritum fuisse Doctoris Seraphici titulum, quo illum insignivit Ecclesia,

1. Propter ardentem amorem, quo succensus fuit, & cujus tot præbuit monumenta in scriptis suis, totaque vitæ ratione.

2. Eo quod eodem ardore plurimas inflammaverit animas suis prædicationibus, operibus, & exemplis.

PARAGRAPHUS II.

Auctores qui de S. Bonaventura verba faciunt.

Gerson in scriptis suis passim non cum laude tantum de hoc S. Doctore verba fecit, sed illum etiam præfert pluribus, iisque eximiis Theologis, qui in Parisiensi facultate enituerunt, quia in omnibus operibus suis pietatis unctionem cum Scholæ doctrina conjunxit.

Patet quanti illum fecerit S. Thomas Aquinas, se se lectionibus ejus assiduum præbens auditorem, licet illius non esset Discipulus, illum viventem adhuc Sanctum compellans; illi obsequens, & cum eodem scientiæ, sanctæque amicitiæ consuetudinem fovens.

Alexander Halensis, qui illius in Theologicis studiis institutor fuit, & in cujus locum ille postmodum fuit suffectus, ingenii ejus soliditatem, & magnitudinem admirabatur, sed multo magis morum integritatem, & dicere consueverat, videri, Adam in illo non peccasse.

Trithemius & Bellarminus *de Scriptoribus Eccles.* de eo magna cum laude verba faciunt.

Spondanus, Bsovius, Raynaldus *in Annalibus Eccles.*

Wadingus. *In Annalibus; & Bibliothec. Minorum.*

Sanctus Antoninus, Volaterranus, Sixtus Senensis, Possevinus, Auberius, Theophilus, Raynaudus, Dupinus Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum.

Scriptores vitæ illius. Enschenius & Papebrochius. In Actis Sanctorum.

Surius, Ribadeneira, Baillet die decima quarta Julii, qua Sancti hujus Doctoris festum diem recolit Ecclesia.

Operum ab ipso scriptorum numerus atque index peti potest a Dictionario Historico Morerii.

Affectici. Granatensis tractatu primo de Oratione refert auctoritatem S. Bonaventuræ, de virtute, ac præstantia Orationis.

Idem illius profert auctoritatem, ubi inquirit modum, quo nosmet gerere debemus in dono lacrymarum, & meditatione mortis, & passionum Jesu Christi.

Idem laudat, & refert ejusdem sententiam de frequenti Communione lib. 3. Memorialis, & mox præclarum Sancti hujus elogium texit.

Idem cap. 21. Memorialis loquitur de deliciis, quibus perfundebatur hic Sanctus in meditatione passionis Domini.

P. Novet inter meditationes de vita J. C. in Sanctis suis unam habet pro die 14. Julii, qui S. Bonaventuræ Sacer est.

P. De la Colombiere tomo 2. Sermonum; unum habet hujus argumenti. Concionatores recentes.

Auctor quoque Sermonum in omnia argumenta, pariter unum.

P. Duneau tomo secundo Panegyricorum.

Molimer tomo 3. Sermonum in festos Sanctorum dies, *Deficientibus aliis Sermonum scriptoribus, ad argumentum hoc pertractandum ad MS. confugimus.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, & Exempla, Scripturarum hujus argumenti.

Loci, qui ad hoc referri possunt argumentum.

Circumduxit eum (Deus) *& docuit, & custodivit quasi pupillam oculi.* Deuteron. 32.

Concrescat, ut pluvia doctrina mea. Ibidem.

Qui appropinquant pedes ejus accipient de doctrina illius, Deuteron. 33.

Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos. Judic. 13.

Docebo vos viam bonam, & rectam. 1. Reg. cap. 12.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Psalm. 93.

Deus docuisti me a juventute mea. Psalm. 70.

Exemplo didici disciplinam. Prov. 24.

Si Dominus magnus voluerit; Spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. Eccli. 39.

Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Ibidem.

In oratione confitebitur Domino, & ipse diriget consilium ejus, & disciplinam. Ibidem.

In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus Spiritu Sapientiæ, & intellectus, stolam gloriæ induit eum. Ibidem cap. 15.

Docuisti populum tuum per talia opera; quoniam oportet justum esse, & humanum. Sap. 12.

Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini sui gloriabitur. Eccli. 19.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum, qui lapsus est, verbo. Isai. 50.

Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis; & implevit eum spiritus timoris Dei. Isaiæ 51.

Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. Jerem. 3.

Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Ecclesia. Eccles. 39.

Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Matth. 5.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ibidem.

Exempla, & Figura ex Scripturis deprompta.

Visio Isaiæ Prophetæ applicata S. Bonaventuræ.

Visio, quam habuit Isaias Propheta, & quam sexto Prophetiæ suæ capite enarrat, mihi rationem aperit, propter quam S. Bonaventuræ Seraphici nomen inditum fuerit. Vidi, inquit Propheta, Dominum elevatum super excelsum thronum, & Seraphim circumseptum. Ad tale hoc spectaculum obstupui, multo vero magis, cum unum ex illis Seraphim volavit ad me, ac tenens forcipe ardentem prunam de altari decerptam, illam apposuit labiis meis, mihi dicens: deleta est iniquitas tua, vado ad populum meum. Circa mysticam visionem hanc quæritur, cur Dei thronus septus esset Seraphim, & quid significaret pruna illa de altari desumpta, qua expiata fuerunt labia Prophetæ? Respondetur; officium eorum, quos destinat Deus ministerio verbi, primum esse meditari magnalia Dei, ut illa cognoscere discant, & cogitatione sua usque ad Divinitatis solium ascendant, audituri laudes, quæ jugiter a beatis illis spiritibus illi deferuntur, ut ad illorum exemplum possint laudare illum coram hominibus, & divinas illius perfectiones annuntiare. Misit Deus Seraphim, non autem alium quemlibet Spiritum, ad Isaiæ labia igne expianda; neque enim ut utiliter apud populos loquaris satis est scientia præcellere, sed potissimum opus est divino amore flagrare, ut ignem in cordibus accendere valeas, quod ignis significat carbo: quomodo enim alios calefacere posset, qui in se frigidus est? Juxta hunc Prophetæ sermonem facile est intellectu, cur S. Bonaventura meritus fuerit, Seraphicum Doctorem appellari. Elegerat illum Deus, ut doctrina sua illuminaret, verbisque suis, atque scriptis universam inflammaret Ecclesiam. Unius ex his spiritibus ope expiavit

Digitized by Google

vit Deus, labia, linguam, & os prophetæ. atque tunc, non secus ac Propheta factus est Seraphim ardore succensum. Libere locutus est, omnibusque veritates suas evulgavit, Regibus, Principibus, Magistratibus, Sacerdotibus, Levitis, populo. Ardor illius sese effudit super omnia opera ejus. Quidquid scribebat, erat Seraphicum, & si qui illius perlegunt scripta, & ardores ejus non sentiunt inde fit, quia illi non cum iis, quæ requiruntur affectionibus, legunt.

S. Bonaventuræ calamus illi comparatus Prophetæ David. *Psalm. 44.*

Sancti Bonaventuræ opera tanto inge, ac fervore abundant, ut de eo dici possit, quod David Propheta de seipso dicit *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Si lingua est calamus scriptorius, calamus quoque lingua erit unde sequitur eum, qui recte scripserit, rite locutum fuisse. Ut id innotescat, legenda sunt Doctoris hujus opera, & constabit, illum optime locutum fuisse, & ex corde protulisse ignita verba, ita ut cum eodem Propheta dicere possit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Protulit os meum verbum bonum, & lingua mea est tanquam calamus scribæ velociter scribentis. Ut hoc intelligatis, satis est videre Sancti hujus doctoris opera, in quibus deprehendere licebit omnia acutissima divini amoris jacula, quibus Seraphicum illius cor inflammatum est.

S. Bonaventuræ opera cum operibus primorum Ecclesiæ Patrum comparanda.

Patrum antiquorum legantur opera, & facile Sanctum Bonaventuram in quovis sensu cum illis comparari posse liquebit. Quod enim scientiæ genus fefellit illum? Numquid quidquid difficillimum, & antiquis erat obscurissimum non explanavit? Patres aliqua ne intellexerunt Mysteria, quæ & ipse non explicuerit, quæ in novam lucem ipse non protulerit? Numquid in morali disciplina ulla de virtutibus, ac vitiis quæstio est, quam non enodaverit? Numquid non expiscatus est omnes Philosophiæ latebras? Nonne, tanquam Hieronymi, & Augustini, doctissimis voluminibus Hæreticorum objectiones diluit? Num aliquis fuit in gratiæ argumento nodus, quem non enucleaverit? Nonne cum Græcis quæstionem instituit, ut pro viribi eos latinæ Ecclesiæ conjungeret, quod illi in Lugdunensi Generali Concilio benevertit? Quem errorem Sanctus hic Doctor, vel data opera, vel per transennam non impugnavit? Quem conscientiæ casum non decidit? Quem Scripturæ locum non explanavit? Eruditus velut alter Tertullianus, Theologus velut alter Augustinus, in sacris litteris explicandis perspicax, velut Hieronymus alter: Moralis æque ac S. Gregorius; lenis, ac suaviter se insinuans æque ac S. Bernardus, videtur ea, in quibus singuli nituerunt, assecutus fuisse universa: *Intellectum quodammodo sortitus est omnium*. Quis crederet tot scientias unius hominis mente capi potuisse?

Visio S. Joannis in Apocalypsi Angeli potestatem habentis in ignem Sancto nostro applicita.

Incomparabilis erat in amoris fervore S. Bonaventuræ. Narrat Sanctus Joannes in Apocalypsi se vidisse Angelum de Altari egredientem, qui potestatem habebat in ignem: *Angelus exivit de altari, qui habet potestatem supra ignem*. Talis erat hic Sanctus, egrediebatur de altari tanquam Seraphim, amore flagrans & igni imperitans; videlicet ejus tanta erit erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pietas, ex quo hauriebat efficacissimæ charitatis flammas, ut ceteros omnes igne eodem posset inflammare, eisque cælestem hunc ignem communicare, quem Dei Filius adhuc quotidie affert in mundum in nostras aras descendens. Sufficit illius opera legere, ut experientia teste hæc de re edoceamur. Singula ejus verba sunt carbones accensi, quibus incalescunt, ac incenduntur illi, a quibus cum proficiendi cupiditate leguntur. Patet, quid illi morti proximo contigerit. Cum sacra refici Communione minime posset propter vomitum, quo prohibebatur; jussit Hostiam sanctam lateri suo applicari, quæ inusitato exemplo per se in illius sinum aditum sibi aperuit, & ad cor usque penetravit. Manifestum profecto argumentum amoris, quo Salvatorem diligebat, & ab eodem diligebatur.

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

S. Bonaventura vere scientiam Sanctorum obtinuit, & quomodo.

Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum. Sap. 10. Verum quidem est litteras nunquam magis, quam hodierna die floruisse. Doctores in singulos dies geminantur, & fiunt æque ferme communes ac sæculis recens elapsis rari erant, & infrequentes. Sed Sanctorum scientia nunquam magis neglecta fuisse visa est, cujus rei argumento est fastus, quem plerique eruditorum in Cathedris, & cœtibus appetunt, & invidia, qua invicem laborant, & quæ passim non sine scandalo erumpit. Quid ipsi scimus, quamtumvis eruditi habeamur, si nosmet ignoramus? Si ignoramus scientiam, quæ Sanctos facit? Si ignoramus Jesum Christum, & hunc crucifixum? S. Bonaventura divinam hanc scientiam in paucis assecutus est, & dicere possumus, quod, *dedit illi Dominus scientiam Sanctorum*: quoniam & ita Doctus & ita Sanctus simul fuit; quoniam nunquam præbuit specimen doctrinæ suæ, quin simul præbuerit etiam virtutis suæ; & quoniam omnia ejus scripta magis ædificant, quam erudiant. *P. de la Colombiere.*

Divini amoris ardor.

Erat lucerna ardens, & lucens. Joann. 5. In encomio, quod de illius tribuit Magno Præcursori suo Joanni Baptistæ lumini præfert ardorem, quia re ipsa præferendus est. Ubi S. Bernardus egregie inquit: *Tantum lucere vanum est; tantum ardere, parum; ardere, & lucere perfectum*. Mera vanitas est scientia, quæ inflat hominibus prælucere; si desit charitas, quæ ædificat. Perfectionis apex in eo situs est, ut utraque consocietur. Cum igitur S. Bonaventura Doctor Seraphicus vocatur, non fraudatur laude, quæ illius scientiæ debetur; sed significatur, scientiam ejus nequaquam similem esse lapillis multum quidem fulgoris, caloris vero minimum habentibus; quos Lucifer, omnesque rebelles Angeli imitati sunt, quia sublimes quidem cognitiones nacti, amore, & ardore penitus caruerunt. S. Bonaventuræ Sapientia utramque hanc qualitatem habuit: lucens simul fuit, & ardens. Illuminabat; simulque fovebat. Sunt quidem Doctores, qui iluminant, qui propter eminentem scientiam refulgent; sed hæc una qualitas inutilis est. Sanctus noster simul habuit & lucem, & ardorem: lucem quidem propter præclaras mentis suæ cognitiones, ardorem vero in æstu suæ Charitatis. Duplici hac eaque admirabili qualitate simul conjuncta, mundum universum illuminabat, & inflammabat, & per utramque ad tantum perfectionis gradum pervenit; ut per quam optime de Ecclesia meritus fuerit.

Veritas, & lex Dei non solum in mente, verum etiam in corde esse debet.

Lex Dei ejus in corde ipsius. Psalm. 36. Propria veritatis sedes non est mens, hæc non est nisi veluti lumen; & hoc nequaquam sanctificat. Veritas, & lex Dei mansionem habent in corde; quod sedes amoris est, & qui quidquid in cor ingreditur, amoris fucum induit. Quoti mortales Dei legem habent in mente? sciunt, & quidquid ipsis faciendum est, & quæ sint aliorum officia, sed hoc depositum est, quod ad actionem non migrat; cor enim manum ad agendum movet, & ad praxim impellit; cum omnes Domini leges, quæ in mente fixæ sunt, non nisi ad linguam transeunt, ut ostententur. S. Bonaventura posuerat Legem Dei in corde suo, ibi erat justitia, ibi charitas. Amabat, quod præcipiebat Deus, & illud in praxim redigebat. Hic veritatis, & divinæ legis amor mentem illius illuminaverat; ita lumina, quibus mens illius illustrabatur, erant flammæ: Videbat veritatem, amplectebatur, & sequebatur eam, & exercens, quod noverat, augebat & ardorem suum erga illam, & lumina sua. In hoc Sancto Doctore fides per dilectionem operabatur, & tenera obedientia efficiebat, ut sequeretur mandata. Dixisses, Deum in Sancti hujus corde legem suam insculpsisse ab ipsa nativitate, tanquam in Adam innocuo. Se ipsum a teneris unguiculis sanctificavit; nihilque valuit retardare, vel interpellare fidelem amorem, quem celatum semper gestavit in corde propter Legem Dei sui: *Lex Dei ejus in corde ipsius*.

S. Bonaventura confiteri Deo primum usum rationis.

Præveneruntoculi mei ad te diluculo. Psalm. 118. Quam timendum est, ne nos primum rationis nostræ usum dicaverimus Deo! Per hanc nos vere vivere incipimus; quidquid rationem antevertit, somnus est, quo manente vita nostra similis est vitæ brutorum. Ubinam ergo sunt, qui mundum ingressi per primum rationis usum dixerunt Deo, ut olim Sanctus Bonaventura: Præsto sum immolari pro te? Ubinam qui primos obtutus suos in Jesum Christum converterunt, ut David, & sicut Noster Sanctus Doctor? Experientia nobis satis ostendit, quod Scriptura docet; voluptatem, vanitatem, ambitionem unum fere, & idem esse, & nos ab utero matrum nostrarum aberrare; re enim vera omnes affectiones nostræ ex tunc cordibus nostris dominari videntur. Spiritus, & cor adolescentiæ profecto similis est navi, malo, velis, nauta, ac duce carenti, quæ fit ventorum, & procellarum ludibrium. Cessatne Satanas, ut auferat tanquam pretiosissimas manubias primas mentis cogitationes, & primos cordis usus? Quanto nobis præstitit S. Bonaventura? Non solum quod primis momentis illis, quibus ratio prodit, nihil eorum prætermittit, quæ suo Creatori debebat, sed quod purissimis amoris sui flammis conflagraverit.

Quanam fuerit S. Bonaventuræ scientia.

Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum. Sap. 10. Quoddam scientiæ genus est positum in congerie quidam cognitionum inanium, sterilium, & tumidarum, quæ cor non alunt, sed exsiccant, ita ut post has eruditiones, non secus ac post pictum convivium esuriat. Tumor plerumque solus est hujus studii fructus. S. Bonaventura certissimus hujus periculi, precibus & humilitate hanc scientiam alit, quam in illo justitia, & charitas peperere, & hoc illud est, quod constituit hanc Sanctorum scientiam, quam tantopere extollit Scriptura; quippe tradit modum acquirendæ Sanctitatis, aperitque cælestium & invisibilium rerum momentum, ac necessitatem. Donum hoc intellectus, & luminis charitate referti in Sancto nostro ab ipsa incepit infantia. Deus diluculo illum, tanquam alterum Samuelem erudiit, eumque in cognitione, & revelatione suarum voluntatum, & mysteriorum exercuit. In Cœnobii sui recessu vacabat Deo, meditabatur felicitatem possidentium illum, privilegia, quibus fruuntur animæ, quæ a mundo sepositæ, & ab illius impedimentis expeditæ delicias suas nanciscuntur in cælestium contemplatione. Ita Sanctus hic Doctor cognoscens quidquid pro se, suaque salute fece-

Digitized by Google

fecerat Jesus Christus iniit consilium semet illi solemnibus votis obstringendi, in nullam redditus spem mundo nuntium mittendi, & quotidie Crucem suam gestandi. En in quo vere sita sit scientia illa, quæ Sanctos facit, qui quæcumque alia comparata nihil est aliud, quam tenebræ, atque confusio.

Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Si nobis non aliæ Sanctorum supereſſent imagines præter eas, quas suarum virtutum nobis reliquerunt, male a nobis cognosci possent, quoniam semper celarunt eximias dotes suas, & ea solum nobis cognoscenda proposuerunt, quæ illos coram hominibus dejicere poterant. Hic eorum honor erat, & gloria, quoniam semper Salvatoris humilitatem imitati sunt. Sanctus Bonaventura unum dumtaxat in Mundo bonum esse censebat; videlicet se se conformare Jesu Christo, humiliari, & contemni cum illo. Obtendebat quodammodo velum actionibus suis, omnibusque egregiis dotibus suis per humilitatem, & nunquam se se videndum præbuisset, nisi ad proximi sui ædificationem illi prodeundum fuisset. Etenim nihil illi magnum visum est, præter te Domine, illi erat persuasum, omnia dona, quæ possidebat, non nisi ex liberalitate tua se recepisse; tibi uni laudes inde referendas esse, se vero per se nihilum dumtaxat habere, & peccatum; humiliationes suas sibi recentes gratias obtinere; hanc viam esse, quam eidem ostendisti, ut veniret ad te. Illi persuasum erat; discipuli gloriam, atque profectum in eo esse positum, ut Magistro suo similis fiat; Dei Filium pro suis non habiturum eos omnes, qui se se non humiliaverint; ac tandem Evangelium, cum sit pars nostra, cumque non aliud nisi humilitatem prædicet nobis, eos beatos censendos esse, quibus in partem hæc sancta hæreditas contigit.

Quomodo amplexus est Ordinē S. Francisci, eumque elegit præ cæteris, ut humilitatē sequeretur.

Elegi abjectus esse in domo Dei mal, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Psalm. 83. Quisnam Sancti Francisci Assisinatis virtutem assequi posset? Virtus ejus non ne ad eum videbatur perfectionis apicem pervasisse, quo nemini adniti liceret? Quisnam tantæ huic perfectioni par esset? Vita illius ita sancta erat, ut non imitabilis videretur: Austeritas vero tanta, ut pios etiam homines deterreret. Videbatur ordo ille desiturus cum iis, qui eidem, vivente adhuc Institutore, dederint nomen: Spes abjiciebatur, futurum ut Franciscus successores haberet tantæ austeritatis, & pœnitentiæ non intermissæ. Attamen sub hac regula decrevit S. Bonaventura traducere dies suos, *eligens abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, Gestat jugum Salvatoris ab ipsa pueritia, ac statuit mortalium omnium amori, & memoriæ mori. Illic se occulit, atque se abscondit tanquam vas prorsus inutile. Ita qui futurus erat vas electionis, Ordinis sui ornamentum, & una ex Ecclesiæ columnis, doctorum virorum admiratio, & objectum existimationis eorum omnium, qui veram diligunt pietatem, momento eclypsim patitur, hominum oculos fugit, ac se ipsum inutilem, ac atomo similem putat. Sanctus Francisci Ordo fit Sancti hujus schola; ibi posuit tyrocinium sub regulæ observantia; ubi Deum unice quærens a sancta illius Majestate obtinuit eminentium gratiarum uberrimam copiam, quæ vulgatissima eorum merces est, qui sunt humiles corde.

Sapientiam cum pietate, quæ Sanctōrū scientiam constituit, virtutes christianæ sequuntur.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7. Sapientia fons est omnium donorum, atque virtutum. Hæc universas invexit in cor S. Bonaventuræ a primis annis; & prout Sapientia crescebat in illo, reliquæ virtutes incrementum sentiebant; & in illius corde, ut ita dicam, geminabantur. Ad magistri dignitatem evectus, cum secundum supra trigesimum ageret annum, visus est ad Sapientiæ verticem perveniſſe; hæc enim æque ac humilitas in eo mirum in modum emicabat. Dignus Increatæ sapientiæ discipulus, cum doceret alios, in sublimi ea schola, quod aliis traderet, edocebatur. Itaque scientiæ magnitduo illi gravis non erat, illam quippe sapientia, & profunda humilitate temperabat. Exemplum hoc intuemini vos, qui sæpe alios edocendo sapientiæ regulas, illas impune violatis; vos qui adeo immoderati, & affectibus vestris adeo obsequentes videmini; & adeo parum solliciti, ut vosmet colligatis: vos, qui æque commoda omnia consectamini, & quos nulla tangit jactura temporis melius in vestrum metipsorum studium insumendi: vos qui ad prima subsellia tanto conatu contenditis, qui laborem odistis, qui requiem exoptatis, qui ea, quæ in mundo accidunt, undequaque colligere festinatis, qui id unum quæritis, quomodo Mundo placeatis, qui reformationem crepitis, & nunquam gravissimas etiam noxas in vobismet videtis. A Deo hanc petite Sapientiam, quæ efficit, ut simul vitia omnia evanescant, & quæ simul virtutes omnes largitur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Auctorum, qui de hoc argumento locuti sunt, & SS. Patrum, quæ ad illud referri possunt.

Quid mirum si lucem scientiæ percipere subito possunt, qui per vitæ puritatem sedes Sancti Spiritus semper sunt? S. Gregorius l. 4. in Reg.

Quale esset Sancti Spiritus domum si scientiam daret, & effectum magnæ charitatis non daret? qui enim illo spiritu replentur, cælestia prædicant, sed quæ loquuntur, amant. Idem ibidem.

Verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari. S. Bernardus Serm. 16. Super Cantica.

Magnus unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat. S. Gregor. in Moral.

Oportet bona opera sciendo nescire; quia & recta hæc æstimare oportet, & minima; recta, ut custodiamus, & minima, ne inflemur. Idem l. 9. c. 17.

Humilitas est oculus animæ, per quam homo conditionem suam, ac statum suum verissime recognoscit; unde dicit Bernardus: humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione ipsi sibi vilescit. Albertus Magnus Serm. 3.

Non immerito doctores sancti basium nomine designantur; quia dum recta prædicant, & prædicationi suæ vivendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa morum gravitate concordant. S. Gregorius in moralibus.

Illi vere doctores sunt, qui cum per rigorem disciplinæ patres sunt, per pietatis viscera matres esse meruerunt. Idem super Cantic.

Sententiæ Gersonis Cancellarii Universitatis Parisiensis de S. Bonaventura.

Nescio, si unquam talem Doctorem, ut Bonaventuram, habuerit studium Parisiense.

Sufficit mihi hæc doctrina, ut quid stulto labore consumor? multiplicentur potius, & transcribantur opera Doctoris istius.

Si quæratur a me, quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus; respondeo sine præjudicio, quod S. Bonaventura.

Multa scripsit, in quibus summam erudidionis laudem cum pari pietatis ardore conjungens, lectorem docendo movet. In Officio hujus Sancti.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad argumentum hoc promi possit.

Ut vere sis sapiens, studio accedat oratio.

UT vere sis sapiens, satis non est, mentem appellare ad veritatis perquisitionem, ad studium Religionis, & cognitionem Dei. Christianismi sanctitas alium quoque in Doctis exigit officium, sine quo cum Apostolo audeo dicere, eorum scientiam meram esse vanitatem; hoc autem officium esse orationis assiduitatem, frequens studium Jesu Christi crucifixi, & exinaniti. Ratio est, quia Christianus non solum tenetur se ipsum erudire per scientiam, verum etiam sese in scientia sanctificare. Dicam amplius, sine oratione, & Jesu Christi studio nulla de Deo haberi potest perfecta cognitio. In uno Jesu Christo; dicit Apostolus, omnes sapientiæ, & scientiæ thesauri continentur: ipse unus venit, & intellectum contulit nobis, ut verum Deum cognosceremus. Hoc posito Christiani scientia nequaquam collocanda est in numero, vel subtilitate rerum earum, quas scit, neque est ei de suarum cognitionum multiplici vanitate gloriandum. Si enim ea jactat, quæ scire putat; nihil scit adhuc eo modo, quo sciendum est; scientia illius potius est personata ignorantia, quam perfecta cognitio. Oratio, & Crucis studium Doctrinæ fundamentum esse debet. Cum Deus nobis sapientiam ac fortitudinem suam per Crucis stultitiam ostenderit; doctus cum gaudio haurire debet salutares aquas scientiæ suæ ex inexhaustis fontibus Salvatoris: verbo, non aliam habere debet scholam, nisi crucem, neque magistrum alium nisi Jesum Christum crucifixum, neque studium aliud, nisi illius vulnera & passiones; nec aliud denique objectum quam morientem Deum, ut vera scientia imbuatur, eaque imbutus sanctificetur. Hæc fuit ars a Seraphico Doctore Bonaventura excogitata, ut ad hunc scientiæ gradum perveniret.

Temere scientia & pietas adversari creduntur.

Sufficit Sancti nostri exemplum, ut liqueat, oppositionem, quam inter scientiam, & pietatem aliqui comminiscuntur, chimæricam esse; & si quid efficit, ut raro duo hæc simul inveniantur, id neque scientiæ, neque pietati acceptum esse referendum; quandoquidem in neutra quidquam est, quod huic faveat sententiæ; sed tantum in usum scientiæ, qui a Doctis fit, qui ut plurimum illam præferunt pietati, & accuratius novis luminibus mentem excolunt, quam pietate, & christianis virtutibus voluntatem. Longissime ab hoc spiritu, & chara-

Digitized by Google

charactere aberat Seraphicus Doctor; cum enim toto cælo sanctitatem anteferret quibuslibet, licet sublimibus cognitionibus, quas studio adeptus est; pietas, & devotio potissima erat illius cura; studiis vero successivas impendebat horas, quæ suis pietatis, ac religionis officiis supererant; ita ut omne studium, operamque collocaverit, ut sanctus fieret, antequam scientiam perquireret. Hac de causa nihil unquam de suis devotionibus, sive communibus, sive particularibus imminutum fuit in studiorum transmittendum; sed sæpe libros abjecerit, pietatis operibus vacaturus; tunc etiam cum vel majori præparatione indigebat, vel majoribus laboribus premebatur.

Christiani perfectionem D. Bernardus in scientia, & Charitate constituit.

Scientia sine charitate mera vanitas est, cum Apostolo S. Bernardus inquit. Scientiam habere tantum pirum est, quia tibi uni prodesse potes: sed scientiam, & charitatem simul habere; doctrinam, & virtutem; lumina, & exempla; in hoc perfectio consistit; nam postquam te ipsum sanctificaveris, aliis quoque sanctificandis conferre potes. Ad perfectionem hanc evocantur Sancti, quos secundum æterna sapientiæ suæ decreta destinat Deus, ut sint nitentia Ecclesiæ suæ sydera. Vitæ illorum sanctitas doctrinæ illorum puritati respondere debet, non secus ac virtutum numerus magnitudini luminum suorum, quandoquidem a Deo positi sunt, ut eruditant, & ædificent; ut doctores sint, & duces hominum. Talis extitit S. Doctor Bonaventura. Sicut Deus oblectatus est illum sanctificare in scientia sua; ipse quoque curam suscepit alios sanctificandi in veritate. Extrinsecus sapienter effudit lumina, & virtutes, quibus fideliter sese intus repleverat. Quos sermonum suorum vi movere non poterat, illos exemplorum suorum soliditate movebat. Verbo, vita, & doctrina illius erant conformes, & perfecte simul consentiebant.

Qui proximo utiles esse volunt vitæ exemplum suæ doctrinæ præceptis adjiciant.

Admirabile secretum est, quod ex D. Bonaventuræ exemplo desumere possunt illi omnes, qui vero aguntur zelo, ut se utiles præbeant Ecclesiæ, & Reipublicæ per scientiam, quam conantur acquirere; videlicet pietatem cum studio conjungere, & confugere ad Deum, qui luminum Pater est, ac Deus scientiarum, ut loquitur Scriptura. Hic enim amicis suis hæc lumina scientiamque communicat, illis nempe, qui ptæ aliis devoti sunt, ejusque cultui propius adhærent. Illis sæpe etiam hæc lumina impertit in præmium fervoris, quo ipsi deservivunt; & veritas est nobis a Propheta David tradita, nobis accedendum esse ad Deum, si volumus illuminari: *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Et hanc rationem affert Propheta probaturus se magis illustratum fuisse præ cæteris suis, quia nempe diligentius, quam illi divinam legem fuerat confectatus: licet illi majori experientia pollerent: *Super senes intellexi, quia mandata tua exquisivi.* Itaque falluntur, & errant, qui putant solo labore scientiam assequi posse. Hoc illis aliquando accidat e sententia, esto; sed Deo laboribus eorum nequaquam benedicente, scientia eorum fit sterilis, ac nullum parit fructum. Sancti hujus exemplo percipere possumus, quantumlibet felix adsit ingenium in litteris addiscendis, cælestia lumina longe plus ad doctrinam acquirendam conferre; & vera lumina nonnisi per pietatem, atque orationem obtineri.

Quid differat scientia labore quæsita ab ea quæ pietatis, & orationis est præmium.

Nobis persuasum esse debet magnum interesse discrimen inter scientiam labore, ac studio quæsitam, & eam, quæ merces est precum, orationis, & secretarum, intimarumque communicationum, quæ in sancta hac consuetudine habentur cum Deo. Priori non inest secreta, & valida vis, quæ movet voluntatem; sæpe non nisi inanem parit admirationem, non autem validam persuasionem. Multum quidem doctrinæ tumide ostentat; sed infrequentes gignit conversiones. Spiritus eadem repletus importunis dissipatur evagationibus, quæ & mentem, & memoriam fatigant. Scientia vero, quam Deus precibus exoratus impertit, mentem non dissipat, sed colligit. Immobilis, tanquam Magdalena ad Salvatoris pedes, illam audis tranquille, eamque totam recipis corde. Tanquam alter Joannes super Jesu Christi pectus requiescis, unde ineffabilia hauris secreta. Talis extitit prorsus divina Sancti Bonaventuræ scientia. Hac se replevit ad pedes Filii Dei; ibi collegit hos scientiæ, & sapientiæ thesauros, quos tanta vi, atque ædificatione communicavit. Ibi anima ejus vocl Salvatoris ipsam alloquentis intenta, inets tantummodo divini hujus Solis ardorem, & lumina recipiebat. Ibi importunæ evagationes magistri dignitatem, discipulique docilitatem reverentiæ, sinebant ut per otium insignis hic Sanctus Cælesti frueretur dulcedine, quam illi Dei Filius communicare oblectabatur. Itaque statim ac Bonaventura ex divino hoc emergit commercio, & ad loquendum accedit, ex illius corde, lingua, ore prodeunt ignitæ scintillæ, quas a Jesu Christo mutuatus est. Si loquitur, si concionatur, si hortetur, penetrat, evincit, inflammat. Si alicujus conversioni dat operam, simul imprimit, & metum judiciorum Dei & Sancti amoris ejusdem ardorem. Si scribit, ejus doctrina duplicem sortitur effectum, illuminat, & nutrit; fulget, & fovet.

Quo in sensu Scriptura dicat

Spiritus imbecillos, parumque solidos inflat scientia: impura, ac terrena corda exhicat; sed prorsus contrarios gignit effectus, ubi alias invenit affectiones. Sanctis inspirat contemptum suimet ipsorum, & amorem Jesu Christi: illos in humilitate confirmat, & in eorum anima parit fervoris instaurationem; qua in singulos dies magis magisque sanctificantur. Neque ideo dixeris scientiam Mundi alterius esse generis a Sanctorum scientia; sed hoc inde fit, quod Sancti scientiæ naturam non corrumpunt, & norunt bene uti ea re, qua mundus abutitur. S. Bonaventuræ exemplum hac de re nos persuadere potest; hunc non inflavit scientia; cor ejus scolasticis studiis exsiccatum non est, videlicet humilitas illius nequaquam suffocata fuit copia, & varietate pulcherrimarum, & sublimium cognitionum; neque pietas sua illum dereliquit in studiis difficillimis, & jejunis; quoniam tueri novit profundam cum elatissimis scientiis humilitatem.

Illud S. Pauli dictum, quod scientia inflet.

Credendum non est, scientiam humilitati christianæ adversari; ille quippe, qui se ipsum proposuit humilitatis exemplum, omnes scientiæ thesauros possidebat, & Apostolus exigit, ut Evangelii ministri ad scientiam sibi comparandam insudent. Doctores nequaquam hanc in Ecclesia dignitatem tenerent, nisi scientiam cum humilitate conjungerent. Verum nihilominus est, sicuti fœdus, & perfecta consensio scientiæ parum communis, & probatæ humilitatis in summa nominis celebritate, & in dignitatum, quibus ambitiosissimorum corda repleri possunt, fulgore, perraro invenitur; audeo tamen dicere, hanc esse inter præcipuos characteres incomparabilis S. Bonaventuræ; pauciissimi enim utramque possederunt in summo gradu, propter quem inter eruditos simul, & humiles maxime enituit.

Scientia non adversatur christianæ humilitati.

Ecclesia constanter docuit, se ministros requirere excultos scientia; neque mirum est quod cum a Spiritu Sancto regatur, fideliter hac etiam in re, non secus ac aliis secuta sit dogmata, quæ Divinus hic Spiritus nobis in Sacris Scripturis reliquit. Vetus consulite testamentum: consulite recens: Deus semper idem fuit, semper eodem pacto locutus est de iis qualitatibus quæ in altissimis Sacerdotibus requiruntur; & semper apertissime docuit Scientiam illi præcipue necessariam esse, qui in Sanctuarium cupit admitti. Neque per figuras, & ænigmata locutus est, ut tanti momenti nobis traderet veritatem: palam sensum aperuit suum: ita enim per Prophetam locutus est: *Quia repulisti scientiam*, ait illis, qui Sacris initiari *appetebant*, *repellam te*, *ne Sacerdotio fungaris mihi*. Videamus quo nomine Salvator idem ministros suos vocet, & liquebit, utrum scientia destituti sustinere valeant augustum illud nomen, quo illos appellat: *Vos estis lux mundi*, illis inquit; *vos estis sal terræ*. Sed quæ lux est Domini minister absque scientia? quod sal? inutile, & projiciendum, ut conculcetur. S. Paulus Apostolus describens qualitates, quæ in Episcopis, & Ministris Domini requiruntur, palam edixit, eos pares esse debere, ut alios doceant; si minime pares sint, frustra sperant se adhibendos esse, ut alios erudiant. Ipsa etiam Ecclesia in quodam Concilio scientiæ necessitatem ostendit, & docet Ministros suos non scientia minus, quam pietate indigere. Eadem solertia indoctos repellit, qua peccatores; & quemadmodum diligentissime cavet, ne sacris admittat mysteriis improbos & nefatios, ita pati nequit, ut inscii, indoctique sese hujusmodi ministeriis immisceant.

Scientiæ necessitas in Domini ministro ad alios erudiendos.

Osee 4. 6.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

5. Bonaventura fuit Ordinis S. Francisci Assistantis; & qua in occasione devotus fuerit cultui Dei in hoc Ordine.

NEmo unus ignorat ex Seraphici Sancti Francisci schola prodiisse Sanctum Bonaventuram destinatum a Deo, ut quamplurimis in cæli via facem præferret, atque ut eorum corda ardore charitatis, quo ipse æstuabat, inflammaret, Dei cultui hoc in ordine a teneris unguiculis devotus fuerit, & occasio, qua mater illius acta fuit, ut illum palam nuncupatis votis devoveret, satis ostendit magna Dei de ipso consilia, & munus ad quod illum destinabat Providentia. Teterrimus morbus jamjam illum vix in hanc lucis usuram ingressum ablaturus erat; cum pia mater filium ad extrema redactum videns, nullam in humanis opibus spem salutis intuita, confugit ad Deum, cui spopondit futurum, ut si filius hic unicus, eique unice charus sibi redderetur incolumis per S. Francisci intercessionem, ipsa illum ex toto corde aris offerret, & libentissime se privaret gaudio, & consolatione, qua affecta fuisset, ut frueretur altera videndi illum in Ordine Sanctissimo inservientem Deo, cujus amorem, ac metum ab incunabulis illi cum lacte instillaverat: addebatque in precum suarum fervore, si minus primam filii sui nativitatem votis, lacrymisque suis obtinuerat, ut olim Samuelem mater; hoc tamen sibi par fore beneficium, si affecuta fuisset illius vitæ reparationem, quam cultui Domini penitus dicari, devoverique cupiebat.

Noxia mundanarum matrum vota vitia, & fatuam filiorum cupientium,

Hujus Sancti Mater hac in re longe dissimilis a matribus mundanis, quæ filiorum suorum vitam cupiunt, ut illis inferant mortem, quæ vota nuncupant, ut morbis liberent, illos penitus mundo, ejusque pompis sacrificaturæ; quæ precibus suis Deo vim inferre velle videntur;

ut illos secundum Mundi spiritum alant.

tur, & ex illius manu innocuas victimas revellere, ut inde totidem rebelles Domini victimas parent; quæ non alium habent omnium curarum pro filiorum salute, & incolumitate susceptarum finem, quam illos ambitioni, & sæculi vanitatibus reservare. Si hæc genitrix pia filii sui curationem expetiit, mens illius prorsus a mundanarum mulierum consiliis abhorruit; quia illum simul tanquam Samuelem alterum pietati, & divino cultui devovit, cumque pœnitentiæ, & paupertati dicavit addicens illum Ordini S. Francisci Assisinatis. Itaque piæ hujus matris intentiones adeo acceptæ fuerunt Deo, ut votis illam damnaverit, & S. Francisci preces in Bonaventuræ gratiam admiserit; quapropter filius simul morbi vi liberatus, & matri ablatus fuit per validam Seraphici Patris intercessionem. *Auctores varii.*

Benedictiones, quibus prævenit Deus puerū Bonaventuram, & hujus desiderium adimplendi votum matris ejus.

Deus, qui Bonaventuræ firmam reddiderat valetudinem, ut ex eo gloriæ suæ faceret instrumentum, prævenit illum benedictionibus dulcedinis. Primus rationis suæ usus fuit meminisse gratiarum, quibus fuerat cumulatus; sibique legem irrogavit indesinenter animo suo volvendi votum genitricis suæ, ut sese ad illud implendum disponeret ea præsertim ætate, qua animi cupiditates fervidiores, atque æstuosiores minorem relinquunt menti facultatem ad vitæ genus amplectendum, cum corrupta hæc sæculi objecta majorem in cor nostrum vim obtinent, & a quibus difficilius a mundo divellimur, ut Deo adhæreamus. Hac, inquam, ætate festinat Bonaventura votum, quod suum putat, fidem præstiturus ejus devotionis, a qua semet exsolvere poterat, & sacrificaturus ex justitia J. C. vitam, quam ex pietate dumtaxat sua parens obtulerat. *Sermo MS.*

Progressus in virtute ac scientia quo Sancto hujus Ordini adscripsit.

Palam probavit eventus, vota, quæ S. Bonaventuræ mater pro dilecti filii incolumitate nuncupaverat, exaudita fuisse. Hic benedictionis filius vitam recepit tanquam fix, quæ jamjam extinguenda revivlscit, ut deinde vividiorem lucem effundat. Et profecto ex eo tempore incepit crescere in scientia, & virtute, ut fieret dignus illius Ordinis Filius, cujus scientia, & Sanctitas ad hanc quoque diem non exiguum sunt Ecclesiæ ornamentum. Sed Bonaventura humanarum litterarum studium cum sublimi charitatis scientia ita conjunxit, ut solum ejus exemplum evincere valeat, nequaquam generalem canonem esse, quo plus alteri tribuitur, eo plus alteri auferri, neque posse quemquam doctum virum esse, quin simul propriis meritis & doctrina intumescat. Sed hæc duo e contra mutuis firmari subsidiis, ac invicem sibi opem ferre, ut facilius ad eam perfectionem perveniant, quæ utriusque seorsim est propria. Frustra igitur objiciunt, scientia cor exsiccari, cum omnis attentio illis rebus impenditur, quas meditati sumus, & quarum perfectam cognitionem acquirere conamur; quod est quoddam veluti diverticulum facultatibus animæ, quæ theorematibus, atque præclaris inventis occupata otium non permittit voluntati sese effundendi in affectus, desideria, & in eas cordis effusiones, in quibus propria devotio sita est. Frustra jactant, gratiam fontem esse aquæ vivæ, quæ per duplicem variumque rivulum sese communicat, videlicet per spiritum, & cor; & quo magis alter impletur, eo magis alterum vacuum remanere. Sin minus gratis, saltem sine probabilibus argumentis asseritur, scientiam potius nos pietate divellere, quam nobis ad eandem aditum aperire. Frustra tandem adjiciunt, Deum libentius se iis communicare, qui recta pergunt ad ipsum, & qui eum in simplicitate cordis inquirunt; quimobrem S. Bonaventura dixit aliquando egenam mulierculam omni scientia, & doctrina vacuam posse amare Deum, quantum subtilissimus quisque Theologus, & perspicacissimus Doctor. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In sanctum hanc Ordinē admissa fratris illius spiritum incolit.

Vix Bonaventura adhuc puer in S. Francisci Ordinem ingressus est, cum mentem suam replevit virtutibus Magni Institutoris. Seipsum intuitus est tanquam hominem, qui mundo crucifixus esse debeat: & cui vicissim crucifixus Mundus; tanquam hominem vocatum a Deo, ut conformis fieret imagini filii sui; atque ex eo temporis momento insculpere adnisus est in anima sua omnia perfectæ hujus conformitatis lineamenta. Non solum spiritum suum scientia excolere cœpit, sed emundare cor charitate; hac in re longe alius a Doctoribus illis, qui infinitis, iisque curiosis & inutilibus perquisitionibus abditi, mentes suas in præceps agunt, S. Augustinus ait, ut tenuium infimarumque rerum cognitionem acquirant. Econtra sese ad immutabilis veritatis cognitionem evexit. Nitendi ambitio, libido eruditi famam aucupandi, impatientia magnam nominis sui celebritatem acquirendi, nullam in Sancti nostri studiis particulam obtinuistis. Cum ille semet sanctificare, & in doctum, sanctumque virum evadere quæreret, orationi vacavit, & totum illius studium fuit Crux Jesu Christi. Ad Crucis hujus pedes humiliabat spiritum suum, ut mysteriorum captum assequeretur, & cor suum emundabat, ut hoc ad eum excipiendum disponeret. Hinc ille sanctum sibi comparavit habitum in preces vertendi quidquid cogitabat, & nunquam studium ab oratione sejungendi; ita ut cum studium ejus esset orationis sua fundamentum; oratio studii sui perfectissimum esset complementum. *Sermo MS.*

Bonaventura Crucem in scientiæ suæ objectum, vitæque normam convertit. Omnem gloriam in hac Cruce constituit; profitetur se nihil aliud scire, quam J. C. & hunc crucifixum; quærit illius mysteria cognoscere, intelligere virtutem resurrectionis illius, & in partem vocari passionum ejus. Alia quælibet scientia illi videtur inutilis; omnia illi detrimentum videntur cum sublimi J. C. cognitione collata; propter cujus amorem se rebus omnibus exuit. Hoc ille significavit D. Thomæ Aquinati, quos inter familiarissima intercedebat necessitudo; qui illius pietatem, ac doctrinam admiratus ab eo quæsivit, ex quibus auctoribus adeo præclaras cognitiones hauriret. Bonaventura talia quærenti Crucifixum ostendit, innuens, divini illius Salvatoris vulnera totidem fuisse Magistros, quos in dubiis consulebat, quos in difficillimis locis audiebat, & quos in decisionibus sequebatur. Ex fonte hoc scientiæ suæ elicuit principia, & luminum suorum subtilitatem. Hac arte impenetrabilia penetravit mysteria, altissima evolvit Religionis secreta, & admirabilem obtinuit in scientia, & pietate progressum. *Sermo MS.*

Bonaventura in statu quem amplexus est ad Crucem sibi proponit tanquam objectum scientiæ, & votorum fucrum.

S. Bonaventuræ scientia sua usus est, ut Sanctior fieret. *Sap.* 11.

Noster Sanctus Doctor hoc sibi persuaserat Scientiam Sanctorum hunc tenere, qui sciret vitam ducere, ut illi, eorum virtutes imitari, per Orationem adhærere Deo; quod si absit, scientiam non aliud esse, quam inanem curiositatem: *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei*, ut Sapiens ait. Verbo; studebat, ut seipsum sanctificaret, atque ut magis, magisque excitaret se ad amorem Dei per eas cognitiones, quas acquirebat, & quas omnes ad finem hunc referebat. Procul ab inexplebili desiderio omnia sciendi, quod efficit, ut lumen ardori, hoc est, scientia pietati præferatur, vel quod universa studia sua transfert ad eruditi hominis famam aucupandam, non autem ad majorem Sanctitatem acquirendam, & ob adhærendum Deo scientiarum, ut loquitur Propheta. Hic abusus est, & malum, de quo ævo suo conquerebatur S. Bernardus, merito redarguens hanc inconditam aviditatem atque sciendi intemperantiam (absit invidia verbo) quæ efficit, ut scientia pietati præferatur etiam ab iis, qui sese divino cultui devoverunt. Id genus homines, laudatus Doctor inquit, fusdeque miscent ordinem, quem Deus in Ecclesia constituit, ubi vult eos, qui Doctores sunt, & tanquam lampides in Ecclesia, ut aliis præluceant ardentes æque esse ac lucentes; & ideo lucentes, ut sentiatur ignis, qui lucem eam parit: *Lucerna ardens, & lucens*; cum econtra plerique lucere tantum velint nitore doctrinæ suæ, & Oratorum famam captare sæpe etiam cum detrimento charitatis, quam violant, vel cujus acquisitionem contemnunt: *Volunt lucere, non ardere*, nullo in discrimine habentes virtutes, quæ hominem vere doctum & coram Deo, & coram hominibus constituunt, & lucem tantummodo quærentes, qua ipsi priores perstringuntur, antequam cæteros perstringant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Joann. 5.

S. Bonaventura viam secutus est prorsus aliam a sæculi eruditis.

S. Bonaventura viam prorsus aliam ab illa Doctorum mundi hujus arripuit: Etenim non solum prætulit semper pietatem, ac devotionem scientiæ, sed etiam pietatem, & devotionem viam sibi esse voluit ad comparandam profundam scientiam, in qua mirum in modum enituit; viam plerisque doctis viris ignotam, qui ut ad scientiam perveniant, non aliam norunt, nisi laborem improbum, ac assiduam in studiis curam; dies, noctesque transigere in lectione librorum, qui funditus de rebus pertractant, & denique per profundam meditationem expiscari in hac naturalium, divinarumque cognitionum abysso, ut inde hauriant veritatem. Hoc totum illud secretum est, quod invenire valuerunt; si enim mediocri licet sit ingenio præditus, ex eorum sententia nonnisi pervenire dabitur ad terminum, ubi ingressus viam fueris, quæ illuc adducit. Alia Eruditorum illusio circa scientiam; viam quidem illuc perveniendi arripiunt, non autem breviorem, neque tutiorem. Ubi primum per obedientiam Superioribus suis præstitam intellexit S. Bonaventura, cunam scientiæ ex Dei voluntate opera sibi essent navanda, cum ex profanis litteris illud solum, quod necessarium erat delibans hac via ad summum luminis gradum pervenit, quo homini liceat ascendere. *Idem.*

Admirabilis S. Bonaventuræ progressus in scientiis per pietatem.

Sanctus Doctor noster divino adjutus auxilio, quod crebro deprecabatur, eo perfectionis evasit in morum Theologia, & ea, quam Scholasticam vocant, in Patrum lectura, & in reconditis, difficillimisque veritatibus, ut habitus fuerit par illis tradendis in præcipuo totius terrarum orbis gymnasio, cum vix quintum supra vicesimum ætatis annum attigisset. Hoc simile prodigio fuit, adeo brevi tantum profecisse, & in hoc stadio majorem progressum fecisse, quam vulgo eruditissimus quisque in fine vitæ suæ. Sed sciendum quoque est, illum, ut hoc assequeretur, tutiorem, ac rectiorem viam secutum esse, quam alii; viam autem hanc fuisse constanti studio pietatem, atque ferventissimam devotionem addidisse. Hoc ille aperuit insigni Sancto viro, Thomæ Aquinati, cum quo arcto amicitiæ vinculo, ac scientiarum commercio conjunctus erat. Hic enim Amicus, & Doctor adeo perspicax admiratus sublimes cognitiones, quæ in S. Bonaventuræ locutionibus, & Scriptis redundabant, illum obtestatus ne sibi diutius

Digitized by Google

abſconderet, quod jampridem ſcire cuperet, nempe ex quo fonte ſcientiam adeo ſolidam hauriret, & quinam eſſent libri, a quibus tantas opes mutuaretur; Sanctus noſter nonnullos illi oſtendit, quibus frequentius uti conſueverat. Heu! non hos inquiro, ſubjicit, fidelis amicus: Hos equidem legi, neque ex his quidquam ſimile hauſi, iis, quæ abs te una in converſatione percipio. Hunc igitur mihi theſaurum impertire, quandoquidem inter amicos omnia eſſe debent communia; ſecretum, quod mihi aperies, pignus erit tuæ erga me ſinceræ amicitiæ. Ergo quoniam nihil inter nos occultum eſſe debet, ſubdidit alter, ecce pretioſiſſimum Bibliothecæ meæ librum, ſimulque illi Crucifixum oſtendit; me ipſo noſti melius in eo, quem repræſentat, omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros contineri. Hic liber eſt, de quo loquitur Apocalypſis, qui intus & extra ſcriptus eſt; Verbum æternum, increata ſapientia: apertiſſima ſubliſſimarum veritatum expreſſio. Hic liber eſt, ubi brevi, & modico ſumptu omnes diſci poſſunt naturales, ac divinæ ſcientiæ, ubi condita ſunt altiſſima quæque myſteria. Liber hic extrinſecus ſcriptus eſt; plagæ, quæ ſunt in Corpore hoc adorabili, characteres ſunt. In cruentis hiſce characteribus lego amorem, quo me Dei Filius amavit; ſimulque amorem, quo illum proſequi debeo. Ibi video quidquid fecit, & ad unguem video quidquid me facere deceat: Morte illius doceor, qualis vita mea eſſe debeat. Magnus Apoſtolus, qui in Cælum raptus didicerat arcana verba quæ non licet homini loqui, huc tandem redit. Profitetur ſe nihil ſcire præter Jeſum Chriſtum crucifixum; & doctiſſimus erat, quia perfecte illi ſtuduerat. Ita, Pater mi, ſi quam in me vides divinæ hujus ſcientiæ emanationem; illius fontem tibi aperio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Pietas Sanctiſſimæ Venturæ non obfuit ſtudiis ejus immo quam maxime profuit.

Ambigi nequaquam licet tantum abfuiſſe, quod pietas Doctori noſtro fuerit ſtudiorum impedimentum, ut ſuerit etiam ars admirabilis, quam invenit, ut ad ſublimem hunc ſcientiæ gradum perveniret, propter quam omnes illam admirantur. Verum eſt methodum, quam in hoc ſtudio ſervabat, non ſemper eandem fuiſſe: non ſemper cogitabat hunc hominem Deum Cruci ſuffixum, ſed aliquando etiam veluti in altaris Sacrificio immolatum meditabatur; & pietas ſua, qua actus frequentiſſime Sacrificiis aderat, vel etiam inſerviebat, non parum contulit ad Scientiam ejus, ſimulque pietatem augendam. Norat unum inter divini myſterii hujus effectus, quod antiquitus luminum myſterium appellabatur, eſſe mentem æque illuſtrare, & inflammare cor; quibus addendum eſt devotionem erga Deiparam non minimo fuiſſe illi ſubſidio ad finem eundem. Recens illi ob oculos verſabatur exemplum in celeberrimo Alberto Magno, qui hoc pacto evaſit in virum ævi ſui omnibus in ſcientiis doctiſſimum; cum antea nihil omnino intelligere poſſet: ita ut quidquid devotionis ignem in Sancto noſtro alere poterat, ſimul mentem illius illuminaret, eique lucem quamdam afflaret, quæ nunnunquam palam in ejus ore emicabat. Dici quoque poteſt, ut illius pietas innoteſcat, orationem vulgo cum ſtudio confundere conſuevviſſe; ſæpe enim in precibus ſuis a Deo ſcientiam petebat, quæ ſibi ad ſanctitatem adipiſcendam erat neceſſaria; & cum ſtudiis vacabat, id unum quærebat, quomodo fieret ſanctior, atque perfectior. Hinc ille paſſim flexis ſtudebat genibus quaſi ferventi orationi vacaret. Hoc in corporis ſitu aliquando inventus fuit a Sancto Thoma, dum Bonaventura glorioſi Patris S. Franciſci vitam ſcriptis mandaret. Attentio, qua ille meditabatur, quæ ſcribebat, non paſſa eſt, ut animum adverteret viſitationi, quæ ſibi reddebatur: quamobrem veritus D. Thomas, ne ſcribentem interpellaret, ea vice receſſit hæc proferens verba, quæ palam oſtendunt quanti amicum ſuum faceret: *Sinamus Sanctum pro Sancto ſcribere. Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Sancti noſtri cor adeo plenum erat charitatis ardore, ut ipſa ejus ſcripta in lectores ſuos ignem accendant.

Quemadmodum ſcientia & pietas mutuo ſibi lucem, ſubſidiumque afferunt; utriuſque hujus rei fœdus peculiariter Sanctum hunc Doctorem ab aliis fecernit, ejuſque ſcripta æque reddit valentia ad inflammanda corda igne charitatis, ac apta ad erudiendas mentes de Religionis officiis. Hoc ipſum illi Seraphici Doctoris nomen comparavit, ſicut alibi dictum eſt, ad innuendum ſcientiam illius prorſus ſingularem extitiſſe, & ardorem, quo cor illius æſtuabat, nihilo minus luminibus eſſe inferiorem. Miraculum eſt, dicunt quidam vitæ ipſius Scriptores, quod tam brevi tantum legerit, & ſcriptis mandaverit: ſed non minus miraculum quod potiorem temporis hujus partem pietati, & operibus charitatis impenderit. Si loquitur in ſcriptis ſuis tanquam ſcitus, doctuſque Magiſter, nonne videtur, etiam Sixtus Papa V. ait, Spiritus Sanctus per os illius eſſe locutus, & divinus amor ſeſe in omnibus verbis ejus exhibuiſſe? Profecto ſi dilectus nos monet diſcipulus, non verbis, ſed operibus indigitari amorem, quo aliquem proſequimur: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere, & veritate*, ab hac regula nonne excipi poteſt S. Bonaventura, quoniam ſingula illius verba vividæ ſunt expreſſiones ardoris, quo cor illius conflagrabat? Vel nonne aſſerere fas eſt ſecundum Evangelium, os ſuum ex abundantia cordis locutum fuiſſe? Et demum illum Dei ſpiritu animatum de nulla re alia ſniſſe ſollicitum, niſi ut Deum amaret, alioſque ad illum amandum excitaret; in quo vera pietas conſiſtit? Talis erat S. Bonaventuræ pietas, quæ propter ſtudium non exaruerat, & quam officiorum multitudo, quibus indefinenter premebatur, nunquam interpellaverat. *Idem.*

1. Joann. 3.

Profunda noſtri Doctoris humilitas.

Quod coram Deo magnum Sancti hujus Doctoris meritum, & argumentum elogii Sancti hujus conſtituit, illud eſt, quod humilitas ejus exæquavit hanc ſcientiam adeo ſublimem, atque profundam, quaſi ipſe pactum iniiſſet tantum ſeſe in conceptu ſuo ſubmittendi, quantum apud alios ingenii laude excellebat. Omnes luminis hujus ſulgor perſtringit, ipſe unus id minime ſentit. Similis Moyſi, qui de monte deſcendens non videbat ſui vultus nitorem, quem alii intuentes ferre non poterant. Deſiderium quo flagravit ſeſe mundo abſcondendi, & aliorum oculos fallendi, effecit, ut S. Franciſci Ordinem ingrederetur, qui præſertim humilitatem profitetur, quemadmodum nomen ipſum indigitat. Ibi inter tot ſummos viros nitet, ac oſtendit ſe parem primis honoribus; ita ut ordo univerſus illum maximis muneribus explendis idoneum arbitretur: ſed Bonaventura nonniſi abjectiſſima conſectatur, ut pauperibus, ægriſque deſerviat, & ea ſibi depoſcit, quæ alii maxime perhorreſcunt. Jam par exiſtimatur, qui Doctoris inſignibus decoretur, ſociumque, & competitorem habet D. Thomam eadem die laurea donandum. Nonne expectatis quod duorum horum virorum concurſus aliquam cieat æmulationem, & æmulatio certamen pariat, uter prius admittendus ſit ea in occaſione in qua humillimi quoque ſibi licere putant jus ſuum perſequi, ſuumque locum tueri? Sunt jura quædam, & prærogativæ cum antiquitate conjunctæ, quas modeſtiſſimi, & minus ambitioſi aliis cedenda non eſſe putant, potiſſimum vero propter beneficia, & honores, quæ antiquitatis jure conferuntur. S. Bonaventuræ jus in quæſtionem minime vocabatur, ſed humilitas ſua obſtitit; ceſſitque ſuo competitori. Verbum hoc erga alium, vel alia in occaſione perferri poſſet; ſed hoc in loco nil quæritur aliud niſi uter alteri cedat, & ratus eſt S. Bonaventura palmam præripuiſſe, D. Thomam cogens, ut prior laurea inſigniretur. Hæc Sanctorum ambitio, ſeſe totus mundi pedibus, ſi liceret, ſubjicere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Ejuſdem argumenti.

Neſcio quæ futura ſit mortalium ſententia de Bonaventuræ facto, qui locum ceſſit D. Thomæ competitori ſuo, ut uterque ſimul inſignis Doctoratus aſſequerentur: narrat quippe hiſtoria, Sanctum noſtrum primo admittendum fuiſſe. Sed quin loquamur de naturalibus ſtudiis, quibus quiſque locum ſuum tueri quærit, & ſua aſſerere privilegia; quin verba faciamus de rationibus, & cauſis, quas alterius cujuſquam ambitio ſuggerere voluiſſet propter gloriam Ordinis ejus, cujus geſtantur inſignia, conſiderari poteſt, hac in occaſione Sancti Noſtri humilitati certandum fuiſſe cum humilitate S. Thomæ, humilitatem S. Bonaventuræ infirmiorem fuiſſe, eo quod jus penes illum erat, ideoque communem regulam illi contrariam fuiſſe, & nihilominus ipſum pervaluiſſe virtuti hominis, qui nihil miſſum fecit, ut ſemet tueretur, & qui palam videbat ſolidam ſibi præripi gloriam, & coronam immortalem ſub ſpecie inanem præeminentiam illi cedendi. *Pater de la Colombiere.*

Theologiæ decere jubetur.

Vix S. Franciſci clauſtra ingreſſus eſt S. Bonaventura, cum in eo deprehenſum fuit ingenium par muneribus maxime nitentibus, & ſimul cor avidum eorum, quæ humillima ſunt, atque obſcuriſſima. Quamprimum Pariſios miſſus fuit, quo omnes undique confluebant ad diſcendas ſub eruditiſſimis Magiſtris humanas, divinaſque ſcientias. Vix ille bis, vel ter audiit Alexandri Alenſis lectiones, cum par inventus fuit, ut alios erudiret. Ordo univerſus ex illa die cenſuit, illum in Præceptoris ſui locum ſuffici poſſe, ac tempus jam eſſe illum provehendi in eam Mundi lucem, & exedram, ex qua dici poterat, illi ad Europam univerſam eſſe loquendum. Cœpit igitur palam explicare Scripturas, & ſententiarum Magiſtrum, eo eventu, quem ſibi quiſque ab illius ingenio, & labore promiſerat. Auditorum ſuorum qualitas, numerus, & plauſus brevi confirmarunt judicium, quod Superiores ejus de illius tulerant eruditione. Nomen ejus ubique inclaruit, neque intra Alpes ſeſe continuit. Septennio docuit, & S. Thomas, Angelus, & Sol Scholarum, oblectabatur aſſidue illum audire docentem, neque ſatis admirari poterat mentis illius lumina, ita ut diſceret ex ejus lectionibus aliquid, quod fruſtra in libris omnibus inquirebat. *P. de la Colombiere.*

Aſſiduitas S. Bonaventuræ in obeundis perfecti cœnobitæ muneribus, ſe ſubjiciendo abjectiſſimis quibuslibet exercitationibus Ordinis ſui cum traderet Philoſophiam.

Quamcunque nominis celebritatem in Ordine ſuo ſibi comparaverit meritis, ac pietate ſua S. Bonaventura; nunquam ſe indignum ratus eſt, ſubmitti, ut Fratrum ſuorum minimo abjectiſſimam quamlibet operam præſtaret. Toto eo tempore, quo Pariſiis commoratus eſt, licet tot diſtineretur negotiis, quæ in dies percreſcebant, licet non modico indigeret otio, ut publicas lectiones elaboraret, ut ſingillatim reſponderet iis, undique ad ipſum tanquam oraculum confluebant; ut ſatis faceret votis illuſtrium perſonarum vel genere, vel ſcientia, vel aliunde conſpicuarum, quibus jugiter obſidebatur: quamvis præter communem laborem aliquod ſem-

Digitized by Google

ſemper magni momenti opus præ manibus illius verſare tur; & modo Ordinis Superiores, modo Summi Pontifices illius opera uterentur ad coercendos ſtatus religioſi, vel Eccleſiæ Romanæ inimicos: quamvis ſcholaſticis exercitationibus, prædicationis labor accederet, crederes ne, nihilo ſecius per annos ſeptemdecim nunquam defuiſſe quominus dimidium ferme diem in ægrotantium cura aliiſque domeſticis officiis impenderet? Mirum erat videre magnum hunc virum ab exedra ſua, ubi tanta cum nominis celebritate docuerat, recedentem abjectiſſimis domus officiis ſeſe immiſcere, & inferioribus etiam Miniſtris præſtare obedientiam. Quodnam ſpectaculum Angelis, & hominibus, cum Doctor hic eximius Principum virorum familiaritatem, ac ſublimiſſimarum ſcientiarum ſtudia fugiebat, ut valetudinarium ingrederetur, & officium adeo abjectum hilari, magnoque animo obiret? Nonne videmini videre illuſtrem hunc virum, qui Lutetiam, Galliam, & univerſum terrarum orbem replevit ſcientiæ ſuæ fama, & ſanctitatis odore, hunc virum, qui lumen eſt Ordinis ſui, terror hæreticorum, & improborum, magiſter eorum, qui res divinas contemplantur, una ex Eccleſiæ Columnis; hunc virum, ad quem conſulendum ab extremis terrarum partibus accedebant; nonne videmini illum videre tanquam ex officio ægrotantium lectulis inhærentem, huic humilitatis exercitio ſucceſſivas horas, & vitæ ſuæ otium impendere? Conjicite ex aſſiduitate, conſtantia, electione eorum morborum, qui facilius nauſam movent, & quos magis horret natura: conjicite, inquam, quinta in ſumma abjectione perfundatur lætitia. *P. de la Colombiere.*

S. Bonaventura electus in Generalē Ordinis S. Franciſci.

Deus, qui per divinam Providentiam peculiarem Sancti hujus Doctoris curam agebat, cum propter Eccleſiæ ſuæ commodum, tum propter ſui nominis gloriam voluit, ut in Ordinis totius Generalem Rectorem eligeretur. Electus autem fuit tanquam alter David præ reliquis fratribus ſuis, quia erat eorum minimus, ſcilicet humillimus. Merita ejus potius quam ambitio; virtutes potius, quam ſors; pietas potius quam favor, gradus fuere, per quos ad hunc apicem evectus fuit: quem etiam cum humilitate reſpuit; quia tanquam Samuel alter ſibi hominis vocem audire viſus eſt, cum Dei voce appellaretur. Sed tandem accepit ex obedientia locum hunc, quo ſe penitus indignum cenſebat, & quem alii, quia ſe eodem dignos arbitrantur, ſæpe occupare adnituntur plurimis artibus, ut immoderatæ ambitioni ſuæ ſatisfeciint. Quomodo tunc uſus eſt ſive ſcientia ſua, ſive pietate, ſive tandem auctoritate, ut iterum in Ordine ſuo pauper, humilis, pœnitens S. Franciſci ſpiritus refloreſceret? Modo Fratres ſuos zelo, atque ſcientia, atque charitate referto contra calumnias inimicorum propugnat; modo quemdam ex Provinciarum ſuarum præfectis docet, Epiſcopos revereri, Sacerdotes colere, populos ædificare; ſuperioribus ſuadet vigilantiam, charitatem, atque diligentiam, inferioribus obedientiam, & humilitatem, omnibus inſtitutæ vitæ commendat incolumitatem. Modo velut murus aheneus adverſatur conatibus ambitionis, & cupiditatis, qui affectus clauſtrorum repugnant paupertati, & humilitati. Modo tandem intelligens mollitiem & indulgentiam Capitis plerumque fovere laxitatem in Religionibus, præcipit, ut ſevere in eos animadvertatur, quæ ſuavitas in officio continere non valuit. Quoties vitæ ſuæ puritas defectui ætati ſupplevit? Quoties actionum ſuarum ſanctitate eos lucratus eſt, quos correctionum ſuarum acredine mollire non potuerat? Quoties virtutibus ſuis in ordinem coegit, qui verborum ejuſdem auctoritati non conferant? Satis erat, ſi ſeipſum oſtenderet, atque proponeret, non ſecus ac Apoſtolus, aliis in exemplum, cum eſſet ille imago Jeſu Chriſti. *Sermo MS.*

Magna Bonaventuræ negotia in rectis ordinis regimine nihil tamen vel pietati illius obſtarunt.

Magna illa negotia, quibus oneratus fuit S. Bonaventura poſtquam illi totius Ordinis ſumma demandata fuit, quod accidit anno illius quinto ſupra triceſimum, prædicationis labores, moleſtumque docendi, ſcribendique exercitium nunquam illum a communibus pietatis exercitationibus avocarunt; immo dicam hoc in munere illum palam oſtendiſſe, quantum ſibi cordi eſſet ardens illa, ac tenera pietas, quam ſemper antea coluerat. Satis eſt illius libros evolvere, ut hæc veritas innoteſcat: omnia ibi ſanctitatem inſpirant, argumentum, ſtylus, ſententiæ: ibi cor ejus loquitur ſuoſque exprimit ſenſus. Dicitur ille trecentos, & ultra aſceticos ſcripſiſſe libros præter Commentarios in Biblia, & ſermones de Religionis noſtræ myſteriis. Hæc totidem ſunt devotionis, & pietatis ejuſdem monumenta, qua ſcatent illi omnes, qui nobis ſuperſunt. Quam acuta ardentis hujus charitatis tela in piis meditationibus ſuis non torquet! Quid magis tenerum, acre, & animatum, quam ejus cum Salvatore Crucifixo ſoliloquia! Diceres cor ejus colliquatum fuiſſe vi charitatis ardentis, quæ illud inflammaverat, non ſecus atque cor Sponſæ Canticorum. Quam devotioni teneritudinem non inſpirat in libro, quem Aculeum amoris Dei nuncupavit. Jure quidem hunc illi titulum appoſuit, nihil enim aptius eſt ad amorem Dei ciendum illis argumentis, quæ preſſiori ſtylo ibi proponit. Cætera illius opera ejuſdem præter propter ſunt characteris. Myſticus eſt, ſine exaggeratione, ſolidus ac devotus, quin in eas erumpat imaginationes, in quas lapſi ſunt nonnulli, qui eum imitari voluerunt; & quod ſingulare eſt, cum alii Myſtici auctores intelligi nequeant, neque in iis, quæ ſunt vulgatiſſima; hic econtra unctionem ſuam effundit in ea etiam argumenta, quæ abſtruſiora ſunt, & abſtractiora. Nihil magis ſolidum, & magis orthodoxum eſt, quam magni Sancti hujus doctrina, quæ ne tranſverſum quidem unguem ab Eccleſiæ ſenſu recedit; ſed diceres ſimul ibi retia tendi, ut ad pietatem animæ pertrahantur, qui quidem Sanctiſſimus illius ſcopus, & finis eſt. Huc ſemper tendit; undecunque arripit occaſionem iis, qui frigidiores ſunt, & languent, inſpirandi modo zelum gloriæ Dei, modo ſummam in divina illius miſericordia confidentiam, modo profundam erga ſupremam illius Majeſtatem reverentiam, præſertim vero extremam beneficiis illius gratitudinem. Verbo, hic Doctor pius eſt, qui ſtudet in cordibus ciere ſenſus pietatis, quibus ille repletus eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Opera a S. Bonaventura Eccleſiæ præſtita inter xvii illius tumultus.

Fingite vobis, quinam erat Eccleſiæ ſtatus, cum S. Bonaventura ſcientia, & ſanctitate clareſcere incepit. Unitas Sanctæ hujus Sponſæ Domini Græcorum ſchiſmate oppugnata, & fere expugnata: diſciplina Cleri flagitiis labefactata, ac ferme extincta; charitas populi criminibus ſaucia erat, & exinanita. Fingite vobis Eccleſiaſtica bona, vel ab indignis poſſeſſa, vel a laicis per nefas uſurpata; abuſus, qui in conſuetudinem migraverant in Eccleſiis per mortem paſtorum in aliis, in aliis vero propter Epiſcoporum abſentiam: Denique Imperatores, & Chriſtianos Principes ob varias cauſas diſſentientes, & Cardinales ipſos in diverſa abeuntes conſilia pro communi Eccleſiæ utilitate, & in Summi Pontificis electione. Hujuſmodi fuere mala, quæ torrentis inſtar Eccleſiæ faciem inundabant, cum Deus, cujus ſapientia ad illius incolumitatem invigilat, S. Doctorem noſtrum ſuſcitavit, ut pro viribus tot malorum curſum inhiberet. Et ſane quid ille intentatum reliquit, ut Orientis Eccleſiam cum Romana Sede conciliaret? Quid miſſum fecit, ut in Sacrorum Altarium miniſtris pietas reviviſceret? Quos non ſuſtulit abuſus in injuſta plurium beneficiorum poſſeſſione? Quot labores hauſit ut populos in pietatis viam revocaret; ut ex agro Eccleſiæ convelleret zizania, quæ inimicus homo ſuperſeminaverat? ut Epiſcopis, & Paſtoribus animarum perſuaderet neceſſitatem reſidendi iis in locis, qui curæ illorum fuerant demandati? Qua vi, & ardore Principibus Chriſtianis oſtendit, eorum pro levis momenti negotiis diſcordiam omnia ſcelerum genera in Chriſtianis imperiis fovere? Profecto ſi minus Sanctus hic Doctor omnia prorſus eradicavit mala, quibus ævo ſuo afflictabatur Eccleſia, merito affirmari poteſt illum plus, quam alium quempiam contuliſſe ad magnam illorum partem exterminandam.

Quanti fieret S. Bonaventura propter illius pietatem, & lumina?

Sæculum Sancti Doctoris noſtri ſæculum erat ſummorum virorum propter eruditiſſimorum Theologorum multitudinem, qui in mundo enituerunt. Albertus Magnus, Alexander Alenſis, qui Doctor irrefragabilis dicebatur; S. Thomas Aquinas Scholæ Angelus, Scotus Doctor ſubtilis, S. Antonius Patavinus, quinam viri! Quinam ſcientiæ fontes! quænam Eccleſiæ lumina! quin longe plures memoremus, quorum nomina, & ſcripta ad extremam uſque poſteritatem vigebunt. Gloria nihilominus, & celebritas tot virorum non offecit S. Bonaventuræ nomini, neque prohibuit, quo minus una inter præcipuas Mundi univerſitates litteratiſſimis viris, eruditiſſimiſque ingeniis affluens illum admirata fuerit, & tanquam nitidiſſimum ſydus ſuſpexerit: quo minus Alexander Alenſis, qui illius fuerat inſtitutor, confiteretur, ſe plura a diſcipulo didiciſſe, quam illum docuiſſe; quo minus D. Thomas frequenter ad illius audiendas lectiones ventitaret. Nomen ejus adeo celebratum fuit in Europa univerſa, & fama, quæ Alpes ipſas eſt prætergreſſa, illi in aula Romana conciliaverat dignitatem, quam non minus, quam Vaticani fulmina formidabat. Obtulit illi Clemens IV. Eboracenſem Archiepiſcopatum inter locupletiſſimos Angliæ, Eccleſiam illius regionis celeberrimam. Hanc ille renuit, ſed humilitas ſua ea in occaſione tantam eloquentiæ vim miniſtravit, ut Pontifex æqui, bonique fecerit cauſas, quas ille attulit repulſæ hujus, vel potius colores, quibus uſus eſt, ut tantum onus deprecaretur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, & P. de la Colombiere.*

Profunda S. Bonaventuræ humilitas.

Sanctus Doctor noſter laudes, plauſus, & quidquid oſtentationem redolet, ita horrebat, ut horrorem hunc continere non poſſet, modo illorum conſuetudinem fugiens, qui illius ingenium plurimi faciebant; modo ſeipſum; ſuoſque defectus aperiens; & ejus libri non minus ſenſibus altiſſimæ humilitatis, quam teneræ pietatis redundant. Hujus ubique veſtigia reliquit: ita ut ſi ambitio, & opinio bona, quam habet quilibet de ſcientia ſua, doctos paſſim excæcat; econtra aſſeri poteſt, humilitatem quodammodo ſanctum noſtrum excæcaviſſe, & effeciſſe, ut ille in perſona, ſcriptiſque ſuis deprehenderet labes, & nævos, quos nemo videbat. Hic tamen alius eſt virtutis gradus, quem S. Bernardus rariſſimum putat, hoc eſt in communi præclaraque exiſtimatione humilem de ſeipſo ſenſum fovere. Tandem enim inauditum non eſt, ut aliquis in tenebris, & caligine, cui non arriſit natura, humilis ſit, atque ambitionem

Digitized by Google

suam intra eum statum cogat, in quo est: quod vero inter honores, & dignitates, ad quas aliquem sua merita, & communia extulerunt suffragia, non tumescat, & non putet sibi deberi eos plausus, qui majorem contemptum, quam reverentiam conciliant: hæc rara virtus est, quæ fere mortalium omnium admirationem meretur. *Rara virtus est, humilitas honorata.* Sed ubinam magis præclara virtutis hujus exempla reperies, quam in Sancto Doctore nostro? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejusdem argumenti.

Parum est, quod Ordo universus sibi in Generalem doctum, humilemque Bonaventuram depoposcerit; opus est ut illum universa colat Ecclesia, & tanquam Caput suum veneretur, vel ipse Ecclesiæ universæ Summum Pontificem tribuat. Ita est. Non solum illi summus Pontificatus offertur, sed quod ante eam diem novum erat; & inauditum, quod omni caruit, & carebit exemplo, tantum honorem detrectanti, uni illi Vicarii J. C. electio permittitur. Tres jam excesserant anni, ex quo post obitum Clementis IV. pastore suo viduata erat Ecclesia: & Cardinalium cœtus nondum in Successore deligendo potuerat consentire. Immo ita affecta videbantur omnia, ut nulla spes esse videretur futurum, ut diuturnis deliberationibus finis imponeretur. Interea tam diuturna anarchia officit Ecclesiæ, & plura eidem videtur mala allatura, quæ vix, & ne vix quidem plures Pontifices poterunt reparare. Ad preces ergo confugitur, cœleste auxilium iterum exposcitur, donec tandem Cardinalibus placet consilium, quod non proficisci aliunde poterat nisi a Spiritu, qui eorum cœtibus præest. Ad Præsulem nostrum confugiunt, obtestantur illum, ut Ecclesiæ regimen velit suscipere, vel saltem illis dare ducem, tantæ huic Provinciæ subeundæ parem. Significant illi satis jam deliberatum fuisse; celeritate opus esse, & se ab illius zelo, atque integritate celerem, certamque responsionem expectare; se quidem cupere, ut ille sibi acceptare vellet honorem ultro delatum, quo ipsum dignissimum arbitrabantur; sed se paratos esse, ut genu flecterent coram illo, quem ipsis illi indigitare placuisset. Potestne, quæso, mortalis homo majorem, magisque inauditum in terris honorem recipere! Video vos cupidos sciendi humilis Doctoris nostri responsionem propositioni adeo parum expectatæ. Non hæret ille in repellenda dignitate, quæ sibi offertur, non refugit tamen Summum Pontificem eligere, ac ostendere, se dupliciter dominum esse primæ coronæ totius orbis terrarum, quia & illam contemnit, & de illa disponit. Non assumit ille ex inferioribus suis, quem ad Sancti Petri Cathedram evehat; qua re potuisset Ordini suo conciliare honorem, quem jam acceperat in Nicolao, & quem deinceps in personis Sixti IV. Alexandri V. & Sixti V. recepit. Immo neque nominat aliquem e Sacro Cardinalium Collegio, a quo facta sibi fuerat hæc electionis facultas; oculos conjicit in virum Sanctissimum nomine Theobaldum, qui plures annos latentem obscuramque vitam agebat in desertis Palæstinæ. Summus Pontifex appellatus fuit Gregorius X. *Pater de la Colombiere.*

Idem argumentum aliter enucleatum.

Quemadmodum scientia nullibi magis, quam in hoc Sancto viro fuit honoribus decorata, ita nemo magis coluit humilitatem, quandoquidem eo processit, ut humiliationem diligeret, & præferret latebras, & contemptum splendori, dignitatibus, & rebus omnibus, quæ hominem super cæteros possunt attollere. Citra hyperbolem loquor, & quin quidquam exaggerem; quoniam reipsa illi oblata fuit prima dignitas mundi, videlicet Supremus Pontificatus, & regimen Ecclesiæ totius. Neque inane fuit illud consilium, sed omnium Cardinalium electio, quæ Sancto viro præbuit occasionem maximum humilitatis actum exercendi per repulsam illius dignitatis, qua non alia est in terris sublimior. En quomodo se habuit res. Tres jam elapsi erant anni, ex quo Conclave pro Pontificis electione post Clementis IV. decessum coactum fuerat, quin inter illos de Successore deligendo constare posset, & cum diversæ partes essent æque potentes, nulla spei lux affulgebat fore ut brevi res componerentur, non sine gravissimo totius Christianæ Religionis detrimento. Concursum est ad preces, & vota, & Cardinales, inter quos convenire non poterant, ut ex numero suo aliquem eligerent, qui toti præesset Ecclesiæ, extra aliquem eligendum censuerunt, & oculos conjecerunt in humilem Franciscanæ Familiæ Rectorem. Ordo hic jam quatuor Ecclesiæ Pontifices dederat, & universus Cardinalium cœtus censuit, neminem dignius locum hunc replere posse, quam illum quem Ordo ipse sibi in Caput depoposcerat. Unum dumtaxat obesse poterat huic consilio, quod nemo unus dubitavit, quominus afflante Spiritu Sancto initum fuisset; humilitas videlicet hujus Præsulis, quem jam constabat tantum hoc honoris, & oneris detrectaturum. Consultum est tamen, ut illi fieret optio, vel supremam hanc dignitatem excipiendi, vel eligendi eum, quem tanto muneri aptissimum crederet. Quid vobis videtur de hoc adeo singulari eventu? Fateor, hunc quidem Sancto Doctori negotium non facessere non potuisse; qui nonnisi ægre ex tam difficili negotio sese expedivit, quod ille respiciebat tanquam laqueum suæ humilitati positum; quia in honore sibi oblato nullum interesse putabat discrimen, sive ille primum Terrarum solium obtineret, sive in eo aliquem quemcunque vellet ipse collocare. Utrumque profecto repulisset, nisi præsens cura, & status ad quem omnia erant redigenda, nisi celeriter consultum fuisset, eum coegissent, ut flagitationibus cederet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem sequitur argumentum.

Si humilitas S. Bonaventuræ enituit, ubi oblatam sibi Pontificiam dignitatem recusavit, non minus resulsit in eo modo, quo se gessit, ut alium eligeret. Non respexit enim carnem, aut sanguinem, ut in Familia sua recentem numeraret Pontificem, neque ut Ordini suo gloriam hanc procuraret, & cum inveniret, qui privilegia ordinis vel augeret, vel confirmaret. Neque amicum sibi comparare quæsivit, qui tantam illi dignitatem deberet; sed arbiter electionis adeo felicis, & primæ totius mundi Thiaræ non domi suæ, neque in Ordine suo quæsit, cujus capiti imponat, sed eligit eum, quem eadem dignissimum putat. In solitudinis penitiori recessu, & in Palæstinæ desertis sanctum inquirit hominem, quem de latebris in lucem trahit ad hunc apicem promovendum, ejusque electionis causam prætexit, neminem a se illo sanctiorem, ideoque digniorem agnosci, qui hoc nomine, & hac dignitate insigniretur.

Quomodo hæc S. Bonaventuræ humilitas in illam honore relucerit.

S. Doctoris nostri humilitas mercede non caruit. Supremus Pontifex Lugduni cogit Generale Concilium; venerabile Concilium sive œcumenicam illius auctoritatem spectes, seu numerum Cardinalium, & Episcoporum, seu præsentium Principum, & Legatorum utriusque Imperii. S. Thomas etiam accersitus fuit, sed cum mors illum secus viam fuerit adorta, ejus anima in Cœlum in centrum luminum, quibus in terris repletus fuerat, evolavit. *Diversi Auctores.*

Quomodo Deus ulus fuerit humili Bonaventura pro Ecclesiæ negotiis?

Sicuti nunquam visum fuit humilitatis, & integritatis exemplum illo admirabilius, quod nobis S. Bonaventura reliquit in facto celeberrimo, quod memoravimus, mirum non est si Deus, qui humilibus utitur ad gloriam suam procurandam, insignem hunc Sanctum exercuit in difficillimis Ecclesiæ negotiis ut illum opponeret hæreticis ævi illius, ut errores, ac perniciosos libros refelleret, ut Religiosum statum propugnaret qui acerrime lacessitus fuit, ita ut illum funditus evertere conarentur. Sed omnium operum illius gloriosissimum, illud saltem, cujus non minimam ille partem obtinuit, fuit Græcæ Ecclesiæ cum Latina conciliatio post Schisma plurium sæculorum, & post tot conatus, ut inter utramque de Sancti Spiritus processione constaret. Gregorius X. Pontifex Sanctus, & zelo succensus non desperavit se hoc consecuturum, eaque in occasione Ecclesiæ, & Religionis negotia in manu posuit illius, qui sicuti narratum est, ad S. Petri cathedram illum evexerat. Neminem censuit huic negotio pertractando aptiorem Doctore nostro, cujus scientia omnes licet impeditissimas difficultates poterat enodare, quas Græcorum subtilitas objicere consueverat, & cujus humilitas illos allicere poterat, & cogere; ut rationibus suis victas darent manus. Concilium Generale ad id Lugduni habitum est, & humilis Bonaventura coactus fuit accipere dignitatem Cardinalis Episcopi, ut majus robur, & auctoritatis pondus accederet tanti momenti transactioni; ubi licet ille reluctaretur, hæc ejus promotio eo modo peracta est, qui nullum ante id tempus, vel post habuit exemplum. Cœtus frequentissimus fuit; ipse aderat Summus Pontifex, Orientis Imperator, Rex Aragoniæ, Legati omnium Principum Ecclesiæ utriusque Patriarchæ, Cardinales, ingens Antistitum, & Ecclesiasticorum numerus, necnon Regularium ex omnibus Ordinibus. Sanctus noster initium fecit; & quasi adhuc Doctor esset, & Magister, fuit arbiter omnium disputationum, omnium collationum, atque decisionum. Græci victi quidem fuerunt argumentis, quæ S. Bonaventura protulit tanquam Theologus, & Doctor; sed nonnisi ejusdem humilitate victi arma abjecerunt. Eos S. Bonaventuræ scientia devictos fuisse universa testata est Ecclesia, sed humilitati illius victoriæ gloria accepta relata est: quippe confessi sunt, se adeo sublimi scientiæ non posse resistere, quæ cum tanta modestia erat conjuncta. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Doctoris mori post adeo præclaram facies, & antequi Concilium dimitteretur.

Actæ sunt immortales Deo gratiæ ob tantum hunc, & felicem successum reconciliationis Ecclesiæ Græcæ cum Latina, cum Deus, qui cognoscit terminos plenitudinis donorum suorum in Sanctis, voluit S. Bonaventuram remunerari. Obiit hic ante Concilii finem, & mœror, quem hæc peperit mors quamprimum intercidit lætitiam, quam vita adeo utilis Ecclesiæ pepererat. Hic locus esset narrandi officia quibus illius memoriæ parentatum est; ea nempe quæ pietas, & grati animi sensus efflagitabant, cum Cardinalis in Concilio funebrem illius Orationem, vel potius Elogium protulerit. Sed satis est ostendisse vobis, scientiam ejus ad Crucis pedes haustam, virtutibus ejus roboratam, ac animatam zelo plurimum & hominum sanctificationi, & Ecclesiæ gloriæ contulisse. Magnus hic Doctor postquam per altissimam eruditionem suam uberes fructus tulit in Ecclesia, & coram Deo per insignem humilitatem gloriam adeptus est, tandem ex humanis decessit, antequam absolveretur Concilium, cujus anima, & Spiritus fuisse videbatur, & utraque

Ecclesia

Digitized by Google

Ecclesia feliciter ab illo conciliata certatim illius desiderium testata est, & nemo in augustissimo Cœtu illo fuit, qui non clamaret Christianitatis columnam corruisse, & Ecclesiæ lucernam extinctam esse. *Cecidit columna Christianitatis.* Communis dolor hanc querelam extorsit; nam quamvis hoc lumen ex hominum oculis evanuerit, tamen nitet in Cælo juxta illa Prophetæ verba: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Scripta ejus, ipso e vivis sublato, Ecclesiam in omnia sæcula illustrare non cessabunt, sancta, saluberrimaque doctrina, & pii sensus in iisdem effusi, alent charitatis ignem, quem Dei Filius tulit in terram. Ita ut ad doctrinam, pietatemque simul acquirendam, non aliis voluminibus, aut eruditionibus esset opus, quam illis, qui in operibus illius continentur, quemadmodum pius, & doctus Gerson testatur, qui magni hujus Viri admirator extasse videtur. *Auctores varii.*

Daniel. 12.

Ad colligenda ea omnia, quæ de S. Bonaventuræ laudibus dicta sunt, mirum nonne est hominem qui in prima Terrarum schola Theologiam professus est, ea ætate, qua alii vix scientiæ huic studere incipiunt, qui rejecit oblatum sibi Archiepiscopatum, antequam in Ordine suo Superior esset, qui ad honores ingressus est per amplissimam Ordinis sui dignitatem, qui contra Intemeratam aulæ Romanæ consuetudinem re adhuc integra Cardinalis Episcopus creatus est; cui non solum oblatus fuit Summus Pontificatus, sed quod nullus unquam Pontifex efficere potuit, de summo gradu disposuit, qui se Intuitus est tanquam Oecumenici Concilii arbitrum, qui in cœtu ad quem arcessita fuere præclarissima terrarum ingenia refulsit tanquam aliorum Magister; hominem, qui semper habitus fuit in pretio apud viros Principes, a populo honoratus, omnibus, etiam inimicis charus, nonne, inquam, mirum est in tanta honorum, & laudum tempestate, quemadmodum illam S. Gregorius appellat, semper fuisse constantem, & sibimet ipsi æqualem? Plenus fuit suavitate, plenus modestia, plenus humilirate usque ad mortem. Mortuus igitur est magnus iste Sanctus; qui profecto semper vivere merebatur, sed quem mundus non merebatur diutius possidere! Mortuus est antequam celeberrima Synodus illa clauderetur; & dicere possumus nunquam visum fuisse funus adeo magnificum. Omnes Præsules, omnes Cardinales, omnes Legati, omnes Principes, & summus ipse Pontifex illum & aspectu, & lacrymis suis prosequi voluerunt. Tota luctu personabat civitas, undequaque audiebantur ululatus Græcorum. & Latinorum, qui doloris sui argumentum, & æquitatem significare conabantur his verbis, quæ refert Historia, *Cecidit columna Christianitatis*, Columna, firmissimum Ecclesiæ præsidium, corruit: Nitidissimum Religionis sydus evanuit. Bonaventura, qui tandiu fortissimus ejusdem extitit clypeus, qui nuperrime uni ex altissimis ejusdem vulneribus fecerat medicinam; qui unus illam in primævum decus, ac florem poterat revocare, Sapiens, magnus, doctus, humilis Bonaventura fato cessit: *Cecidit Columna Christianitatis. P. de la Colombiere.*

Compendium virtutum, & actionum ejus.

Mirum profecto est, hominem qui tres tantum ac quinquaginta vixit annos, qui in Religione duos ac triginta transegit: qui toto hoc temporis spatio ne momentum quidem liberum spiritum duxit, qui semper occupatus fuit vel tradendo scientiam spinis, ac difficultatibus plenam, vel magnum Ordinem moderando; qui tot elucubratus fuit sermones in fidei mysteria, & Evangelicam morum disciplinam, tot edidit scholasticarum quæstionum volumina, tot in Scripturæ libros Commentaria, hunc hominem, inquam, rempus nactum fuisse, quo tot asceticos, trecentos videlicet, uti ferunt, libros conscriberet! Illud vero multo admirabilius est, ipsum in tanta occupationum multitudine servare potuisse teneram, ac sensibilem devotionem illam, qua iidem libri diffluunt, & quæ summo labore, & difficultate in ipsa etiam solitudine comparatur. Satis est ejus aperire volumina, incomparabiles hos libros; devotio enim, quam inspirant, statim de Auctoris sui pietate persuadebunt. Videtur ipse divinus amor in plerisque eorum sese expressisse, & oblectatus fuisse singulis verbis totidem pharetræ suæ acutissima tela abscondisse. Tamen ex his operibus eruere non est animus præcipuum argumentum probandi ea quæ in magni hujus Viri laudem proposui: neque aliquod vobis specimen præbiturus pietatis ejusdem mittam vos ad eximias meditationes illas, ubi reperimus adhuc suavia colloquia, quæ habebat cum Jesu Christo crucifixo; neque loquar de illo Amoris aculeo, ita enim appellat, quem nemo legere potest, quin moveatur, & inflammetur igne, quem ubique effudit. Prætereo aureos libellos duos, quos Gerson triginta annorum spatio non cessavit evolvere, & quorum brevissima verba illi erant uberrimum meditationum argumentum. Legas satis est spinosissimos illius tractatus scholasticis rricis impeditissimos; ut tibi persuadeas de tenera ejus pietate, qua æque, ac alia ipsius opera redundant. *Idem.*

Prodigii loco est, quod Sanctus hic tot inter occupationes invenerit tempus tot libris scribendi, & devotionem servaverit tam in tanta negotiorum multitudine.

Non omnibus profecto pervenire datum est ad profundam hanc eruditionem, quam Doctor noster assecutus est; & sane hoc necesse non est, neque id flagitat Deus: sed nemo est, qui illius humilitatem, devotionem, & charitatis fervorem valeat imitari: ideoque si minime lucere possumus, sicut hæc lampas Ecclesiæ, possumus tamen ciere, & alere hunc ignem, quem Dei Filius in cordibus nostris accendit, & fieri saltem lampades ardentes. Hoc Sanctus ipse Bonaventura dicebat, neminem esse tam rudi ingenio, qui non posset tantum amare Deum, quantum illum maximus quilibet Doctor amat. Et sane quodnam consolationis argumentum homini Christiano, qui novit, quid sit Deus, & dulcedinem, & utilitatem amoris ejus cognovit! Possum amare Deum, ac amare tantum, quantum præstantissimi pietate viri illum dilexerunt; nihil me prohibere potest, non ingenii mei tenuitas, non affectio corporis mei, non negotiorum meorum status, non humilitas fortunæ meæ. Verum est me acquirere non posse hæc lumina, quibus placuit Deo Sanctum hunc cumulare, me non posse tantum scientiæ, gloriæ, & auctoritatis apud homines obtinere: sed tantum amare possum Deum, quantum ille dilexit. Nil ultra posco. Hoc unum erit mihi loco bonorum omnium, omnium honorum, rerum omnium. Licet omnibus bonis meis exuar, licet robur, & bona valetudo me in ætatis meæ flore destituant; licet vita mea sit jugis mors; hæc est mihi consolatio, quod Deum amare possum & eum tanto ardore diligere, quanto illum Seraphicus iste Doctor amavit. Hanc ego scientiam assequi cupio; hæc sublimis est, & supereminens scientia æque ac Charitas, quemadmodum testatur Apostolus; & sicut illam nobis nihil potest eripere; nihil etiam prohibere potest quo minus illam acquiramus, & in illa perfecti evadamus; Et quoniam sublimis hæc scientia nos Sanctos facit, & acceptos in oculis Dei, hæc eadem gloriæ nostræ mensuram constituet. *Auctores varii.*

Quomodo magnum hunc Virum imitari valeamus.

PRO SANCTI LUDOVICI REGIS GALLIÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

Magnificentissimum, quod de S. Ludovico Rege, haberi possit elogium, est dicere, illum & Regem, & Sanctum simul fuisse; inde enim argui potest, ipsum vere insignem Sanctum extitisse. Et profecto ut utrumque hunc titulum in eminenti gradu in seipso conjungeret, hinc quidem superandi fuerunt maximi ad sanctitatem obices, qui in rerum conditione inveniuntur; inde vero ea, quæ Regni prærogativæ appellantur, videlicet opes, potentia, celsitudo, & magnificentia, cum humilitate christiana, divitiarum contemptu, mortificatione aliisque virtutibus, quæ Sanctos efficiunt, illi concilianda fuere.

Nihilominus hæc duarum rerum, quæ secum pugnare videntur, consensio non solum proprium constituit characterem sanctitatis glorioſi hujus Monarchæ, verum etiam media, per quæ sanctitatem assecutus est, Christianas hasce virtutes in regias convertens, ac sua utens dignitate, potentia, & auctoritate ad hoc, ut in ditione sua subditisque provinciis per justitiam, & pietatem regnaret Deus, atque ut ab infidelibus etiam hic agnosceretur, & coleretur. Igitur ut æqua instituatur Sancti Regis hujus oratio, duplex hæc qualitas sejungenda non est, neque recedendum est ab ea specie, quam de vita illius nobis astruunt Historici; utique præclare nobis cedat opus in tam sublimi argumento, postquam proposita fuerit partitio, quæ duo hæc complectatur, exponenda dumtaxat erunt paulo eloquentius facta id probantia, & ostendentia, duas hasce qualitates Sancti, & Regis mutuo sibi facem præbere, ut inde moralis hæc veritas eliciatur, quandoquidem S. Ludovicus in regia dignitate seipsum sanctificavit, nullam esse conditionem, ubicunque nos Dei Providentia constituat, in qua sanctificari nequeamus. Si magnus hic Rex in aula florenti, & in summa potestate quibuscunque voluptatibus perfruendi, semper Deo fidem servavit, quam prætexere causam, aut obicem invenire possunt homines e populo, ne Christianorum officia cum illis status, vel conditionis suæ simul concilient?

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopsis hujus Argumenti.

Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Prov. 21.

I. Semper opus manus Dei, & potentiæ ejus effectus est hominum sanctificatio, quocunque in statu illi sunt. Inhibendus est naturalium affectionum cursus, earumque motus legi contrarii, ac disciplinæ coercendi sunt; nova illis desideria, recentesque affectiones immittendæ, & in illis mutationes efficiendæ, quas ciere, gratiæ opus est. Sed ubi Regum, Principumque mundi cor sibi conciliare vult Deus & in illis sinceram, & constantem formare sanctitatem, hoc est opus dexteræ illius. Agat, oportet in fortitudine gratiæ suæ, fatalem expugnaturus obicem, qui celsitudinem inter & pietatem intercedit. Retineat oportet pondus universum cupiditatis, quod in illos ruit; & eversis omnibus mundi impedimentis illos a seipsis convellat, efficiatque, ut interius saltem naturam mutent, & conditionem. Sed in eorum statu tria fere vitia inveniuntur; amor proprius, qui efficit, ut gloriam, utilitatem, & voluptatem consectentur, cætera vero nullo habeant in discrimine. Summæ libertatis opinio, quæ illis persuadet sibi quodcunque placuerit licere. Mundi spiritus cui inhærent tot lotis, ut omnem illis religionis sensum adimat, vel extremum illis teporem injiciat. Vobis autem ostendere volo, Deum per gratiam suam salvum fecisse S. Ludovicum, eumque a triplici hoc corruptionis genere præservasse tribuendo illi

1. Cor tenerum erga populum suum,
2. Cor moderatum erga seipsum,
3. Cor submissum, & fervens erga Deum. Tres hæ considerationes elogium ejus partientur. *Flechier.*

II. Contumeliosum divinæ providentiæ est, credere in mundo quasdam esse conditiones omnino oppositas Sanctitati; vel sanctitatem habere posse in se aliquid muneribus quarumdam conditionum, ac statuum oppositum, quorum tamen auctor Deus est habendus. Ad hunc adeo periculosum errorem explodendum mihi satis est vobis proponere exemplum S. Ludovici; & hoc illud est, quod vobis probandum aggredior in hoc sermone ad eruditionem vestram, & animarum vestrarum ædificationem. S. Ludovicus in terris magnus Rex fuit, idemque magnus Sanctus: ergo possumus in quibuslibet statibus, & mundi conditionibus sanctificari. Argumentum, quod plane evincit. Si enim in mundo ulla esset conditio, quæ difficulter cum sanctitate conciliari posset, perspicuum est, neque inficiamini, hanc Regni conditionem futuram. At divinæ Providentiæ gratiæ habeantur; regnum non prohibuit, quominus S. Ludovicus ad eminentem Sanctitatis gradum perveniret, & quominus digne, & egregie Regni muneribus perfungeretur. Addo præterea, Regnum effecisse, ut Ludovicus adeo eminenti sanctitati par esset; & sanctitatem vim illi præbuisse, ut eximie Regnum sustineret. Dico igitur

1. S. Ludovicum magnum Sanctum extitisse, quia natus Rex efficere potuit, ut dignitas sua sanctitati deserviret. Hæc prima pars erit.

2. S. Ludovicum magnum fuisse Regem, quia semet sanctificans efficere potuit, ut sanctitas aliquid suæ dignitati conferret. Hæc pars altera.

Duplex veritas, unde ad consolationem nostram duplicem illationem eliciam, quæ nos æque movebunt, & ædificabunt; quarum altera hæc erit: igitur vitæ status, ad quem vocati sumus est secundum ordinem prædestinationis æternæ, quod non minimum conferre debet ad nosmet coram Deo sanctificandos; altera: igitur sanctificatio nostra coram Deo tutissimum, ac validissimum medium est; ut nosmet secundum munidum præbeamus perfectos, & irreprehensibiles in statu vitæ, ad quem vocati sumus. *P. Bourdaloue.*

III. *Cor Regis in manu Domini.* Proverb. 21. Cum Regis cor est in manu aliorum hominum, omnia ad illud fallendum, & corrumpendum conspirant. In conversationibus nonnisi jalsentationes audiunt, in præclaris factis plausus non secus ac in vitiis. Illorum ambitio oblatis laudibus irritatur; assertis juribus eorum avaritia excitatur; affectus illorum suppositis prætextibus nutriuntur; veritas illis absconditur, ne qualis est ab illis videatur, vitiis eorum prætenditur velum ne illis displiceant: virtutibus persona inducitur, ut arbitrentur se illa sequi, ubi suum ingenium, amorem proprium, libidinemque sequuntur: verbo quidquid illis dicitur, ideo dicitur, ut vanitas eorum palpetur, ut illorum foveatur ambitio, ut innocentiæ illorum nectantur insidiæ. Sed cum regis cor in Dei manibus est, hic illud effingit secundum exemplar suæ justitiæ, sapientiæ, & sanctitatis; efficit ut divina reformidet judicia, ut in illis, & per illos in animos hominum regnet. *Cor Regis in manu Dei.* Talis fuit S. Ludovicus, quem ab ipso rationis usu prævenit Deus benedictionibus dulcedinis, quibus videtur maturare velle possessionem animarum electarum, de quibus non vulgaria init consilia. Jecit in illius animum Christianarum virtutum semina, illum roboravit inter militiæ labores: in pace illum tutatus est, eumque in tribulationibus coronavit. Sed ut totum hoc elogium ad duo præcipua fundamenta redigatur, dicere possumus,

1. Deum S. Ludovico dedisse cor vere regium, ut perfecte omnibus Regni muneribus perfungeretur.

2. Deum illi dedisse cor perfecte Christianum ad obeunda omnia officia, quæ postulabat Religio. Principem hunc considerare non possumus sub conceptu magis subli-

sublimi simul & naturali, quia omnes complectitur qualitates, quæ in magno Rege quæruntur. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

IV. *Rex virtutum ipse est Rex gloriæ.* Psalm. 23. Licet virtus omne conditionum, personarumque genus deceat; fatendum est tamen in Regibus magis enitescere, quam in privatis; quippe illis plures suppetunt occasiones insignia Deo obsequia præstandi. Fingite vobis Salomonem ad altare prostratum inter innumeram immolatarum victimarum copiam; genibus flexis, expansisque manibus, cuncto populo inspectante orantem; fatebimini Regem nunquam majori cum gloria renidere quam cum solida pietate Regni sui splendore commendat. *Rex virtutum ipse est Rex gloriæ.* Super hoc fundamento S. Ludovici elogium extructurus sum. Regum omnium glorioſissimus fuit, quia fuit super omnes Principes virtutibus cumulatus.

1. Consecravit bella zelo justitiæ, & Religionis.

2. Sanctificavit divitias pia magnificentia, vel Evangelica charitate.

3. Regni decorem sustinuit profundam servans humilitatem. *Ibidem.*

V. Reges habentur tanquam viventia Dei simulacra; sed illum perfecte repræsentant, cum sunt imitatores sanctitatis ejusdem, quemadmodum sunt potestatis sequestres. Itaque ut viva Divinitatis imago reperiatur, Rex quærendus est, qui in se conjunxerit insignia hæc duo attributa, per quæ Deus se in cælo, ac in terra manifestat, potentiam, per quam ab hominibus cognoscitur, & sanctitatem, propter quam ab Angelis adoratur. Sanctus Ludovicus ex numero fuit Regum, qui conati sunt imitari duo hæc attributa Creatoris quantum illi pro viribus licuit, ideoque hodierna die omnes venerantur illum, & ipse peculiaribus honoribus decoratur in Regno, cujus Patronus est. Huic fundamento ejus elogium innititur.

1. Quidquid magnum est in Regis dignitate, id contulit ad magnitudinem Religionis.

2. Quidquid in Regis dignitate periculosum est, ille Religionis sanctitati consecravit. *Ex Specimine Orationum Panegyric.*

VI. *Magnificentia in sanctificatione ejus.* Psalm. 97. Deus in Christianæ Religionis Evangeliique progressu non eandem servavit rationem, qua Providentia illius primæva institutione usa est: Si enim id diligenter attenditis, cum evulganda fuit hæc nova lex, eique gentes subjiciendæ, ut ostenderet, hoc unice opus esse manuum suarum, neque mundi sapientibus usus est, neque Principibus terræ. Uti noluit Victorum Ducum armis, neque Regum potentia, sed ut sapientes, doctosque confunderet, ut populos, Regesque subjiceret, ac mundi totius faciem mutaret, pauperibus piscatoribus, sine armis, sine doctrina, & sine auctoritate usus est, & per infirma hæc instrumenta Religionem suam in omnibus terris instituit, & crucem in ipso Regum diademate collocavit. Hinc dicit S. Paulus, elegisse Deum quidquid infirmius erat, atque contemptibilius, & quod stultitiæ speciem præ se ferebat, ut confunderet, & everteret quod fortissimum, sapientissimum, & minime labefactandum videbatur: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus,* 1. ad Corinth. *ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt; ut ea, quæ sunt destrueret.* Sed postquam hoc Evangelium receptum fuit, & in terras omnes se effudit, visum est Deo, rationem agendi mutare, & alia uti prorsus opposita. Etenim ut Christianos eosdem ad sanctitatem, & sublimium Evangelii Canonum praxim impelleret, sapientissimis mundi ingenus, maximis Monarchis, & glorioſissimis terrarum domitoribus usus est, quorum exemplum illi potentius videtur ad reliquos mortales excitandos; & longe aptius ad confundendam ignaviam eorum, qui illos imitari non audent. Ut vobis hodierna die in magni S. Ludovici persona magnificentissimum ostendam sanctitatis exemplum, quod in Gallia proferre Deus voluit; per vos mihi liceat permutare S. Pauli Oraculum, quod nonnisi in Ecclesiæ institutione locum habuit; & quin dicam Deum iis usum fuisse quæ infirma, & magis contemptibilia sunt, ut quod maximum est, confunderet; asseram, illum maxime florenti nobilitate uti & majestate Regis amplissimi, ut Christiana regnet humilitas, & maximam mortificationem inter aulæ delicias, & commoda ostendat. Quin adjiciam cum eodem Apostolo Deum elegisse ea, quæ ab hominibus stulta vocantur, ad sæculi prudentiam confundendam; sapientissimi Regis hujus exemplo, docebo Evangelii sapientiam, quam ducem, ac normam sibi proposuit initio regni sui, unam esse, quæ regna reddat felicia, & florentia; ac tandem quin evulgem infirma quæque a Deo electa fuisse ad evertenda ea, quæ sunt fortia, ostendam illum usum fuisse animo, ac fortitudine S. Ludovici ad tuendum, latiusque proferendum imperium Filii Dei. Quæ omnia ut tribus verbis complectar, ostendam:

1. S. Ludovicum Regem fuisse humilem, & mortificatum inter opes, atque delicias.

2. Sapientem, qui nonnisi Evangelicis luminibus usus est, ad populos regendos.

3. Fortem & Victorem, qui sua usus est fortitudine ad gloriam Dei tuendam. Hoc erit argumentum elogii illius, & hujus sermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis, VII. *& gloria honoris.* Eccli. 45. Ex omnibus rationibus, quis prætexunt mortales, ut putent se nequaquam teneri, ut suæ invigilent sanctificationi, quando omnes referre longi laboris, atque tædii opus est, mens fert duas tantum in medium proferre, easque præcipuas. & quæ plerumque illis sunt impedimento. Prima est, statum, in quo sumus, nimis nos mundo obligare; & salutem ita ibi fexcentis periculis obnoxiam esse, ut vix fieri posse videatur ex tot laqueis evadere, quæ sensim ad perditionem adducunt. Altera est hunc ipsum statum, in quo sumus propter genus nostrum, ut in mundo niteamus, ex nobis quasdam dotes exigere, & officia quædam, quæ cum Evangelicis institutis conciliari non possunt. Solum S. Ludovici exemplum facili negotio duplicem hunc adeo periculosum errorem potest auferre. Primum enim in summa dignitate seipsum sanctificavit, tot licet obstarent pericula, quibus illum periculosissimus mundi status objiciebat; prima probatio contra illos, qui causantur pericula, quibus nos objicit conditio, in qua nati sumus. Secundo Rex iste attem nactus est consociandi summi Principis dotes cum perfecti Christiani virtutibus; hoc illis reponendum est, qui metuunt, ne sanctitas sua illis eas auferat qualitates, quæ necessariæ sunt, ut in mundo refulgeant. Contra futiles duas hasce objectiones dicimus,

1. S. Ludovicum status sui pericula in adminicula suæ sanctificationis convertisse.

2. Cum sanctitate conjunxisse eas qualitates, quæ requirebantur, ut in statu suo omnia beneverterent. Duobus verbis fuisse magnum Regem, & magnum Sanctum, quæ duæ sunt hujus Orationis partes. *P. Cheminais.*

Ad exornandam panegyricam orationem magno hoc VIII. Principe, S. Ludovico, dignam; quoniam multitudo insignium actionum ejus, curarum, laborum, ac itinerum, quæ ingressus est Dei Regnum locupletaturus, mihi impedimento futura esset potius, quam subsidio; satis erit dicere triplici verbo, summum Regem hunc tria fecisse:

1. Artem invenisse Politicam sapientiam cum stultitia crucis conciliandi.

2. Humilitatem in solio collocasse:

3. Religiosam pietatem cum eximiorum orbis domitorum fortitudine conciliasse. *Auctor Recens.*

Quia diligit Deus Israel, & vult servare eum in æter- IX. *num: idcirco posuit te Regem super eum.* 2. Paralip. 2. 9. Regnum, fatendum est enim, vulgo fexcentis periculis patet; sed inter tot terribiles casus, passim vel impietate polluitur, vel mollitia ad contemptum dejicitur. Sæpe hoc vel inanis, & inutilis est in Regibus titulus, vel funestum pro populis instrumentum. At Sanctus Ludovicus usum illius temperare novit, quin gloriæ ejusdem labem inferret. Omnibus Sanctitatis radiis septus refulsit, quin solii nitori, & majestati officeret; & visuri sumus illum semper Sanctum, semperque magnum

1. Sanctificasse regiam dignitatem christianis virtutibus.

2. Eamque heroicis virtutibus sustinuisse. *Abbas Mangin.*

Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. Psalm. 23. X. Cum S. Ludovico persuasum esset Reges viventes esse Dei imagines, jecit fundamenta regni sui super virtutes, & de virtutibus ascendit ad altissimum gloriæ verticem, quo potentissimi terrarum monarchæ ut spiam ascenderint. Ut igitur vobis exhibeam elogium hoc Rege dignum, illud elicere possumus ex duabus summis veritatibus. Prima illum fuisse *Dominum virtutum*, altera, ipsum Regem gloriæ fuisse; utque vobis plane ostendam hæc duo secum non pugnare, & id, quod Regum gloriam constituit, non semper virtuti adversari, adnitar ostendere, S. Ludovicum effeciſſe, ut illæ mutuis juvarentur subsidiis.

1. Regem hunc jure promeritum fuisse nomen Domini virtutum, quippe qui per virtutes ad summum gloriæ cumulum evasit.

2. Jure meritum fuisse nomen Regis gloriæ, quia effecit, ut gloria sua Religioni & virtuti deserviret. *Auctor Sermonum Christianorum.*

Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum: & præ- XI. *cepit ei, ut esset dux super populum suum.* 1. Reg. 13. Quidquid magnum, & sanctum est in Rege, quidquid dici potest ad significandam felicitatem, & gloriam illius, in his Sacri Textus verbis continetur. Sed cum per infinitam misericordiam vult Deus tradere populo suo caput, a quo regatur, quem illi tribuit Regem? Regem quem ille quærit; ac eligit sibi juxta cor suum; Regem simillimum David, qui per Religionem, ac pietatem se in throno sanctificat, & qui subditos suos beatos facit sua charitate, & benevolentia: Regem qui ad Crucifixi pedes fert, quod nonnisi extitit humanæ vanitatis trophæum: Regem generosum, beneficum, magnificum, qui non distringit arma nisi pro gloria illius, pro quo regnat; qui res suas, quam subditorum

Digitized by Google

ſuorum quærit utilitatem; qui tam oppreſſos protegit, pauperes nutrit, miſeros conſolatur. Quam infrequentes ſunt hujus viæ Reges! Quam pauci! ideoque nunquam ſatis admirari poſſumus in S. Ludovico

1. Regem efformatum juxta cor Dei. Quæ prima pars erit.

2. Regem natum, & poſitum in throno pro ſubditorum ſuorum felicitate. Hæc erit altera.

Duo magna virtutum heroicarum Sancti hujus Regis objecta, Dei gloria, ſubditorum felicitas. Dei gloria, cujus ſummum imperium ſubjectione ſua decoravit, cujus cauſam pietate ſua propugnavit, cujus inimicis zelo ſuo bellum indixit. Felicitas populorum, pro quibus optimi parentis bonitatem, juſtitiam, charitatem aluit. Duo objecta, quæ jugiter mentem, & cor illius occuparunt, quia quæſivit ſibi illum Deus juxta cor ſuum, eumque juxta exemplar Regis gloriæ voluit effingere. *Elogia. Hiſtorica.*

XII. *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.* Pſalm. 88. Ubi in S. Ludovici perſona principem conſidero, quem gloria, & ſecundi ſucceſſus non perſtringunt, quem adverſa, & ærumnæ non terrent, quem voluptates non molliunt, quem laudes, & aſſentationes non ſallunt, quem homines, negotia, & cupiditates non flectunt: Principem, in quo ſemper admirari licet Victoris conſtantiam, Heroum virtutem, maximorum Regum magnificentiam; animi magnitudinem, regiaſque omnes ſummorum Monarcharum virtutes; ſed quod multo magis mirandum eſt, Principem, qui in ſolio, & inter Aulæ delicias ſemper Angeli mores, Apoſtoli zelum, Martyris conſtantiam, inſignium Sanctorum pietatem præſtitit; hujus meritis negarine poteſt prima ſedes, quam ſui generis fortuna illi ſuper Reges alios confert, tanquam Eccleſiæ primogenito? *Et ego ponam illum primogenitum, excelſum præ Regibus terræ.* Ubi audeo aſſerere tantum abeſſe, quod pietas ejus bono ſtatus regimini offecerit, ut immo illum reddiderit illuſtriorem. Nullus unquam Princeps genti ſuæ tantum attulit decus, quantum S. Ludovicus. Nullus unquam Rex regiæ dignitati tantum peperit honorem, quantum S. Ludovicus inviolabili fide, qua ſuæ adhæſit Religioni. Itaque in hoc ſermone tria vobis oſtendam;

1. Honorem, quem Sanctus Ludovicus attulit Nationi ſuæ.

2. Honorem, quem regiæ attulit dignitati.

3. Honorem, quem attulit Religioni. Quæ tria omnia complectuntur magni Regis officia, & tres hujus elogii partes explebunt. *Sermo MS.*

Cor Regis in manu Dei. Prov. 21. Ut aliquem ordinem XIII. inveniam, & intra quoſdam veluti cancellos cogam argumentum adeo late patens, qualis eſt Magni, Sapientiſque Regis Ludovici Panegyrica oratio, quam hodierna die vobis ſum habiturus, ſingillatim de Magni hujus Monarchæ corde id dicere poſſumus, quod Sapiens ait de corde Regum omnium, illud in Dei manibus eſſe: *Cor Regis in manu Dei dirigetur*: Fuit enim reapſe in manu ſupremi cordium Domini modis omnibus, quibus aliquid eſſe poteſt in manu Domini ſui.

1. Velut opus, quod videtur effinxiſſe Deus propter adorabilia ſuæ providentiæ de eodem conſilia: illi inſerens regios affectus, & animæ magnitudinem ipſa ejus fortuna præſtantiorem, ſicut olim Regi primo populi ſui; cor generoſum, & magnanimum, cor aptum ad vincendos, ſubigendoſque omnes Evangelii inimicos.

2. Velut donum pretioſum, & locuples munus: quoniam locupletiſſimum, quod Deus populis largiri donum valeat, eſt illi Regem bonum dare, Regem pietate repletum erga Deum, & charitate erga proximum; a tali quippe Rege tota pendet tranquillitas, totuſque Regni ſtatus.

3. Sancti Regis hujus cor fuit in manu Dei tanquam inſtrumentum, quo ad gloriam ſuam uſus eſt ad extendendum regnum Salvatoris in extremas uſque terrarum plagas, ad Evangelium ad remotiſſimas uſque gentes proferendum, ad Crucis Vexillum extollendum apud Barbaros infenſiſſimos hoſtes Nominis Jeſu Chriſti. Videbimus magnum hoc S. Ludovici cor, quod cum lacte ſimul hauſerat tenerrimæ pietatis inſtituta, fieri ætate provectiori ferventiſſimum Chriſtianæ Religionis patronum, & omnia, ipſam etiam vitam, ſacrificare, ut eam cognoſcendam traderet gentibus, quæ illam maxime horrebant, & execrabantur. *Auctor recens.*

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 1. ad Cor. 4. XIV. Univerſalis Morum diſciplina Chriſtiana duo tantum præcepta complectitur; unum ut modus in voluptatibus ſervetur, alterum ut dolor vincatur. Quod Philoſophus quidam duplici vocabulo indigitavit: *Abſtine, & ſuſtine.* Voluptatibus tantum ſuavitatis ineſt, ut admirabili opus ſit temperantia, ne illis illiciamur; Palpant ſenſus noſtros, & per illos in animam pervadunt, & rationem noſtram ſeducunt. Moleſti ſunt dolores, conſtantiam noſtram obtundunt, labefactant fortitudinem noſtram, & ſtrenuus eſſe opus eſt ille, qui vinci non ſinit ab animi ægritudine, quæ carcerem, mortemque minitatur. Fideles inveniuntur tamen, qui divina adjuti gratia duos hoſce tranquillitatis inimicos impugnant; illecebras voluptatum contemnunt, & ſuperant metum, & pœnam quæ a dolore divelli non poſſunt. Magnus S. Ludovicus, cujus hodie memoriam recolimus, mirum in modum duplici hoc munere perfunctus eſt, & in toto vitæ ſuæ curſu duabus hiſce cupiditatibus intulit bellum, quæ nunquam ſuperandæ videbantur.

1. Bellum indixit voluptati, quandoquidem continens, caſtuſque fuit in aulæ deliciis, quæ harum centrum eſſe cenſetur, & in honoribus ſuis humilis fuit.

2. Bellum indixit dolori, quia in compedibus ſuis fuit liber; conſtans in adverſis, ſemper idem in ærumnis, invictus in clade, in qua victor videbatur barbarorum, qui de illo triumphum retuliſſe videbantur. *P. Senault in Oratorio.*

Quocunque modo concipiamus Sanctitatem, & quam- XV.
cunque illius imaginem nobis fingamus: Sanctum eſſe ſecundum omnes Scripturæ regulas eſt propter Deum zelum ferventem habere cum profunda humilitate conjunctum. Eſt proximum diligere non verbo tenus, ſed operibus, & veritate illi omnia tenere charitatis officia præſtando. Eſt, in ſeipſum ſeverum eſſe, & ſicuti loquitur Apoſtolus, crucifigere carnem ſuam cum cupiditatibus, & inordinatis affectionibus ejus praxi ſolidæ mortificationis. Revera tria hæc, in quibus cum Sancto Hieronymo, veram autumo ſitam eſſe Sanctitatem, ea ſunt, quæ ſemper habita fuerunt tanquam nullo pacto cum Mundi honoribus concilianda; & propter quæ Principum ſæculi conditio ſemper indiguit gratiæ Jeſu Chriſti ſubſidio. Hæc enim, S. Hieronymus inquit, poſt peccati labem tria ſunt mala, ac funeſti mundanæ celſitudinis ſcopuli: Propter enormem hujus abuſum erga Deum quidem ſunt fons ſecretæ ſuperbiæ, quæ nobis aufert & humilitatem, & zelum Religionis; erga proximum vero cordis inſerunt duritiem, quæ nos ad aliena mala ſenſu carentes efficit, & in nobis omnem charitatis & miſericordiæ ſenſum jugulat; ac tandem erga nos ſine modo amorem proprium inſpirant, qui eo procedit, ut pœnitentiæ, & chriſtianæ auſteritatis jugum excutiamus; miſeros effectus, quos Sancti deploraverunt, & ad quorum aſpectum David contremuit. Hæc autem mundi celſitudo adeo periculoſa non ſine manifeſto gratiæ miraculo in Sancto Ludovico minime fuit tribus hiſce malis obnoxia.

1. Neque enim prohibuit, quo minus fuerit Princeps perfecte devotus Deo;

2. Ne erga populum ſuum pientiſſimi parentis viſcera haberet;

3. Ne in ſeipſum omnem Evangelii ſeveritatem exerceret. Triplici verbo. Celſitudo Regis hujus effecit, ut coram Deo majori cum merito humilis videretur: majori cum nitore charitate refertus coram proximo; & ſibimet ipſi ſeverus majori cum virtute. *P. Bourdaloue de S. Ludovico.*

Pro Sermonis argumento probando deſumi poteſt, XVI.
S. Ludovicum exolviſſe

1. Quidquid debet Deo, tanquam Princeps Chriſtianus, qui ſemper illi fuit in proſperis æque, ac in adverſis fidelis.

2. Quidquid debebat populo ſuo tanquam florentiſſimi imperii moderator, quod in pace ſervavit, & rexit ſapientiſſime.

3. Quidquid debebat Eccleſiæ, tanquam illius primogenitus.

Calumnia eſt in impiorum corde cuſa, aſſererc, Chri- XVII.
ſtianæ Religionis inſtituta ſimul eſſe non poſſe cum iis qualitatibus, quæ Magnos viros conſtituunt: humiles, modeſtoſque ſenſus, quos inſpirat, enervare conſtantiam, & animæ magnitudinem, cujus indiget quilibet, ut locum ſuum in mundo teneat, & tueatur; Chriſtianæ vitæ officia, & exercitia pietatis omnem negotiis impendendam auferre curam; Evangelicam ſimplicitatem hominem politicis ſtudiis imparem facere; & ſpiritum lenitatis, qui comes eſt devotionis, bellicam virtutem extinguere, quæ facit Heroes. Nihil etiam tam vulgare eſt, quam mortales videre, qui pietatis partes ſequi non audent, quia minime credunt ſe poſſe cum Chriſtiani hominis officiis conjungere eas qualitates, quæ requiri cenſentur; ut aliquis in Mundo niteat: Error, quem S. Ludovici exemplum explodere debet. Nam

1. Cum officiis Chriſtiani viri indefeſſum regni ſui curam conjunxit.

2. Cum humilitate Chriſtiana omnem conjunxit animæ magnitudinem, quæ opus erat, ut Regiam ſervaret auctoritatem.

3. Cum Evangelica ſimplicitate omnem conjunxit prudentiam, ac dexteritatem, quam politica expoſcit.

4. Cum lenitate, & clementia, quæ in Jeſu Chriſti ſchola percipitur, omnem conjunxit Regis virtutem; quæ regni, ac religionis inimicos novit in officio continere. *P. Cheminais.*

Fœdus humilitatis cum celſitudine difficillime inveni- XVIII.
tur in anima Chriſtiana, præſertim vero inter Mundi Principes: ſed quamvis tale fœdus portenti loco poſſit haberi, illud tamen invenimus in glorioſo Monarcha S. Ludovico. Deus extulit illum ad celſitudinum omnium faſtigium; collocavit illum in uno ex præcipuis Mundi ſoliis, & Sanctus Rex credidit Majeſtatem ſuam eo nitidiorem

Digitized by Google

diorem futuram, quo magis illam submitteret coram Rege Regum, a quo eandem acceperat. Hæc est synopsis totius Panegyrici, & prospectus, sub quo illum exhibere vobis fert animus. Videbitis

1. Regem, qui throni majestatem abjicit, ut serviat Deo; hoc est primi puncti argumentum.

2. Regem, qui totam throni sui majestatem impendit, ut ab aliis Deo serviatur.

XIX. *Firmabo regnum ejus, & ipse ædificabit Domum nomini meo.* 2. Reg. 7. In hæc Sacri Textus verba facile est Sancti Ludovici Panegyricam texere Orationem, ostendendo

1. Deum sibi complacuisse in glorioso hoc Principe, eumque toto vitæ suæ tempore deduxisse semoventem ab eo, quidquid illum prævertere poterat; illi sanctas affectiones, & studia in bonum ab extrema usque pueritia immittentem; illum in hanc lucis usuram educentem ex genitoribus, quorum genus minus erat nobile propter Regium sanguinem per venas eorum fluentem, quam propter virtutes, quas cum lacte hauserant, eumque docentem, celsitudinem oculos perstringere; a politicis periculosas insidias necti; potentiam, pollicendo impunitatem vitiis omnibus viam sternere; imperium ab illo pendens injustos facere. Quæ omnia pericula ab illo divina avertit providentia, ut eum in solio confirmaret.

2. S. Ludovicum confirmasse regnum Dei. 1. In Aula procul ejiciendo luxum exemplo suo, severaque censura, histriones ex regno eliminando tanquam publicas pestes, quæ sanctis animabus tetram luem afflabant. 2. In Magistratibus eligendo integerrimos Judices, legum, & consuetudinum locorum, ubi judicandum illis erat peritissimos, necnon magistratuum venalitatem proscribendo. 3. In Nobilibus, dissidia, licentiamque æquo effusiorem compescendo. 4. In populo edictis, severisque legibus gravia scandala, blasphemias, aliaque scelera puniendo. *Abbas Fournier in oratione sua de Sancto Ludovico.*

Dicere possumus S. Ludovici characterem prorsus singularem fuisse inter reges; & illi ad unguem hæc verba quadrare: *Dominus dedit illi gloriam Regni*; quod probari potest

XX. 1. Per ea, quæ Mundus in hoc Rege admiratus est, insignes qualitates, & opera generosa, quæ Heroas constituunt.

2. Per ea, quæ in hoc Rege cognovit Ecclesia, eximium; & singulare meritum, quo Sancti fiunt. Ita omnem Regni gloriam obtinuit secundum Mundum, & secundum Deum. *Abbas Prevost in quodam ex Academicis Sermonibus suis de S. Ludovico.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia possit ad exornandas allatas Sermonum structuras. Et Auctores qui hoc argumentum pertractant.

Qui scripsere, & locuti sunt de abstinentia Sancti Regis.

GEofridus de Beaulieu, Regis Sancti Confessarius primus vitam ejus descripsit, & Surius, qui eandem refert, rudioris styli barbariem dumtaxat inflexit.

Joinville satis ample hoc tractat argumentum, ubi fusius persequitur ea facta, quorum ipse testis fuit.

De Sancta Martha, Annalistæ, & Auctores historiæ Ecclesiasticæ eorum temporum.

Auctores rerum Gallicarum ad hæc usque tempora.

Recentius: Flos Sanctorum, Enschenius, vel Palpebrochius, Bailet, Abbas Choisi, Dominus de la Chaise, qui regias illius functiones descripsit.

Alterici.

P. Caussinus tomo 2. Aulæ Sanctæ, novissimæ editionis.

P. Novet meditationem habet hujus argumenti pro die Augusti 25.

P. Haineuve sub finem tomi tertii Meditationum de vita J. C. unam habet de certaminibus, & victoriis, quas de seipso Sanctus hic Rex reportavit.

Orationes supe. ii.

Biroat tomo 3. suorum Panegyricorum.

P. Senault Oratorii tomo 2.

P. Cheminais tomo 2. Sermonum.

Molinier tomo 3. Sermonum de diebus festis Sanctorum.

Flechier in Panegyricis, aliisque Sermonibus.

Auctor Sermonum Christianorum duos habet de S. Ludovico. Tom. 3. in præcipuas festivitates.

In Speciminibus Panegyricorum, Tomo 2. tria sunt hujus argumenti Sermonum compendia, in tomo 3. Elogiorum Historicorum unum invenies.

Prodiit unus Abbatis Mongin, quem coram Parisiensi Academia recitavit.

Alius Abbatis Fournier, & item alius Ab. Prevost, ibidem, & in eadem occasione recitati.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. tomo 3. Panegyricorum unum habet in laudem Sancti Regis Ludovici.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, Scripturarum applicationes huic argumento.

Loci, qui quadrare possunt virtutibus, & actionibus hujus Sancti.

COr Regis in manu Dei, & quocunque voluerit inclinavit illud. Prov. 21.

Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Psalm. 71.

Da mihi cor docile, ut sciam judicare populum tuum, & discernere bonum a malo. 3. Reg. c. 2.

Rex virtutum ipse est Rex gloriæ. Psalm. 23.

Per me Principes imperant, & legum conditores justa decernunt; per me potentes decernunt justitiam. Proverb. 8.

Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Proverb. 26.

Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, & præcepit ei, ut esset dux super populum suum. 1. Reg. c. 13.

Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris. Eccli. 45.

Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. Prov. 20.

Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore. Psalm. 2.

Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium. Psalm. 143.

Justicia, & judicium præparatio sedis tuæ; misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Psalm. 88.

Quia diligit Deus Israel, & vult servare eum in æternum, idcirco posuit te regem super eum. 2. Paralip. 9.

Ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ. Psalm. 88.

Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur. Psalmus 144.

Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Ibidem.

Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in Sanctitate? Exod. 15.

Descendit (Sapientia) *cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sapient. 10.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Eccli. 31.

Exempla, & figuræ Biblicæ.

S. Ludovicus comparatur cum Arca fœderis, ubi Legis Tabulæ servabantur.

SUpra Fœderis arcam, ubi legis Tabulæ servabantur, duo erant Cherubim, quorum alterum ex quorundam Interpretum animadversione librum, alterum vero ensem tenebant; & super hæc Cherubim nubes erat Dei Majestatem repræsentans, ex qua Oraculorum vox manabat. Hæc imago Regum est. Hi sunt Religionis, & justitiæ Patroni. Hi tegunt Arcam Fœderis, eamque protegunt pallio suæ auctoritatis. Altera manu legum librum deferunt, altera gestant ensem ad illas tuendas. Stant præ foribus templi Religionis, atque Justitiæ, ut earum puritatem, & sanctimoniam tueantur. Sunt etiam nubes, illa Dei Majestatem repræsentans, & unde vox oraculorum egrediebatur. Sunt organa voluntatum, & consiliorum Dei; & quicunque illorum auctoritati resistit, Dei voluntati resistit, inquit Apostolus. Eorum igitur muneris est imitari, non quidem Seraphim, quorum oculi obducto velo teguntur, sed Cherubim, quæ sunt zelo, & lumine repleta: illis enim persuasum esse debet, ensem gestare ad Religionis, justitiæque tutelam, unam dumtaxat esse officii sui partem; quorum altera semper deficeret, nisi pares fierent ad bonum a malo dignoscendum, veritatem a mendacio, fucatas virtutes a veris, bonos ab improbis, ut alios quidem protegant, aliis vero bellum indicant. Hanc sibi generalem proposuit imaginem S. Ludovicus in justitia administranda. Ejus cura erat, impietatem persequi, licentiam, hæreses, aleam, libidines, blasphemias auferre. Actio illius erat, vitium infectari, virtutem protegere, ubique Dei, & Religionis gloriam statuere super peccatorem & pravorum exemplorum ruina. Seipsum cogitabat tanquam prophetam a Deo constitutum ad evellendum, & plantandum, ad destruendum, & ædificandum, vel sicut alium a Deo missum ad maximam totius orbis urbem diruendam, non quidem muros, ejusque ædificia sternendo, sed gravissima corrigendo peccata, & iniquitatem intra munitissimos recessus suos cogendo. Cum illi persuasum esset, hanc justitiæ partem facilius effectum suum obtinere in populo propter magna virtutum exempla, quæ illi Princeps tribuit, quam propter legum multitudinem & severitatem: quid intentatum relinquebat, ut mores suos totamque vitæ rationem componeret sive intrinsecus, sive extrinsecus, ut pietati suæ potius, quam auctoritati deberet bonum ordinem, quem in Regno suo constituere cupiebat?

Et nubi quæ erat super Tabernaculum.

Rex Salomon in Bibliis consideratur tanquam Jesu Christi figura, & Reges omnes habentur tanquam Dei viventis simulacra; sed illum perfecte imitantia, cum

S. Ludovicus Salomonæ comparatur.

ita

ita sunt sanctimoniæ illius perfecti imitatores, non secus ac sunt ejusdem potestatis sequestres. Itaque ut inveniatur viva divinitatis imago, quærendus est Rex, qui quoad fieri potuit duo hæc præclara attributa conjunxerit, per quæ Deus se in Cælo ac in terris manifestat; potentiam, propter quam ab hominibus cognoscitur; Sanctitatem, propter quam ab Angelis adoratur. S. Ludovicus hanc veritatem assecutus est, & de eadem judicium ferri potest ex verbis, quæ in solemni consecrationis suæ pompa protulit; cum terribile sui diadematis pondus sentiens, de imo cordis cum Propheta exclamavit: *Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.* Me intueor tanquam Salomonem alterum a primis ætatis meæ annis ad Solium sublatus; sum tanquam puer omni rerum experientia destitutus, ac sine lumine medius in populo, qui mihi circumstat. Da igitur servo tuo cor docile, spiritum intelligendi, claram boni, & mali cognitionem, ut cum æquitate judicare valeam, & secundum leges tuas innumeram hanc multitudinem, & efficiam, ut in ditione mea regnet Religio, me ipso secundum ejusdem placita regnante.

Psalm. 24.

Comparatur Sancto Job in operibus charitatis.

Magnus S. Ludovicus bonam æque intentionem habens, majorem vero potestatem, quam Job, nonne ut ille liberavit pauperem clamantem, & orphanum, cui nullus erat adjutor? Replens consolatione viduam, & eum, qui jamjam periturus erat, nonne illos gratiis, & benedictionibus cumulavit? Nonne fuit ille æque ac Job, oculus cæco, pes claudo, & brachium manco, conterens vias injusti; ex fœneratorum, tabularum, & judicum iniquorum faucibus prædam extorquens? Nonne ex necessitate eripuit decies centena familiarum millia, quæ ruebant in interitum? Nonne earum reparavit excidium? Quid dico? Nonne illas quasi ex nihilo eduxit, jubens illis opem suppeditari, qua juxta sui generis conditionem indigebant? Nonne vobis videor his coloribus exhibere sub imagine Sancti hujus viri legis antiquæ Magnum, & incomparabilem Regem S. Ludovicum? Subditis suis ad se liberum aditum patere velle, admirabili patientia eorum questus audire, dulci gravitate fulgorem regiæ Majestatis temperare, per seipsum maximi momenti controversias in populis obortas cognoscere, quin ex aliorum fide pendere velit, compescere vim, & publicas concussiones, reparare vastitatem, quam frequentissime pariunt militum transitus, seipsum damnare in negotiis quibusdam ex mero justitiæ, & veritatis amore, atque insigni cordis rectitudine; copiosam tranquillitatem in omnibus Regni sui Provinciis procurare, ut subditi magis quietam vitam ducant, hæc quidem bonos Reges constituunt; sed audeo dicere, hanc minimam esse particulam virtutum S. Ludovici; si quis enim vellet omnes & politicas, & militares, & Christianas virtutes illius considerare; liqueret proculdubio, incomparabilem hunc Monarcham, quem ævo illius universus terrarum orbis admirabatur, futurum etiam omnibus futuris sæculis admirationi.

S. Ludovici incomparabilis cum Rege Joas comparatio.

De S. Ludovico dici posset, quod Scripturæ narrant de Joas, quem summus Sacerdos in Regem Israel inunxit, imposuit super caput ejus librum Sacrarum Litterarum cum regio diademate: *Posuit super eum diadema, & testimonium*: Videlicet statim ac per ætatem licuit populi sui habenas moderari, posuisse Evangelium tanquam basim, ac normam omnium consiliorum suorum, quis unquam consuleret Mundi Sapientiam, ejusque placita, per quæ Dei efficitur inimica. Si scire cupitis, quomodo se gesserit; Religio, & Justitia fuerunt politicæ artis suæ consiliariæ, per quarum alteram fecit, ut Deus regnaret, per alteram vero populorum suorum requiem, & felicitatem procuravit. Hæ sunt illæ duæ manus, quæ Salomonis thronum sustinebant, & illud Regis nostri firmarunt contra alienas vires, contra propinquorum rebelliones, & contra omnes internas, externasque turbas, quæ illum poterant labefactare.

David peccati comparatus.

S. Ambrosius de Davide verba faciens duo animadvertit in eo diversissima a Regibus aliis: *Peccavit David, quod solent Reges*; ait ille, *pœnitentiam egit, quod non solent Reges*. David peccavit; hoc non adeo mirum est, & passim Reges peccare consueverunt, sed David egit pœnitentiam; hoc miraculum dicitur, id enim Reges facere non consueverunt. Sed, o Magne Doctor Ecclesiæ, de S. Rege nostro mihi ampliora dicenda sunt, quam ipse de David dixisti. Non dicam illum peccasse, quod solent Reges; hæc enim proculdubio esset calumnia; sed dicam, cum ille non peccaverit cum aliis Regibus, hunc pœnitentiam egisse cum Regibus Sanctis; quamvis aliorum peccata imitatus non fuerit, eorum tamen pœnitentiam fuisse imitatum. Animadvertendum est duplex hominum genus in Christianismo pœnitentiam agere, alios quidem propter statum, alios propter necessitatem. Horum primi sunt Regulares, alteri vero ii, qui Deum læserunt. Primi agunt illam, licet culpa vacent, sicuti Joannes Baptista egit. Alii agunt; quia peccarunt, ut David. Sed Sancti Regis nostri pœnitentia gloriam habet singularem. Neque Cœnobita est, neques peccator. Innocens, & Rex est, & nihilominus se subjicit omnibus Religiosorum austeritatibus, & iis omnibus, quæ pœnitentibus imponuntur.

Dei Filius Judæis, de S. Joanne Baptista verba faciens dicebat: Quid existis in desertum videre? nunquid hominem mollibus vestitum? *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Sed, o Salvator, finis, ut dictum tuum licet generale hodierna die aliqua exceptione non careat. Quippe S. Ludovici domum ingredior, & tantum abest, ut illic aliquem mollibus vestitum inveniam, ut immo intuear Regem in aula horrenti amictum cilicio, jejuniis attritum, in sacco, & cinere sedentem; Regem, qui ut a corruptione voluptatum mundi seipsum præservet, castigat corpus suum, & in servitutem redigit, qui severis mortificationibus levissimas animæ suæ labes eluit; qui voti sui minime compos si carnem suam crucifixerit, & ex ea viventem fecerit hostiam, singulis diebus Deo immolandam, mentem suam jugiter colibet, semper intentus est, ut affectiones suas regat, suis moderetur cupiditatibus, ut nihil sibi permittat, sibique condonet; severissimus sui met ipsius censor, & judex, qui nullius mortalis judicio subjectus est. Regem, qui satis esse non putans luxum & mollitiem ab aula exterminare, proprio docet exemplo quid ab aliis velit observari; qui non secus ac simplex ruricus induitur; qui ab omni ditione, & persona sua omnia supervacanea in ornatu, & cultu corporum, ædiumque procul extrudit. Hoc autem non in deserto quidem, sed in aula Regis invenio, & ecce quid me Deus cogat auditoribus meis palam facere ad eorum, vel ædificationem, vel damnationem. Hoc ipsum mollitiei vestræ, superbiæ, ambitioni objicit Deus; Regem humilem, mortificatum, & pœnitentem.

Et Prædecessori J. C. Matth. 4.

Transiam sæt, ut David, qui peccatum suum plurimis elecit quam tamen & bellum.

Amor quo David populum suum prosequebatur, effecit ut præferret tetram luem, bello, & summæ annonæ caritati, cum Angelus Dei verbi post peccatum ejus unum ex tribus hisce flagellis minitatus est; ratus quippe est, se facilius, quam populum suum evasurum esse ex duobus his malis; & se æque ac populum suum pesti obnoxium futurum, cum ipse unus nocens esset, & unice plectendus. Dicebat enim intra se, si bellum popoposcero, milites mei vitam objicient suam ut meam tueantur; nec officere mihi poterunt hostes mei, nisi agros antea mortuorum, aut sauciorum cæde fœdaverint. Si famem optavero; populus omnis interibit fame. Urbes sient solitudines, & ad unius nocentis incolumitatem servabitur annona. Verum si pestem elegero, cum hæc Dei sequatur imperia, me in ædibus meis, me in exercitu meo persequetur, ac me inter milites eligens morte mea meum scelus expiabit. Ita hæc S. Ludovicum regem adoriri ausa est; hæc illum inter victrices copias percussit, & finem statuens ejus triumphis, & annis pulcherrimam terrarum vitam abscidit. Non pepercit illa huic corpori vigiliis, ciliciis, & jejuniis attrito, per castitatem consecrato, & mortificato per pœnitentiam. Mirum non fuisset, si nocentis David lacrymas contempsisset, & aures suas obstruens precibus illius, victimam Divinæ justitiæ obtulisset. Sed omni vacabat culpa S. Ludovicus, neque ut adulterium contegeret, cædem fieri jusserat. Huic tamen lues non pepercit, occidit illum, tumulavit, cum inter tot injustos unum justissimum elegisset. Hoc, Domine, promisisti, ut omnino Regem hunc expiares, & magis, magisque supremam illius gloriam augeres, ad quam illum in cœlesti Regno tuo illum provehere voluisti.

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum huic Argumento.

Sanctitas magnificentiæ indiget ubi cum Rege conjungitur.

Magnificentia in sanctificatione ejus. Psalm. 95. Sicuti Deus nunquam magnificentius vim & potestatem gratiæ suæ ostendit, quam cum mundi Principes Evangelii jugo subjecit, dicere possumus etiam sanctitatem nunquam magnificentius enituisse, quam cum in throno sita fuit, & funestissimum fœdus cum generis nobilitate, Principum potentia, & Imperatorum fortitudine percussit. Neque aliæ inquirendæ sunt rationes, nisi quod cum nulli majores occurrant obices ad sanctitatem acquirendam, quam terræ hujus divitiæ, honores, & commoda; statim ac illi superantur, citra metum dicere possumus eos, qui id assecuti sunt, reliquorum mortalium admirationem mereri, seu quod virtutum suarum fulgor longius & uberius emanat, seu quod nihil magis ostendit meritum, & pretium sanctitatis, quam intueri, inde Regum majestati lucem, & decorem accedere. Hoc hodierna die incomparabilis S. Ludovici elogium constituet: *Magnificentia in sanctificatione ejus*; ostendendo sanctitatem nunquam magnificentius illuxisse, quam in hoc Rege, cujus nativitas, arma, potentia, & quidquid vulgo hominum vanitas jactat, proferendum est ad exornandum sanctitatis triumphum, & elogium Sancti Regis; quæ hæc omnia humanæ ambitionis insignia sanctificavit, quibus nonnisi ad majorem cælestis Regis gloriam est usus. Itaque non quæram hodie sanctitatem in desertis, & claustris, ut vobis imitanda proponam exempla: sed illam vobis proponam in uno ex præcipuis terrarum solis; & erit procul dubio dignum vestris admirationibus spectaculum, videre cilicia sub Regis purpura; sanctam humilitatem sub altissimo gloriæ fastigio, Regem ædes suas in xenodochium convertentem; heroem

Digitized by Google

heroem pro theatro tres mundi partes habentem, & utentem fortitudine armis, atque vectigalibus, ut in ditione sua Deus, pietas, & justitia regnent: sed hoc fiet ad rubore suffundendam ignaviam, in qua meliorem vitæ nostræ partem transigimus, ad explodendas futiles excusationes, quas præteximus, & ad auferendas quaslibet rationes generis, dignitatis, & eorum omnium; quæ sanctitati magis videntur opposita, quas ipsi causantur.

Impertiit Deus S. Ludovico rectitudinem judiciorum suorum, ut olim Salomoni.

Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram. Psalm. 2. S. Augustinus in hæc Prophetæ verba, ubi Reges hortatur, ut cum timore, ac tremore Deo serviant, quærit quomodo hoc præstent, & respondet illos servire Deo, destruendo, ac puniendo quidquid Dei auctoritati adversatur. Postea præclarum addit discrimen; *Aliter servit, quia homo est, aliter servit quia Rex est.* Magnum intercedit discrimen inter servitutem, quam Rex præstat Deo quatenus homo, & eam, quam præstat quatenus Rex. Quatenus homo servit Deo vitæ sanctimonia, & fidelitate in seipso: sed servitus, quam adhibet Deo quatenus Rex, sita est in legibus irrogandis, quæ jubeant ea, quæ cedunt in gloriam Dei. Videlicet, Regis auctoritas in duplici potestate consistit; altera, quæ legem constituit, altera, quæ illam confirmat, in illius prævaricatores animadvertens. Rex ut sanctus sit, utramque adhibere debet ad gloriam Dei. Sed ubinam Prophetæ hortamenta majorem obedientiam, ac fidem invenere, quam in S. Ludovici persona? Quomodo usus est legum faciendarum potestate, nisi ad majorem Dei gloriam, ut Religionem latius extenderet, & augeret? Optasset ille omnia subditorum corda subjicere Deo; verum cum penes illum non esset cordium arbitrium, externa saltem eorum illi subjiciebat obsequia, & sicubi Dei nomen violabatur, omnem adhibebat potestatem ut illata nomini illius sarciretur injuria.

Virtus, & sanctitas Reges gloriosos efficiunt; & vera gloria sine virtute non potest esse.

Deus, judicium tuum Regi da; & justitiam tuam filio Regis. 3. Reg. 2. Potissimum Regis munus est judicare subditos, eosque cum æquitate judicare: ideo David Propheta pro Salomone filio suo Deum ita precabatur. Munus hoc S. Ludovici familiarissima erat occupatio; patebat ad ipsum aditus viduæ, & pupillo: ædium ejus fores stipatæ non erant excubiarum numero, quæ timidissimum quemque terrent, & importunissimos arcent. Sedebat ille Vincennüis sub arboribus, quibus tempus peperciisse videtur, & sub umbellis, quas ultro ad id natura posuisse videbatur; judicabat cum æquitate, auctoritate, & amore ad se confugientes, omnia simul factus, Rex, pater, & judex populi sui. Laborem non fugiebat, & licet fatigatus esset, credebat se reficì, ubi jus dicebat, & merito illi applicari possunt hæc Sacri Textus verba: *Judicare populos in justitia, & pauperes in æquitate.* Abjiciebat exteriorem Regiæ majestatis cultum, qui prohibet, ne populi, & potissimum pauperes accedant ad Reges. Cum aliquam Regni sui Provinciam peragrabat, illi erat curæ, ut ab aliquo Præfectorum suorum sarcirentur incommoda, si quæ aulæ suæ transitus ibi peperisset, ita ut quasi similis videretur torrenti, qui late agros depopulatur, esset fluminis instar, quod irrigatos agros efficit uberiores.

Dominus virtutum ipse est Rex Gloriæ. Psal. 23. Gloria, quæ Reges subsequitur, non illud est, quod illos honore dignos facit; licet in causa sit propter quam a plerisque in honore habeantur; & quoniam æquum est, eos coli; æquum etiam est, ut eorum gloria aliqua exteriori magnificentia fulciatur, & multo magis sanctitate vitæ suæ, & amore justitiæ, & æquitatis: Spirituales enim homines, qui libentius virtutem sequuntur, quam externum hunc inanemque cultum, nonnisi ægre in illis Dei auctoritatem recognoscere volunt, si in persona illorum intueantur vitia, propter quæ objecta fiunt execrationis, atque contemptus. Maxime igitur interest, Regem esse Regem gloriæ; interest, locupletem esse, magnificum, victorem in præliis, & populo suo felicitatem, & rerum omnium copiam procurare, sese subditis suis amabilem præstare per politicas virtutes, & hostibus imperii metuendum virtute bellica; nihilque ab eo negligi, quod nomen ipsius immortalitati valeat consecrare. Illud vero multo magis esset optandum, ut Sancti Ludovici exemplum secuti Reges re adhuc integra semet in solio confirmarent virtute, pietate, vitæ sanctimonia, ac integra, pleniaque obedientia divinæ voluntati; cujus ipsi nonnisi sunt exemplaria; atque ut præ metu judiciorum Dei, ac rationis eidem reddendæ vitæ suæ, vita ipsa uterentur, ut & ipsi sancti fierent, & alios auctoritate bonisque exemplis sanctificarent.

S. Ludovici sanctitas non prohibuit illum quominus esset Rex bellicosus & ad Dei gloriam aggressus est bella omnino sancta.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium! Psal. 143. Videtur hunc actum nequaquam decere sanctitatem; hanc videlicet armatam in certaminibus, ac præliis ostendere; & nihil suavitati Christianæ Religionis, quæ neque per arma, neque per vim instituta fuit, magis adversari: quandoquidem Salvator ipse nos docuit lenitatem subditorum suorum illos impellere potius debere, ut proprium effundant sanguinem quam hostium suorum; ut illos oppugnent patientia potius quam vi; quod primi fideles exemplo suo nos docuerunt. Fatendum est tamen non deesse occasiones, in quibus bella non legitima tantum sunt, sed sancta, & in quibus Regibus pugnandum est, ut sint Sancti. Pars virtutis eorum in eo sita est ut arma sumant propter Dei causam, & ut præliis, atque certaminibus suis gloriam illius tueantur. Tales extitere occasiones, quæ S. Ludovicum Regem coegerunt, ut ex sacello suo, ex ædibus, regnoque suo pedem efferret, ac simul duo belli genera susciperet, alterum quidem adversus hæreticos Galliæ, quorum defectiones, furoremque compescuit; alterum contra Infideles, qui cum universam Palæstinam armis suis operuissent, Sanctum Regem impulerunt, ut patrio regno relicto eos illinc omnino extrudere conaretur.

Quo S. Ludovicus fuit major coram hominibus eo magis humilis fuit coram Deo.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Eccli. 3. Humilitas, S. Bernardus ait, magna virtus est, sed *magna, & rara virtus est humilitas honorata.* Quid vero dicendum de humilitate, quæ non honorata sit tantum, verum etiam coronata? Difficile non est hominem humilem esse in xenodochio, vel in ima paupertate, sed intueri coronatum caput de humilitate loquens diademate redimitum; hominem, qui magnum coram mundo hoc operetur miraculum, Regno adeo contrarium, ut sibi videatur exiguus, atque semetipsum, ut ita dicam fraudet iis bonis, quæ possidet; *Magna virtus est*, quæ coronas meretur potius, eo quod illas contempserit, quam quod eas possederit. Hæc nihilominus virtus est, & miracula, quæ in S. Ludovico intuemur. Magnus erat propter regiam dignitatem; major propter Galliæ Regnum, quod, ut S. Gregorius ait, alia quæcunque superat; sed maximus propter relatas victorias. Videte tamen quid illi profint relatæ victoriæ: ut videlicet, eas contemnat, ut sese abjiciat, ut illustriora præbeat suarum humiliationum exempla. Hæc virtus duos quodammodo effectus diversos habet; agit, & residet in mente possidentis illam, & extrinsecus etiam operatur. Sancto Regi non sufficit humiliter de se sentire, nec pati, ut dignitatis suæ fulgor oculorum suorum aciem perstringat; non sufficit illi gerere cor humilitatis sub purpura, sceptrum sub humilitate latens, & exercere modestiam David de se ipso dicentis: *neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*; & quia Rex eram, me hominem esse oblitus non sum. Non sufficit Sancto nostro ponere humilitati in corde suo solium secretum, illam extrinsecus profert, ut magnifice regnet, & in humilitatis occasionem vertat, quidquid Regum vanitas ad ambitionem, gloriamque sustinendam usurpat.

Quo in sensu S. Ludovicus magnificâ habuerit sanctitatem?

Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur. Ps. 14. Non minimum elogium quod exercituum Deo deferatur, est, illum non in bonitate, ac potentia solum, verum etiam in sanctitate magnificum appellare: *Magnificus in Sanctitate*; & maximum elogium, quo S. Ludovicus celebrari valeat est dicere, quod *Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur.* Ita Moyses adeo magnifice de Deo non loquitur, nisi postquam illum Regem vocavit, quasi innuat, Reges tantum hujus laudis esse posse participes, & licet omnes Sancti magnifici sint, ex quo Sancti sunt, ad summos tamen Principes hanc pertinere magnificentiam, & sanctitatem secundum omnem ejus splendorem. Huic innixi principio, ubi videbitis S. Ludovicum prudentia sua confirmare solium ferme dirutum tempore ætatis suæ pupillaris, Ecclesiæ inimicos ad altarium pedes prosternere; duellum, ac blasphemiam legum suarum justitia, & severitate compescere; jus subditis suis, sibique, invitis Judicibus, dicere eo usque ut contra seipsum aliis litem adjudicaret: ubi illum intuebimini sapientia sua finitimorum furgia sedare; bis Regnum suum deserere, ut illud Jesu Christi lucraretur; solum in Ægypto hostilem exercitum sustinere, primum illuc pedem inferendo; cum illum in ipsa captivitate sua spectabilis imperterritum, quasi ipse victor fuisset, & increpare barbaros, qui illum sibi in Regem licet captivum sunum cupiebant eligere: nonne verum est has imagines gloriæ, magnificentiæ, & Sanctitatis in mente vestra confundi, & vosmet prohibere non posse, quominus in Sancti hujus laudem exclametis; *Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur.*

Quomodo hic sanctus fuit simul & Rex, & servus Dei?

Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum. 3. Reg. 3. Quam difficile est simul & Regem, & servum esse; hominibus imperare, & nonnisi obedientem Deo illis imperare! Quam difficile est summam auctoritatem cum vera obedientia consociare: Magnitudinem cum parvitate; majestatem cum humilitate! Quam difficile tandem est Regem esse sine superbia, & servum sine abjectione! Regnum destruit humilitatem servitutis; servitus abjicit throni majestatem. Attamen talis est S. Monarcha, cujus elogium aggredior; & cujus Ecclesia triumphalem recolit memoriam. Semper hominum Rex, semper Dei servus. Rex ex quo Pater illius e solio, & mundo excessit: Servus Dei, ex quo per ætatem eidem potuit inservire. *Dominus Deus, tu regnare fecisti servum tuum.* Verum Servi Dei indicium est, semper habere sensus a mundi corruptione defæcatos: mentem semper intentam mandatis Dei, cor ad omnia, quæ illi placere possunt, dispositum. Verus Magni Regis character est, gestare subditos in corde suo, vires, & potentiam

suam

suam adhibere minus ad imperii sui fines proferendos, & ad gloriam regni sui augendam, quam ad destruendos inimicos Dei, & faciendum, ut triumphet Ecclesia. Est modestum esse, sicut Magnus hic fuit Monarcha, etiam in prospero rerum cursu, justum in consiliis, constantem in adversis eo pacto, quo Sanctus noster se universæ terræ præbuit conspiciendum, ut aliis esset exemplo.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, quæ huic argumento quadrare possunt.

Christianos Imperatores non ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ demerunt, vel inimicos cives adversum se surgentes cavere, & opprimere potuerunt, sed felices eos dicimus, si juste imperant. S. Augustin. de civit. lib. 5. cap. 24.

Felices dicimus Imperatores, si inter linguas adulantium, & honorantium obsequia non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt. Idem ibidem.

Felices dicimus Imperatores, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum ediis exercent, si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent. Idem ibidem.

Felices dicimus Imperatores, si quod aperte cognoverunt decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto est eis castigatior, quanto esse potest liberior, si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare. Idem ibidem.

Felices dicimus Imperatores, si omnia benefaciunt, non propter inanis gloriæ ardorem, sed propter Charitatem felicitatis æternæ, si pro suis peccatis, humilitatis, & misericordiæ, & sacrificium orationis Deo suo vero immolare non negligunt. Idem ibidem.

Quem regnare delectat, uni omnium Regatori Deo subditus, hareat plus eum diligendo, quam seipsum. Idem lib. 1. de vera Relig.

Aliter servit Deo Rex, quia homo est, aliter quia Rex est. Quia homo est, servit Deo vivendo fideliter, sed quia Rex est, per leges justa præcipiendo. Idem.

Servite Reges Domino in timore . . . *Quomodo serviunt Reges in timore? nisi ea, quæ contra justitiam fiunt, pro modo puniendo.* Idem.

Optimum Principem decet in suis quidem peccatis esse æternum judicem, ac in erratis subditorum placidum, & ad ignoscendum facilem. S. Joannes Damascenus.

Magna & rara virtus est humilitas honorata. S. Bernardus super Missus est.

Hoc ad Reges Christianos pertinet, ut peccatum suis temporibus velint habere matrem suam Ecclesiam, unde spirituales nati sunt. Sanctus Augustinus tractat. 11. in Joannem.

Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis; fulgere purpura, mente sordescere. Minutius Felix in Octavio.

Reges Magni sunt, qui cogitationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Venerabilis Beda.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento licet haurire.

Non minimum Religionis bonum est, si sanctitas sit eorum regno conjuncta.

CUM Deus Reges evehit ad solium, non id agit, ut ob oculos mortalium ostendat inania prætereuntis celsitudinis insignia, sed ut illi sint præcipua Religionis præsidia in terris eorum potestati subjectis. Hinc factum est, quod Sacerdotium, & Imperium olim erant conjuncta in principibus Israel. David & Salomon Ephod amicti cecinerunt Hymnos ante Arcam, & Domino obtulerunt holocausta tanquam Reges, & Pontifices. Et profecto hæc unctio sacra adeo venerabilis in origine sua, adeo vetus, ac primi Reges Israel, qui receperunt illam, imprimens Regni characterem in Principibus, illis simul ostendit inevitabilem necessitatem in qua sunt divinæ gloriæ consecrandi auctoritatem, quam recipiunt, ita ut vere non regnent, nisi quatenus efficiunt, ut regnet Deus, & Religio. Cum S. Ludovico persuasum esset de ineluctabili hac necessitate, omnes curas, & auctoritatem impendit, ut in ditione sua melius coleretur Deus: nullis pepercit laboribus, vigiliis, sumptibus, ut semper magis floreret Religio, pietas, virtus, ita ut nunquam perfectius Deo præstita fuerit obedientia, cultus & amor, quam cum incomparabilis hic Monarcha rerum summa potitus est.

Magnoscibiles qui Regnum inter, & Sanctitatem S. Ludovicus fugeravit.

Si unquam Dei regnum perfecte in creatura constitutum fuit, hoc proculdubio fuit in persona Regis, qui cum regno quippe occurrunt difficultates, & obices fere insuperabiles homini Regi, ut hoc in statu ad Sanctitatem perveniat. Verum quoque est, Sanctitatem tunc duos, eosque amplissimos fructus percipere, videlicet quod glorioſius triumphat, & potentius regnat, cum sibi has terræ potestates subjecit. Tria sunt obstaculorum genera, quæ prohibent, ne Reges Sancti fiant. Primi sunt infra illos, alii intra, tertii denique circum. Obices sub illis positi; sunt prava placita rationem corrumpentia, quæ Mundi principes plerumque cum lacte imbiberunt. Obices, qui in illis sunt, sunt cupiditates, quæ cor illorum possident: ii tandem qui circum, sunt occasiones periculorum, quæ quodammodo in eorum manibus sunt. Non sine ope divina hos omnes obices avertere novit S. Ludovicus. De illis triumphum retulit, & summo animi ardore pernicioſa hæc placita, & funestam politicam, Religioni prorsus oppositam profligavit: Cupiditates suas cohibere, & ab aula novit assentatores, invidos, & hypocritas extendere, ita ut effecerit, ut perfecte regnaret Deus in seipso, & in corde subditorum suorum.

Fama bonitatis, & clementiæ est Elogium pulcherrimum Regis Christiani.

Pulcherrimum elogium, quod deferri valeat Principi, hoc sane est illum bonum esse affirmare. Asserere illum magnum esse, victorem, potentem, beatum, minus in ejus honorem cedit, quam si de illius bonitate loquaris. Magni titulus sæpe illi parit inimicos, & invidentes. Victoris titulum cum ducibus, præfectisque partitur, nonnunquam tantum fortunæ, quantum virtuti suæ debet Filicis nomen; sed bonitas illi propria est, personalis, & singularis. Hanc nonnisi cum illo partitur, qui in divinis Scripturis quodammodo vult oblivisci se a nullo pendere, se omnipotentem esse, terribilem, Deum exercituum, ut nostrarum miseriarum, suæque infinitæ bonitatis recordetur. Ad hanc normam Sanctus Rex noster suam bonitatem composuit; bonitatem humanitate, & suavitate repletam, quæ, licet magnum illud chaos intercedat inter regiam majestatem, ac potentiam, & populorum subjectionem, ac sordes; efficiebat, ut minutas eorum necessitates cognosceret, & aditum faciliorem præberet calamitoso cuique, illum cicurem reddens, ac familiarem hominibus, qui alteri cuipiam præter ipsum visi fuissent suis curis, & cogitationibus indigni. Cor ejus multo magis, quam regale palatium patebat populis, qui minus illum respiciebant tanquam terribilem regem inter exercitus suos, & milites prætorianos, quam beneficentissimum patrem in familia mœrente, quam suo aspectu lætificat, & consolatur.

Nulla conditio obex esse potest salutis nostræ, quia S. Ludovicus se sanctificavit in sua.

Cum ex Ludovici exemplo didicerimus, nullam in terris esse conditionem, ubi nemini liceat esse Christianum, & perfectum Christianum; ne queramur de illa, cui nos Dei voluntas adnectit, neque in illam rejiciamus vitæ nostræ noxas, & scelera. Si uti magnus hic Sanctus, conditione nostra uti sciremus; quin illa nostræ saluti obex esset, quamplurima in eadem salutis adjumenta inveniremus; neque enim nos dissipat, & avertit a Deo; immo ibi excentas causas deprehendimus nosmet attollendi ad Deum, nosmet subjiciendi Deo, & Divina consilia adimplendi. Tantum abest, quod per illam non liceat nobis christianas exercere virtutes; ut immo nobis frequentes earum exercendarum rationes suppeditet; videlicet incessanter in ipsa conditione nostra, in qua nos collocare divinæ placuit Providentiæ, plures nanciscimur occasiones exercendæ pœnitentiæ, patientiæ, obedientiæ, aliasque charitatis, humanitatis, & humilitatis obeundæ. Quam adorabilis es Dei mei Providentia, & quam amabilis es, eo quod æternæ salutis nostræ vias sternis faciliores; quod in singula momenta tot varia præbes illius acquirendæ adminicula, & quod in Sancti Regis, quem colimus, persona adeo absolutum perfectionis exemplar nobis proponis. Ne quæramus ergo, non secus ac S. Ludovicus extra status nostri cancellos perfectionem nostram. In regno suam nactus est S. Ludovicus; & ipsi in mediocritate status, in qua nos Deus constituit, nostram invenietmus.

Duo virtutum genera, quæ ad Sanctitatem acquirendam Reges exercere possunt. Quædam illos extollunt, aliæ deprimunt. Utræque sunt necessariæ.

Duo sunt virtutum genera, quas Reges exercere possunt, licet tanta in luce refulgeant, & in illis eorum sanctitas, & gloria consistunt. Quædam sunt, quæ regno naturales esse videntur, & aliæ, quæ toto cælo supra regiam dignitatem assurgunt, videntur & eidem adversari. Illæ conditionem hanc comitantur, hæ illam superant, fed imperioso modo ac triumphali. Illæ positæ sunt in hoc, ut bonus hujus dignitatis fiat usus, hæ, ut hæc dejiciatur, & conculcetur. In primarum classe recenseo illas, quæ vulgo regales dicuntur, puta, generositatem, liberalitatem, fortitudinem. Videtis opus non esse, ut quod Rex strenuus sit, & liberalis, multo sese supra suam conditionem attollat, ac in seipsum magnis conatibus utatur. In fortuna, statuque suo habet virtutis hujus exercendæ causas, & modos. Immo si oppositis vitiis fordesceret, longe majorem dignitati suæ vim facere oporteret. Sed virtutes aliæ, quæ regnum superant, quæ regiam subigunt, ac irritant dignitatem, illæ sunt, quæ christianæ virtutes per antonomasiam vocantur, & quæ propius Salvatoris mortificationem, & humilitatem imitantur. Hoc autem sanctitatis genus nullum fere invenit locum in fortunis nitentibus, & in soliis, ubi Regum majestas refulget. Princeps ut se humiliet; opus est, ut ultra suam conditionem se attollat, ac superet seipsum, ut maximam inferat vim omnibus cupiditatibus suis, & sibi hanc veritatem proponat, Deum

velle

velle in Reges præfertim regnare, seu quod gratia magis triumphat in his externarum mortificationum occasionibus, seu quod Crux Salvatoris magnificentius triumphat de iis, quæ in mundo sunt majora, ac potentiora, ubi semel cum honore collocari potuit in corde Summorum Principum, & Victorum mundi. Sed ubinam gratia hoc imperium uberius recepit, ubi Sancta Crux gloriosius collocata fuit, quam in corde S. Ludovici? Nonne videtur natus in purpura, positusque in solio maximas Regni prærogativas, & maximorum Regum præcellentes qualitates possedisse, ut illas conculcaret, easque Jesu Christi imperio subjiceret? Quandoquidem illi sacrificavit omnes honores, qui passim Regum conditionem comitantur, omnes voluptates, quibus aulæ redundant, & a quibus fere semper corrumpuntur; omnesque divitias, quibus frui poterat, ad Crucis pedes omnia etiam sacrificans, quæ nulla lege erant interdicta.

A nullo pedere velle maxime naturalis est humanæ mentis character, sed hinc tentationi numquam cessit S. Ludovicus.

Duo illa, quæ hominibus acceptissima sunt, & quæ illi ardentius deperire videntur, sunt celsitudo, & potentia. Votorum suorum summa est, nihil super se intueri, & omnia sibi inferius posita cernere. Cogitant quo absolutius obtinebunt imperium, eo magis se Deo similes futuros; & si eo pervenerint, ubi a nemine pendeant, se procul dubio ad divinitatem perventuros. Hinc gravissima hæc tentatio est, qua dæmon Sanctissimum quemque valeat lacessere; cumque hi superaverunt voluptates, divitiasque contempserunt, in eos expedit vanitatis tormenta. Hac arte de primis parentibus triumphum egit; illos enim tandem sefellit, absolutum, ac divino simile proponens imperium: *Eritis sicut Dii*. Eundem servat ordinem, cum eorum nepotes aggreditur; novissimus enim conatus, quem ad eorum interitum excrit, est illos ambitionis crimine tentare. Illi, in speciem quidem, facillimum erat S. Ludovicum hac arte superare, ejusque spiritum corrumpere blanda hac absoluti imperii imagine, quæ Regiæ dignitati adhærere videtur. Nihil enim in terris est, juxta mundi spiritum, Regibus majus, & cum Tertulliano dicere possumus, illos unice subesse Deo, & super reliquos mortales assurgere. Attamen licet S. Ludovicus quatenus Galliæ Rex gloriari posset, se unum esse ex præcipuis terrarum Principibus, quatenus Ecclesiæ Primogenitus; ille sua celsitudine, & coronæ suæ præeminentia usus non est, nisi ut se magis subjiceret Deo, & melius ostenderet suam Divinæ Majestati submissionem.

Manifesta fabulæ pericula in regum statu. Hinc S. Ludovicus erat per integram Deo submissionem.

Si quis in mundo status est, ubi salus nostra periclitetur; hic sane est Regiæ dignitatis exercitium, quam qui possident, putantes sibi jus esse rebus in omnibus sequendi voluntatem suam, quin ab ullo corripiantur, passim omnibus vitiis se mancipant, quin animadvertant, se a Divina Majestate pendere. Metus privatos in officio cohibet; leges eorum desideria compescunt; amici utilia subinde illis tradunt consilia, eosque redarguunt. Sed Regibus hæc omnia desunt subsidia. Nihil illis negotium facessit, nihil eos retinet, rebus in omnibus suæ parent libidini, quin obicem ullum reformident. Ab aliis hominibus distincti, assueti eorum omnium, qui ad illos accedunt, obsequiis, facile gloriari possunt; & metuendum est, ne frui cogitent iis omnibus, quæ suo subsunt imperio. Videtur, nequaquam licere illis vera dicere, & virtutem unam jus habere illos corrigendi. Nihil ergo tam necessarium est Regibus, quam adniti, ut hunc submissionis spiritum acquirant, quam debent Deo; & sibi persuadeant se nunquam futuros dignos, qui aliis præcipiant, quam cum ipsi Divinæ majestatis parebunt imperiis. Hoc alte adeo in animo suo S. Ludovicus impresserat, ut oblitus videretur, se in solio natum esse, se hoc Regis munere fungi, ut tantum reminiscceretur devotionis illius, quam Deo debebat; ac terribilis rationis, quam aliquando redditurus erat status illius, ad quem eo permittente pervenerat.

Difficillimum est Principibus servare modum, & ambitionem effugere.

Difficillimum est in mundi hujus luce versari, quin vivas de spiritu mundi; inter voluptates, & honores sæculi tueri omnem moderationem hominis, qui iisdem utitur ex necessitate non fruentis affectu; contemnere secundum Religionis principia, quod te possidere generis tui jure arbitraris; intra se acribus, vehementibusque cupiditatibus agi, circum se sexcenta & fallentia objecta intueri, quin his tradamur cupiditatibus, & quin immoderato æstu ad eadem objecta curramus. Quo magis sublimes sunt conditiones illæ, quibus impliciti sumus, eo magis crescunt difficultates. Qui in status mediocritate sua obit munera erga Deum, quamprimum oblivisceitur eorum, quæ debet illi, cum ejus providentia ad nitidiorem fortunam evectus est. In opum sinu altus, educatusque cogitat, se ideo magnum esse, ut longius proferat inexplibilem suam ambitionem. Positus inter gloriam, ad quam evocatur a Deo, & eam, quam ipsi mundus exhibet, hanc consectatur, quæ inane phantasma est, & nullo habet in discrimine illam, quæ una ipsum vere felicem potest constituere. Verum si quis est Princeps, qui vere intellexerit, quam procul absint Monarchæ a munere suo perfecte obeundo, & inevitabilem, in qua sunt, necessitatem subigendi cupiditates suas, abrenuntiandi voluptatibus; & conculcandi honores, qui quadam veluti necessitate ambiunt thronum suum; hic sane est magnus ille Rex, cujus hodie memoriam recolimus. Tanta vi S. hic Monarcha omnes perdomuit cupiditates suas, ut virtutes omnes in illo natæ fuisse videantur.

Quanti momenti sit exemplum Principum erga cæteros homines vulgo.

Deus, cujus admirabilis Providentia vigilat incessanter creaturarum suarum incolumitati, eorum vero præsertim, qui sui sunt, non nactus est utilius consilium ad gloriam, atque magnificentiam suam longius proferendam, quam Regum, & Principum exempla. Exempla profecto, quæ virtutem, & sanctitatem nobis longe aliter intuendas proponunt; nam licet opus non sit hoc levi subsidio, ut illius fulgor eniteat: verum nihilominus est hoc fœdere celsitudinis, & nobilitatis longe fieri admirabiliorem: *Non quod habentibus magna sint; sed quod contemnentibus mirabilia*. Quorsum istud? Quia Principes in hanc lucem prodeuntes secum ferre videntur duos gravissimos obices ad sanctitatem, spiritus nempe superbiam, & propensionem ad sensuum voluptates; ita ut cum videtur Princeps aliquis non solum de duobus hisce vitiis triumphum referentem, verum etiam inter eos, qui sanctitatis laude florent, enitescere per humilitatem altiorem; severioremque mortificationem; hunc virtus, ut ita dicam, prodit omni amicta magnificentia. Hac in re S. Ludovicus esse potest exemplo non solum rerræ Principibus, similibus sibi, sed etiam vulgo mortalibus, quorum infirmitas fulcienda est, & animanda hujusmodi exemplorum auctoritate, ad quorum conspectum difficile est, non dico, deserere vitæ sensuum voluptatibus abditæ consuetudinem, sed non trahi exemplis virtutis adeo præclaræ, ac permoventis.

S. Ludovic fidelitas in sequenda humilitate Crucis Domini.

S. Ludovicus mirum in modum fidelis Deo fuit in ea gloria, quæ undique quidem renidebat, sed quæ illius oculos nunquam perstringebat. Humilitas summorum virorum est virtus, quia cum sese humiliant, de altiori loco præ aliis descendunt. Hæc virtus fortes tantum regalesque animas decet. Mentes exiguæ facile sibi præfidunt, cumque sint nihilum, se magnos singunt in cogitationibus suis, & aliquid se esse opinantur. Hac in re admirabilis erat S. Ludovicus. Inveniri non potest Princeps, cui plus insit meritorum, & minus vanitatis, nec qui melius fortunæ suæ magnitudinem fuerit moderatus, quin suam fortitudinem abjicerit. Itaque hic Rex de sua majestate descendere noverat, ubi operæ pretium putabat; & ad oris, habitusque gravitatem revertebatur, cum hoc sibi faciendum censebat: & sicuti humilitas sua illum infra nihilum suum continebat, ita ut illa Davidis verba usurparet: *Substantia mea tanquam nihilum ante te*; ita generositas sua illum supra omnes mundi potestates extollebat. Rex iste minori cum fastu incedebat, quam civium minimus: verbum ejus erat sine fuco, corporis habitus, & incessus sine ostentatione, vestes sine luxu, oculorum conjectus sine fastidio: conversatio cum familiaritate, ac simplicitate, & sicuti illi persuasum erat, humilitatem virtutem esse Regibus dignam, licet nihil videret in terris amore suo dignum, tamen non dedignabatur cum minimis ac plebe familiariter agere, si crederet illus suo indigere subsidio. *Psalm* 38.

Exempla bonorum, malorumque Principum causa sunt virtutis aut vitiorum in iis, qui eorum subsint Imperio.

Regum exempla sunt quodammodo imperia, quidquid boni, vel mali faciunt, populi eorum imperio subjecti imitantur. Vitia, vel virtutes eorum, ut plurimum sese in omnem ipsorum ditionem effundunt; videntur etiam per imitationem in omnibus familiis perennari. Arbitrantur populi non esse sibi melius consilium, quod sequantur, quam eorum, sub quorum dominatione divina Providentia illos constituit. Quemadmodum Reges non possunt patrare scelera, quibus non fiant in longissimum temporis spatium fontes; ita virtutem non habent, quæ omnibus in locis non reviviscat, ac indesinenter non germinet in cordibus plurimorum, qui avent illos in aliquo imitari, licet natura sua parum essent ad tanta hæc exempla imitanda proclives. Hic unus fuit ex maximis fructibus, quos S. Ludovicus in regno suo tulit, singulis bona præbens exempla. Nunquam tanta lenitas, ac modestia conjuncta fuit cum tanta celsitudine, & majestate; & nunquam tot adeo simplices, ac naturales consuetudines tam puræ, & affabiles tanta cum dignitate viguerunt. Reformavit populum suum per curam, qua propriam vitam ad virtutem conformabat. Per bonos illius mores, pietas rediit sin minus in omnia jura sua, saltem in pretium; devotio non fuit amplius imbecillitas; & visus est mundus ingratiis Religionem revereri.

Summi vix difficilius salvantur, quam alii.

Salus sua omnibus in statibus fieri potest, dummodo nihil habeant divinæ legi contrarium. Videlicet Deus omnes homines respicit in misericordia sua; Reges quoque salutis suæ participes fieri possunt, licet purpura fulgeant, licet tot curis obruantur, quæ totam illorum curam videntur flagitare; sed verum quoque est multos obices illis esse superandos, plurimas difficultates vincendas, plurimis tentationibus resistendum; quopropter attentius sibimet invigilare tenentur, sæpius & majori cum fide, ac religione confugere ad Deum, ut ab infinita ejus misericordia auxilium obtineant, quo indigent in adeo periculosis occasionibus, ut dominari valeant tot cupiditatibus, quibus indesinenter oppugnantur; atque ut illi sacrificent quidquid adversari possit necessitati eidem placendi. De hac re magno S. Ludovico ita persuasum fuit, ut tota vita illius jugis fuisse videa-

Digitized by Google

videatur oratio, per quam promereri conabatur omnes gratias, quibus indigebat in periculis ita urgentibus; sed quotidie semetipsum divinæ majestati Sacrificium offerebat.

Reges esse debent patres, & pastores subditorum suorum & illis persuasum esse debet se, positos esse ut illis succurrant, & consolentur.

Si Reges sunt imagines Dei, non minus sunt propter dignitatem, atque potentiam; quam propter earum usum in eorum gratiam, qui ipsis subditi sunt. Si Pastoris titulus, quem tribuit Evangelium illis, qui sunt aliorum ductores, nomen erat commune illis, qui in profana antiquitate nationibus præerant, non tam ut subditos docerent obedientiam Principibus suis, quam ut Principibus ipsis ostenderent, quantam vigilantiam, affectum, præsidiumque subditis suis deberent: hoc tamen est in quo Principes ab ipsis incumbulis infinitos reperiunt obices, cum vulgares animæ in hanc lucem prodeuntes videntur statim suam subjectionem, ac imbecillitatem fateri. Principum animæ statim impressionem recipere videntur a fulgore eorum honorum, quibus septæ sunt. Primum objectum intuitus earum est caterva Aulicorum festinantium illas sequi, illas palpare, eorumque etiam vitia admirari. Antequam edoceantur se nonnisi humani generis esse particulam, destinatum ad partem aliam sustinendam; illos prævertit hæc fallax opinio, pro se mundum universum esse creatum; sentiunt se dominos esse mortalium omnium, si sunt suæ ditioni subjecti; & ratio vix in eorum Spiritu prodire incipit, ut statim inveniant in ditione sua inimicos ad rebellandum paratos, & adeo prævalentes, ut difficillimum sit eos debellare, & periculum adsit ne victi cedant. Sanctus Nolter, sint Deo gratiæ, procul fuit ab iis præventionibus, in quibus Principes nascuntur; vix ratio ejus prodiit, cum eadem usus est, ut integrum sui ipsius Deo Sacrificium offerret, & ut simul fateretur, se omnino a Legibus divinæ ipsius Majestatis pendere.

Superbia duplíciter videtur principibus ingenita.

Vitium hoc omnes mortales secum afferunt, cum nascuntur; super alios attolli volunt per inordinatam ambitionem, per superbiam quodammodo inhærentem naturæ nostræ, & quæ invenitur etiam in humillimis conditionibus, & iis, qui magis videntur contemptibiles secundum mundum. Sed vitium hoc Principibus dupliciter ingenitum esse videtur; nam quatenus homines sunt, illis commune cum reliquis est, quasi hæreditario jure illud a primis parentibus hauserint; sed quatenus reges quasi nova hæreditate illud a tot principibus acceperunt, quot inter majores eorum censentur. Diceres sanguinem in venis eorum fluentem nonnisi spiritus ambitionis efficere posse; ortus sui fulgorem, qui illos perstringit, in illis innatum relinquere meritorum suorum præsumptionem; & pompam, qua circumdati sunt, efficere, ut obliti sui neunquam se eadem, qua alios mensura metiantur, & illos tanquam infra se positos despiciant, & proinde si portenti loco ex S. Chrysostomi sententia habendum est, si quis existat, qui penitus naturalem hanc propensionem suffocaverit: duplex esse portentum; si Rex de seipso despectus, atque contemptus sensum foveat, nihil enim est tam difficile principibus, quam nihili facere id quo illos taliter a cæteris vulgo hominibus secernuntur.

Solus S. Ludovicus trium; hac de hoc sensu mortalibus omnibus communi & de hac peculiari Principum superbia. *In Apologetico.*

Nemo unus ignorat S. Ludovici characterem; sed unusquisque præterea scire debet, sibi conandum esse, ut illum de se tam demisse sentientem imitetur. Regum omnium modestissimi illi fuerunt, qui se homines esse meminerunt; & sapientissimus quisque credidit satis esse, subjici Deo, ut loquitur Tertullianus: *Omni homine major, quia Deo minor est.* Qui cæteris pietate antecellebant hoc sibi in axioma adoptarunt: *Servire Deo, regnare est*; & sanctissimus quisque pedibus coronas suas conculcavit, & omnibus opibus nuntium misit: sed postquam irrito labore S. Ludovicus id facere conatur in hoc statu superiori reliquis hominibus, quem retinere debet, ut Providentiæ obsequatur: seipsum adhuc minoris facit, & nonnihil difficilius operatur. Nequit ille vel negare, vel dissimulare suum nobilitatem, quæ una est ex omnibus mundi bonis, quam idem Dei Filius retinuit; Sed loco horum magnificorum titulorum, quos alii jactitant, Sanctus noster non alio nomine vult nuncupari, nisi *Lovis de Poissi* a nomine loci ubi aqua lustrali fuerat ablutus; reminiscens se ibi pompis, & vanitatibus Mundi abrenuntiasse cum Christianæ Religioni adscriberetur; Ubi alii sæpe incipiunt Christianæ humilitati abrenuntiare, quam profitentur, nomina fastu plena assumentes. Religiosus hic Monarcha, cujus gloria par esset nobilitatis locis omnibus, suam deducit nobilitatem non quidem ex majorum sanguine, ex quo corpus suum effictum fuit, sed ex Sanguine Salvatoris, a quo anima sua longe nobiliorem nativitatem excepit. Itaque humanas dignitates nonnisi tanquam vanitatis notas intuitus est, & dicere consueverat, regno, quod sui majores illi reliquerant, admoneri sibi illud brevi aliis esse relinquendum.

PARAGRAPHUS VI.

Loci delecti ex Asceticis, & recentibus Concionatoribus hujus argumenti.

Compendium §. Ludovici elogium.

SAnctus Ludovicus in regni sui cursu utramque fortunam expertus est: Felix fuit in Gallia, infelix in Ægypto, & in diversis statibus semper sibi constans, semper egit Regem, & semper sanctus fuit. Princeps iste palam ostendit solii majestatem cum Evangelii Sanctitate posse conjungi, & quin sublimis status relinquatur, pœnitentiæ humiliationes posse exerceri: Regem vere Christianum non pendere ab eventu, & non timere, ut adversa ei auferat fortuna, quod dici nequit a prospera fuisse concessum. *Abbas de Choisi, in præfatione ad vitam S. Ludovici.*

Vera Regis magnitudo est, esse subjectum Deo in quo S. Ludovicus excelluit.

Divinæ magnitudinis est non pendere ab aliquo, Regiæ autem ab uno tantum; scilicet Deo. Illorum celsitudo innititur ipsorum subjectioni, eorumque principatus in hoc situs est, ut a Deo pendeant; & regum qualitas, quæ illos super reliquos homines attollit, innititur qualitati fidelium servorum Jesu Christi, qui illos suis legibus subjicit. Si hæc vera sunt, S. Ludovicus est incomparabiliter magnus, quia fuit incomparabiliter fidelis & nunquam in solio visa fuit anima Dei majestati magis subjecta, & supra terræ hujus dignitates magis sublata. Regina Blanca, quæ regimen susceperat, donec filius in pupillari ætate versabatur, tanquam depositum filio reservandum, non autem tanquam bonum sibi proprium, ut illius possessionem sibi perennem efficeret; tanta cura, & successu ejus puritiam excoluit, ut quamvis gratiæ simul omnes ad illius educationis curam omnem contulissent, hæc beatior esse non posset. Fecit, ut diluculo ea doceretur omnia, quæ magno Regi scienda sunt, ut subditis imperitet cum æquitate; & quæ sancto viro facienda sunt, ut Dei legem observet. Præsertim vero hoc illi principium impressit, quod mox fuit omnium actionum ejus norma: mortem potius esse eligendam, quam peccatum: principium, quod tanquam divinum semen in uberem cadens agrum, tulit fructus vitæ adeo innocentis, & adeo constantis fidelitatis, ut baptismalem gratiam nunquam amiserit; quæ gloria tanto præstantior est in Sancti Ludovici persona, quanto rarior fuit in persona Regum maximorum. Dicere possemus paucissimos illi similes fuisse in fideli observatione Legis Altissimi; Spiritui Sancto placuisse in eo permanere tanquam in loco quietis, & per innocentiam suam illum citra quemlibet metum sese obtulisse coram Rege Sæculorum. *Pater Neret in Meditationibus.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Benedicamus hoc in loco memoriæ sapientis, pixque Reginæ, quæ diluculo jecit in pueri Ludovici animam prima hæc pietatis semina, quæ deinceps tantos fructus pepererunt. Æque par ad Sanctum exemplis suis efformandum, ac heroem sententiis suis instituendum, illi ostendit, Reges nunquam, ut decet, regnare, nisi per illos regnet Deus, & nisi ille manu sua dirigat commissam illis auctoritatem. Nihil illi antiquius fuit, quam ut in ejus corde divinam legem insculperet, antequam in manibus ejus statueret sceptrum illud, quod illi gestandum erat; & scitus, initium politiæ, non secus ac humanæ sapientiæ, esse timorem Domini. effecit, ut filius peccatum intueretur, tanquam monstrum teterrimum, & magis timendum, quam ipsa mors. *Abbas Mongin.*

Quomodo hic Princeps sese a puero mancipavit?

Educatus cura matris suæ, cui Gallia universa debet tantum regem, & cujus institutis ipse Sanctus Ludovicus voluit referenda esse accepta ea omnia, quæ vitam illius illustrarunt, visus est eo tempore quo Reges adhuc juvenes variis distinentur occupationibus, & sæpe etiam parum christianis, meliores horas impendere lectioni, & orationi, qui sunt duo veluti rivi, per quos Deus in corda nostra suam gratiam infundit. Visus est solitudini, & austerissimis mortificationis exercitationibus, & non maximis tantum, verum etiam minutissimis operibus charitatis impendere momenta successiva, quæ credidit se posse citra noxam publicis functionibus abradere. Visus est, cum vigesimum ætatis suæ annum ageret, suavissime sua relinquere solatia, quæ intra venationis, aucupii, & latrunculorum aliorumque id genus ludorum cancellos continebantur. Visus est assiduo labore intentus ad litterarum humanarum studium, quod facile magnorum virorum virtutis amorem immittit. *Ex Christianis Sermonibus.*

Magna salutis difficultas in regio statu, quomodo cum S. Ludovicus superaverit?

Difficillimum est in corruptionis centro non corrumpi, non amari divitias ab eo qui dives est, non sacrificare animam suam idolo gloriæ mundanæ, cum te illius idololatris stupatum intueris, non sequi illecebras vanitatis, & voluptatis, cum natura cupiditatibus, iisque objectorum varietate inflammatis irritata homini offert quidquid magnificentissimum, & suavissimum est. Ubinam est Princeps adolescentulus, qui in ipso ætatis ardore noverit æstuosos impetus compescere austera moderatione, quæ illi fines præstituit? Princeps adolescens qui cum christianis oculis intueatur super se Deum a quo

Digitized by Google

quo magnus factus est, ut majori cum reverentia, & grati animi sensu gloriam ipsius omni contentione provehat? Princeps adolescens, qui dignitatem suam tanquam sanctitati objicem considerans, se coram Rege Regum noxium putet, nisi sua usus fuerit auctoritate tanquam validiore causa, & favorabili occasione ad hoc ut Sanctus evadat? *Quis est hic, & laudabimus eum.* Gratiæ superis habeantur! Illud in S. Ludovici persona invenimus; Principis hujus adolescentis, qui inter humanæ felicitatis fulgorem & blandas aulæ delicias ostendit, quid in anima efficere valeat omnipotens Jesu Christi gratia; Principis hujus, qui a puero in florentissimi imperii luce, ac solio innutritus, ex eo tempore didicit Ludovicum de Pissinco per regenerationem spiritualem in aquis lustralibus majorem esse, quam Ludovicum Galliæ Regem per omnem nitentis coronæ suæ lucem; & præstare per electionem parvulum esse in domo Domini, quam per affectum habitare in superbis tabernaculis peccatorum. *Idem.*

Timor Dei, & peccati quem Reginæ Blancæ verba in corde Ludovici impressérunt.

Communes Regum scopuli S. Ludovico æque favorabiles extiterunt, ac aliis funesti esse consuevere. Cur vobis exhibere nequeo perfectam divinæ legi obedientiam; & quam religiose ac pavide exciperet æternas propositiones, & irrevocabilia decreta, per quæ Deus hominibus voluntatem suam manifestavit? Quo horrore in transgressione legis respiciebat peccatum, quod ab illa separari non potest! Conjicite ex verbis, quæ pia Sancti Regis mater alte adeo insculpsit in ejus corde, & quibus omnes resonant Evangelici suggestus: *Mallem videre filium meum mortuum, quam unicum mortale facinus perpetrantem.* O verba, quæ minorem cierent stuporem, si minus essent pulchra! Verba majorem doctrinam continentia, quam omnes Christiani sermones; verba vere digna ea muliere, cui Ecclesia, & Gallia debent Regem Sanctissimum; utinam adeo fortiter cordibus nostris, ac Regis nostri impressa hæreatis. Illi adeo alte cordi hærebant infixa, ut leprosum intuitus, cujus corpus turpi hoc morbo infectum unum dumtaxat vulnus videbatur, asseruit Aulicis, qui spectaculum illud horrebant, se malle habere carnem prorsus ea lue depastam, ac tabescentem, quam videre animam suam vel minima lepræ spiritualis peccati labe pollutam. *Abbas de Jarry.*

Occasionis fuga, mortificatio, & oratio media fuerunt, quibus usus est ad innocentiam fuendam,

Optima eaque tutissima ratio ad peccati occasiones evitandas, est earum fuga. Artem hanc perfectissime calluit Rex noster. Re ipsa in deserta fugere non poterat, sed novit ille sibi in ipsa aula solitudinem comparare. Ad impugnandas cupiditates suas usus est mortificatione, & oratione; sed ad fugiendas occasiones, quæ illas excitare poterant, vel efficere, ut renascerentur, sibi in corde suo solitudinem ædificavit, quo secedebat, ut sese muniret adversus frequentia pericula, quæ in tumultu, & aulæ impedimentis ipsi imminebant? Semper sibimetipsi tam sedulo cavit, ut nunquam vel minimæ lethali noxæ fuerit assensus. Videri ne potest majus naturæ miraculum, quam juvenis Rex in ipso ætatis robore adeo generose seipsum a viis sæculi præservare inter ipsos sæculi tumultus? Sanctus Joannes Chrysostomus Regum aulam fornaci Babylonicæ comparat, ut ostendit, tantum esse miraculum sanctam vitam agere in aula, quantum fuit in pueris illis vivere in medio flammarum: *Non tam admirabile illæsos eos in fornace permanere, & nihil ab igne pati, quam admirabile, ut in aulis Sanctus permaneat.* Sed fatendum est, quod narrat Scriptura, in medio ignis Angelum fuisse, qui elementi vim prohibebat. Hæc gratia tua, Domine, Sanctum hunc Regem regebat & quanta gloriæ tuæ fiebat accessio, cum in ejus corde cum imperio regnares, & absolute imperares Regi; qui majorem se gloriam nactus putat sanctis mandatis tuis obediendo, quam ingenti populorum numero imperitando! *Bivar.*

Sanctus hic Rex se voluptatibus trahi nonsinit. Quanta hæc illius sit gloria.

Pompa, & voluptates, quibus passim Regum aulæ redundant, in S. Ludovici pectore periculosissimas parere poterant impressiones; attamen illis nunquam se trahi passus est. Si sancti ipsi immunes non sunt in solitudinibus suis procul ab omnibus objectis, quæ in illis tentationem ciere possunt, & si quotidie cum Deo gemitibus, lacrymisque suis conqueruntur; quid metuendum non est Regi, qui dives est, cujus aula conflata est ex sexcentis adolescentibus noctes, diesque artem eidem placendi quærentibus? Aula corruptionis sentina est, & scopulus puritatis. Tantum abest, ut seductionem evitent, ut immo illi occurrant; pericula quæruntur, non vitantur, & in illa quisque alios pertrahere conatur. Ars, & natura simul conjurant, ut illecebræ, & blandimenta valeant. Nobiles mulieres secum trahunt blandientium, & adulantium catervam, qui illas nescio qua inebriantes potentia, illis dominationis spiritum inspirant, ut qui se falli non sinunt, merito felices se valeant nuncupare, Si minus hac ex parte cedit eis dominari, sexcentos habent locos, ut optatum dominandi finem consequantur. Risus, joci, luxus, molities, vestium pompa, nimis liberæ conversandi rationes, otium, commessatio, ac id genus alia tot tanquam tot faces, quæ cupiditatum omnium igne accendunt, quæ illas nutriunt, atque perennant; & nisi gratia Dei operetur miracula, vix, & ne vix quidem fieri posset, ut adhibita communi vigilantia, & diligentia, vivant qui tot inter pericula, quibus abundant aulæ, ardentem imitentur rubum, qui circum undique extrinsecus, flammis septus erat, licet intus incombustus. Hanc tamen artem Sanctus Ludovicus nactus est, Deo favente; cum seipsum incolumem, & immunem præstiterit ab omni corruptionis labe, licet inter gravissima versaretur pericula. *Sermones Christiani.*

S. Ludovicus evitat omnia pericula in aulis Regii adeo frequentia.

Aula sedes est deliciarum, voluptatumque omnium: hæ ibi regnant, atque triumphant. Illic enim omnia deliciis redundant, omnia palpant sensus, & nihil prætermittitur eorum, quæ rationem corrumpere possunt. Hac de causa sapientiores evitant illam tanquam æstuosum mare, quod scopulos celat, & quod nunquam periculosius est, quam cum tranquillius videtur. Si qui ita felices fuere, ut illud evitarent, Reges sane hac felicitate frui nequeunt; quia conditio sua illos in aula cogit permanere. Hi sunt capita, hi præcipuum aulæ partem, & pulcherrimum ornamentum constituunt. Ubi sunt Reges, ibi aula est, ut ubi Reges, non sunt; ibi neque aula est. Hinc illorum castitas magno versatur in discrimine, quoniam commorari tenentur in loco, ubi tot illi sustinenda sunt prælia, ubi adeo infrequentes referuntur victoriæ, & ubi frequentissimum cedendi periculum adest. *Ubi continua pugna, & rara victoria.* Tamen hoc in loco tot scopulis repleto Sanctus Ludovicus suam puritatem insignivit, voluptates contempsit, impuritatem devicit, & de omnibus ejusdem lenociniis triumphavit. *P. Senault Oratorii.*

S. August. ser 210. de Tempore.

Difficultas qua viri Principes salutem suam operantur.

Satis est Evangelium aperire, simulque oculos in Principum virorum conditionem conjicere, ut ea innotescat oppositio, quæ inter utrumque intercedit: quæ quidem Tertulliano tanta visa est, ut dicere non veritus sit, utrumque statum simul esse non posse, & absurdum esse simul & Cæsarem esse, & christianum. Præventio quidem inaudita, & fallax, & penitus confutata tot principum exemplis, qui in purpura Sanctitatem affecuti sunt; sed nihilominus præventio, quæ licet fallax nobis ostendere potest infinitam difficultatem, qua simul alterius conditionis suapte natura a nullo pendere cupientis prærogativæ, & placita ejus Religionis, quæ jugem requirit sui abnegationem, conciliantur; ita ut inter tot obices, quos in suorum officiorum praxi, cujusdam Status personæ non invenire non possunt, nonnisi magnus Religionis amor illas redigere possit ad eam fidelitatem, quam servare tenentur. *Abbas de Jarry.*

Sanctus Rex agnoscit nihilum humanarum vanitatum.

Sanctus Ludovicus ab ineunte ætate successor Ludovici VIII. patris sui, cui virtus Leonis nomen fecit, magni hujus Regis tumulum respexit tanquam fatalem scopulum, in quem tota Regum alliditur pompa. Intellexit Principes, postquam effecerunt, ut sub pondere armorum suorum plures contremiscerent populi, & ipsos tandem sub terribilibus Dei mandatis contremiscere, qui serius, ocyus novit de mundanorum superbia pœnas reposcere: gloriam, qua Reges renident, non aliud esse, quam fulgens phantasma, quod postquam simplicium oculos fascinavit, tandem in æternum extinguitur in antri obscuri caligine: ex vana eorum ostentatione nihil superesse adhuc, nisi pugillum cinerum in breve urnæ unius spatium coarctatum: illis postquam in honore habiti fuerunt, laudibusque, & adulantium vocibus excepti, postquam aliis nominis sui timorem injecerunt, & aliorum obsequiis toto vitæ suæ spatio adorati fuerunt, non aliud supereisse rerum præclare gestarum monumentum, quam epigraphes aliquot, quæ minus eorum magnitudinem, ac robur, quam vim, mortis restantur, quæ illos præcipites agit inter horrores sepulcri, ubi lues, ac infirmitas grassantur. *Elogia Historica.*

S. Ludovicus pro nihilo habens Regiam dignitatem licet innocens omnia perfecti Christiani obit munera.

Primum spectaculum, quod re adhuc integra in Sancti Ludovici vita perstringit oculos, & quædam est species mysterii humanæ superbiæ; est in solio videre Regem, sed potentem, juvenem, innocentem, & simul pœnitentem. Rex erat; quinam humilitatis titulus! Rex erat potens, quænam in vitia facilitas! Juvenis erat, quænam ætas ad innocentiam! Quot studia, quot cupiditates superandæ! Innocens erat; cur ergo erat pœnitens? Cur saltem non fruebatur in solio virtutis dulcedine? Cur in aulam ferebat lacrymas, cilicia, & austeritates deserti? Sapientia mundana, quam Dei spiritus insaniam vocat; quæ nonnisi magnifica admiraris vitia, quibus tuos exornas Heroes; hic profanum os tuum claude ac reverere virtutes Sancti, cujus quam primum insignia facta veneraberis. Verum est hunc Regem fuisse, sed apud Sanctos dignitates non absorbent officia. Rex erat innocens, sed Christianus, atque ut in loco, qui superbiæ adeo proximus erat, credidit sibi nihil nisi Jesu Christi crucem esse intuendam. Generis sui gloria minus illi antiqua fuit, quam sui Baptismi vota: quæ ut æternum fideliter coleret, non alium usurpare voluit titulum, quam loci, qui eorum memoriam subinde ciebat, & nomen regis, quo magnus fiebat, despiciens, semper illud nomen optavit, quo humilis fieret. Ita repetens suæ gloriæ principium,

& men-

Digitized by Google

& mentem atque cor suum sublimius, quam thronum, in quo positus erat, attollens, sanctificavit coronam suam, illam Regi immortali subjiciens, a quo omnia pendent imperia. Minus illectus pompa consecrationis suæ, quam officiorum suorum magnitudine territus nequit, quin contremiscat elicere solemne jusjurandum de potestate sua ad majorem Dei gloriam, & populorum suorum utilitatem adhibenda, & magis intentus invisibili unctioni, qua illius anima sanctificabatur, quam illi, qua persona illius Sacra fiebat, ab ea solemnitate recessit magis repletus gratiæ donis intrinsecus, quam extrinsecus nitens fulgenti regalis magnificentiæ pompa. *Abbas Mongin in Academica in Sanctum Ludovicum oratione.*

S. Ludovicus regni periculaextremiscens solitudinem sibi in corde fecit, ut ab illis caveat.

S. Ludovicus ad intuitum periculorum, quibus illum status suus objiciebat, salutarem concepit timorem, qui suadebat illi, ut crebro sese reciperet; & si minus preces, & vota subditorum permiserunt illi, ut re ipsa ab hominum consuetudine secederet, quod faciunt Anachoretæ, novit saltem in ipsa mundi luce moralem sibi ædificare solitudinem, quo ab iis omnibus, quæ sensibilia sunt, procul fugiebat affectu. Modo sanctos invisebat cœnobitas inter eorum claustra, ut illorum virtutes in cor suum ingrederentur per pia colloquia, & bona eorum exempla, & se eorum precibus comendabat, certus illorum preces apud Deum plurimum posse. Modo quin ex regiis ædibus pedem efferret sese in sacellum suum recipiebat, & in corde suo sibi solitudinem constituebat, ibique per exercitia orationis, & mortificationis, necnon per omnium christianarum virtutum actus carnem quidem spiritui, spiritum vero Deo subjiciebat. Tot præcautionibus, ac jugi assiduque in sensus suos vigilantia non solum a se omnia amovebat pericula, quibus ipsum sua objiciebat conditio; sed evitare didicit prostitutæ Babylonis virus, cum qua tot Reges terræ fornicati sunt, quemadmodum dilectus discipulus animadvertit. Nunquam inebriavit se mero hoc abominationum, & impudicitiarum fluente ex aureo vase, quod manu tenet, & quod unicuique accedenti propinare solet; sed artem invenit sine labe tuendi innocentiam suam in loco, undique periculis septo, ubi fere sunt omnibus hominibus inevitabilia, & præsertim mundi principibus & ubi paucissimi sunt, qui vinci, superarique non gaudeant, immo sibi gloriæ non vertant interisse. *Christiani sermones.*

S. Ludovicus pluris facit dignitatem Christianam quam Regiam.

Sanctus hic Monarcha, licet rerum summam obtineret, vel potius, quia summam obtinebat potestatem, nunquam se in mundo consideravit, nisi tanquam subditum Deo, ut ab illo penderet, eique obediret. Rex erat, & Christianus: sed assuetus omnia ad sanctuarii trutinam ponderare semper Christiani dignitatem Regiæ censuit anteferendam, nam regem esse, dicebat ille, est quidem, sed oneroso titulo, esse hominum Dominum; & esse Christianum est per solemnem, æternamque devotionem esse Jesu Christi servum. Hæc autem servitus, qua Jesu Christo adhærebat, millies videbatur illi pretiosior, & amabilior toto universorum imperio. Hinc ille de hoc Christiani nomine palam gloriabatur, & tanquam Christianus peculiari cultu, pietate, ac prædilectione prosequebatur locum, ubi sacro ablutus fuerat baptismate. Hac de causa ex omnibus Regni sui urbibus Pisecincum illi erat antiquissima; & pietati suæ satisfacturus suppressis nominibus cæteris, quibus illius in terris potentia indigitabatur, sæpe semet figure gestiebat *Louis de Poissi*; hæc enim altera nativitas erat toto cælo illustrior priore, qua meminerat se fuisse regeneratum Jesu Christo: & sciebat, ibi nomen suum descriptum fuisse in libro vitæ, & relatum in album fidelium, mox in cælo scribendum. Ita ille de Christiana professione sentiebat. E contra vero Regis dignitas nunquam illi visa est, nisi tanquam onerosissima sarcina ac onus nimis terribile, quo prægravatus erat, & sub quo gemebat non aliam nactus utilitatem, nisi quod seipsum conspiciebat in inevitabili necessitate, ut Deo magis subjectus esset, quam subditi sui. *P. Bourdaloue.*

Facilitas in aula omnibus fruendi voluptatibus officit sanctitati Christianissimi.

Non minimum commodum, quo in regno aliquis frui posse existimatur, & quod statum illum jucundissimum efficit, hoc est, quod ibi inveniuntur occasiones, & adminicula omnibus mundi voluptatibus perfruendi. Sed commodum hoc infinito est detrimento puritati, & sanctitati Christianissimi; per hoc enim Regum aula notia fit duorum criminum, quæ generalia sunt, & cætera omnia complectuntur. Horum alterum est, quod ibi libido, atque licentia omnino dominantur; alterum vero quod homines assuescunt vitæ molli, quæ generatim fugit mortificationes omnes, quas a nobis expetit Evangelium, & quæ nonnisi indignanter, ac ingratiis respicit Crucem; vitæ molli, quæ sibi persuadet pœnitentiam Religiosis tantum, atque Anachoretis esse relinquendam. Sed ne vereamur in Ludovici aula hæc vel scelera, vel errores inveniri posse, ibi inveniemus quidem quidquid Reges valeat oblectare; verum simul intelligemus quidquid oblectare potest Regem, Sancti virtutem constituere, & non prohibere quominus severam amplectatur pœnitentiam, ita ut dicere possimus, Sanctum hunc Regem, licet omnibus Regni insignibus amictum, nunquam semet existimasse nisi victimam singulis vitæ suæ diebus Deo immolandam: & profecto etiamsi nihil nobis suppeteret, quod de magno Sancto hoc diceremus, nisi illum castitatem servasse in aula, in ipso corruptionis, & licentiæ centro, in ætatis suæ flore sartam tectam puritatem retinuisse, & legitimo contentum fuisse conjugio, quin aliqua illegitimi amoris suspicio unquam fuerit oborta: in hoc uno minime deesset, unde exornaretur Panegyrica oratio eo locupletior, quod Sanctus hic Rex vixit in aula, ubi hæc libido imperiosius grassabatur, & ubi omnes impune omnibus sese nequitiis, flagitiisque ingurgitabant. *Biroat.*

Regnum est tentatio universalis.

In oculis fidei thronus est ingens scopulus. Regnum species est tentationis universalis: auctoritas quam tribuit, & impunitas, quam nanciscitur, magnæ sunt ad peccandum illecebræ. Cum penes te arbitrium est tua vota sequendi, difficile est, te illud tantum, quod tuum est, sequi; & Rex qui circum se non videt, vel non audit nisi ea, quæ suis favent cupiditatibus, suorum criminum excusationes, assentationes, & laudes, licentiæ subsidia; injustitiæ prætextus, amulceta, vel secreta contra veritatem; rex inquam, omnium humanarum cupiditatum ludibrium, factus etiam alienarum objectum, & conscius, & veluti idolum voluptatis, non invenit suæ innocentiæ securitatem, vel suæ virtuti præsidium. Reges terræ audite, & erudimini. Ecce Regem secundum cor Dei, Regem Regum exemplar; Regem, qui regnum intuitus secundum intentiones Dei, & secundum ordinem, in quo constitutum est, summam omnia faciendi potestatem ad solas justitiæ, & charitatis regulas redigit. *Abbas Mongin in Sermone Academico.*

Magna difficultas salutem suam operandi in regno. S. Ludovicus invenit artem semet in illo sanctificandi.

Quam difficile est Regem, cui omnia parent, ipsum ex animo parere Deo! Ab incunabulis nutritum in spiritu elevationis, contra ea omnia, quæ illi resistunt; inflatum jugibus obsequiis aulæ, quæ semper parata est ad genu coram idolo suo flectendum, septum adulantium turba, qui vitiis perinde ac virtutibus plaudunt, inter objecta omnia, quæ cupiditates illiciunt, & palpant; sua edoctum officia a ministris, qui hominis mortalis laudes cum Dei viventis oraculis miscent; absoluta potestate sustultum; offerentem omnes iniquitatis illecebras primis concupiscentiæ motibus; semper expositum periculosæ huic ebrietati, quam voluptatis, & ambitionis fumi in anima, quæ sese illis abdit, efformant: Quam difficile est, inquam, contremiscere coram Deo, cum omnia trepident coram ipso, & clam de gradu descendentem redigi ad subditorum suorum statum per Evangelicam obedientiam, cum per Regium auctoritatem illi tantopere antecellat! Sed communes Regum scopuli æque S. Ludovico glorioso fuerunt, ac sunt aliis funesti. *Ex specimine Panegyricorum.*

Sanctus hic reputans æterne salutis pericula sibi præcavebat salutaribus meditationibus, pœnitentia, & jugi mortificatione.

Sanctus Ludovicus Regia amictus auctoritate, sui cordis, suarumque actionum arbiter, cum juxta desideria sua vitam componere posset; in copia, & mollitie aulæ deliciis affluenti, septus mortalium caterva, cui desiderium, ac utilitas placendi suggerunt validissima lenocinia, sensit sibi opus esse consummata virtute, ut sese a sæculi contagione præservaret. Serio meditatus est, quibus subsidiis mentem muniret, & carnem posset debilitare. Antequam in publicum prodiret, secum tacitus cogitabat non secus ac sapiens Evangelicus Rex, vires suas, & in recessu robur suum metiebatur. Statas habebat horas, quibus æternas veritates meditaretur, sibi saluberrima Jesu Christi placita proponebat de vi sibi inferenda, de sui ipsius abnegatione, de violentia, qua uti debet Regnum cælorum rapturus. Considerabat infelicem exitum cupiditatum inconditarum; cogitabat mortem, quæ voluptatibus omnibus finem facit. Meditabatur inexorabilem judicem, qui non flectitur; ignem, qui non extinguitur; supplicia, quæ in æternum perseverant. Postquam hoc pacto spiritum communierat, debilitabat corpus, Ecclesiæ jejuniis adjiciens ultroneam abstinentiam. Sibi etiam interdicebat legitima quævis solatia, ut majus adipisceretur imperium in vetitas voluptates. Mortificabat sensus suos per ea, quæ naturæ magis erant opposita, patiperum pedes eluens, & propria manu ipsa etiam leprosorum ulcera attrectans. Ita Sanctus Ludovicus in mundi commercium ingrediebatur, palam in populo cum majestate prodiens, dum in oculis Dei pœnitentis specie appareret. *P. Cheminais.*

S. Ludovico persuasum est de difficultatibus salutis in loco operandæ.

Prodiit S. Ludovicus in lucem inter has pompas, periculosasque delicias, quæ crebro a Dei servitute mundi principes avertunt; verum licet frequentia obstent impedimenta, scivit esse Dei servum, quin Regem esse cessaret. Omnia throni commoda possedit, quasi illa non possideret, & propria usus est fortuna, quasi non uteretur. Attentus monitis genitricis suæ, quæ vera erat Dei famula, reminiscitur Creatoris sui in diebus adolescentiæ suæ, discit, quam utile sit diluculo ferre jugum Domini, hoc est supremis ejusdem legibus obedire. Generosum init consilium millies potius moriendi, quam lædendi illum, quem mater illi docuerat omnibus rebus esse præferendum. Illinc venerabilis illa præcautio, qua ipso Davide sapientior tutatus est cor, oculosque suos,

Eccl. 11. Jerem. Lamen. 3.

eosque

coſque ita continuit, ut ne minimam impudicitiæ impreſſionem reciperent, eo tempore, loco, ſtatu, in quo omnia aliquid conferunt ad præclaræ virtutis hujus jacturam ſubeundam. Vivebat in aula, ipſe hanc conſtituebat, in aula dominatur voluptas, huc ad nos fallendos catervatim omnes confluunt delitiæ, ut S. Paulus loquitur, caro adverſus ſpiritum rebellat, hic tandem vita delitiis affluens prohibet, ne ibi ſapientia inveniatur. Erat ille in ipſo adoleſcentiæ flore, quo tempore ſanguis magis fervet, & difficillima eſt ſuarum cupiditatum victoria; erat in ſolio, videlicet omnibus Regni ſui veneribus ſeptus. Itaque ſtatus, locus, tempus certatim conferebant ad pulcherrimum pudoris florem flaccidum efficiendum, cujus immortale decus, tot licet obices adverſarentur, ſervavit. Pactum cum oculis percuſſum, ne unquam illos figeret in objecta, quæ cor illius corrumpere poterant, illi æque ac S. Job, fuit inſtrumentum glorioſi triumphi, quem de voluptatibus retulit; triumphi, quem nunquam deſtitit, quominus precibus ſuis a Deo peteret, ſciens voluptatem eſſe ex eo dæmoniorum genere, quæ nonniſi in jejunio & oratione extruduntur. *Auctor Recens.*

Admirabilis S. Ludovici attentio in corruptione fugienda. Præclarum ejus dictum ad aulicos.

Teſtatur Scriptura, Dei timorem eſſe initium ſapientiæ, eumque etiam vitæ fontem appellat animas a morte præſervantem. Hoc non latebat S. Ludovicum, cum leproſum videns, cujus corpus univerſum turpi hoc morbo infectum a capite ad pedes jam unum duntaxat ulcus evaſerat, aulicis ſuis affirmavit illud ſpectaculum horrentibus, ſe malle videre carnem ſuam exteriori hac lepra corruptam, atque depaſtam, quam vel minima lepræ ſpiritualis, peccati mortalis labe animam ſuam fœdatam. Præcautiones, quibus ad crimen evitandum utebatur, verborum ſinceritatem probabant. Mundi Salvator dixit, eos, qui in domibus Regum ſunt, mollibus indui; ſed ecce Regem, qui cilicium tegens purpura totum ſceptri pondus manu altera ſuſtinet, altera vero ſtringit chriſtianæ mortificationis gladium, ac ſe in regni ſolio muniens, quod omnium voluptatum centrum eſt, contra formidabilem hunc inimicum, qui & ipſi Divo Paulo in curſu Apoſtolatus ſui glorioſiſſimo timorem incuſſit, hunc adoritur, & inceſſanter oppugnat, terribili præcinctus orationis, & jejunii armatura. Cur nequeo illum vobis exhibere chriſtianis exercitibus imperantem? provectiori ætate prima virtutis ſuæ prodigia inſtaurantem, & in heroici zeli ardore primum illum adoleſcentiæ ignem repetentem! Sed ad breve temporis ſpatium hæc relinquamus prælia, commodiori tempore reſumenda, poſtquam locuti fuerimus de iis omnibus, quæ præceſſerunt, & de primitiis zeli illius, de quibus mox ſumus locuturi. *Specimen Panegyricorum.*

S. Ludovicus regnare cœpit fabiliter rebelles, & præbendo præclara ſuæ fortitudinis ſpecimina.

Sanctus noſter, & adoleſcens monarchia ſenſit coronæ ſuæ pondus, ex eo momento, quo eadem fuit redimitus, agnovit laboris difficultatem, & uti Salomon petiit a Deo Sapientiam, quæ cum ipſo ſuos labores conſociaret. Primæ veritates, quas didicit, fuerunt, quid Ipſe deberet Deo, tanquam homo, quid populo ſuo deberet, quatenus Rex. Primæ illius cogitationes extiterunt, Regnum ſuum beatum efficere, & ſemet Sanctum. Primæ illius actiones fuerunt opera clementiæ, atque juſtitiæ, & regnare cœpit ſacrificans requiem ſuam, & propriam objiciens vitam, ut civilibus bellis finem imponeret. Nunquid vobis exhibeam funeſtam imaginem pupillaris ætatis, & regiminis undique oppugnati? Num vobis ob oculos ſtatuam fatale diſſidium, quod zelotypia, & imperandi libido excitarunt primis regni ejuſdem temporibus? Viſi ſunt Principes boni publici cauſam prætexentes ad arma confugere; Angli in ipſum uſque Galliæ ſinum effuſi; Regis auctoritas violata, ſubditi oppreſſi, & Regnum hoc olim florentiſſimum jamjam ceſſurum in prædam externorum inimicorum, & domeſticorum. Quæ vaſtitas! Ludovicus, quin carnem, ſanguinemque conſuleret, quin ætatem ſuam cauſaretur, quin temporum incommoda, & belli pericula reformidaret, in aciem egreditur, Dei exercituum opem implorat, proficiſcitur ad hoſtes conquirendos, impugnandoſque: ſed fallor, proficiſcitur ad ſubditos ſuos ſublevandos, eiſque pacem reddendam poſt unius prælii victoriam. Hic divino protectus auxilio, & magis juſtitiæ cauſa, quam propria ductus utilitate, terrorem hoſtilibus copiis, & agris incutiens palam oſtendit veram pietatem non eſſe veræ virtuti contrariam, & difficillimas quaslibet victorias non eſſe niſi prima eorum experimenta, quos Deus ipſe ad bellum erudit. Ibi viſus eſt virtute ſua ſupplere virium ſuarum paucitati, ſolus rotum ſuſtinere pondus exercitus, tueri pontem Talleburgi fortitudine magis admirabili, quam ea, quam vetus Roma jactavit, & ea operari, quæ temeritatis poſſent redargui, niſi Dei ſpiritus nonnunquam ſupra communis prudentiæ & virtutis regulas attolleret magnas animas, quas ad ſuperbiam, & rebellionem hominum infringendam deſtinat. *Flechier.*

Regnum S. Regis turbis miſceri cœpit. Ille vero caſtelat.

Non ſingulare divinæ Providentiæ conſilium eſt permittere, ut Regum plerique regnum ſuum turbis agitatum inveniant. Accidit hoc cum minor adhuc eſſet S. Ludovicus; quippe ejus primordia fere generali defectione tentata fuerunt. Quinque Principes qui ſe ipſos in totidem Regulos erigere appetebant, contra Blancæ Caſtilienſis regimen fœdus percuſſere. In illum excitati ſunt calumniatores. Inſurrexerunt in regni turbines quidam qui abſtulerunt recti itineris aſpectum ſapientioribus, qui in communi eorum vita ſatis recte incedebant. Color Regi operam præſtandi, illos in diverſa pertrahit, contra illum ad arma concurrunt, ſed pro eodem ſe arma capeſſere ſimulant: Ut illius auctoritatem reſtituant, illam conantur evertere, & publicam tranquillitatem perturbare. Liceat per te mihi Domine ſciſcitari, utrum permittas, ut optimorum Principum regna idem ducant initium ac regnum David, ex diſſidiis, ut profundæ paci finis imponatur; an potius periculoſis id genus experimentis populos erudire velis, ut contra propria pugnent bona, Regum ſuorum partem deſerentes? An vis Reges docere, illos non niſi per te regnare poſſe, neque ſolium ſuum confirmare niſi per divinæ tuæ providentiæ ſubſidium? S. Ludovicus, ut ſuum confirmaret, adhuc adoleſcens arma cepit, & omnia inimicorum ſuorum machinamenta diſjecit. Ipſe ſolus cum domo ſua bellum ſimul intulit quinque Principibus, non ſecus ac olim Abraham perſecutus eſt quinque Reges opibus ſolius familiæ ſuæ. Diceres illum hujus ſibi exemplum ad imitandum propoſuiſſe. Fratrem Alphonſum, quem agnoſcere populi detrectabant, ut Abraham fratrem ſuum, reſtituit. Ex quinque regulis illis quatuor perdomuit, & pepercit quinto, qui illum ejuravit hæreſim, cujus antea ſe patronum eſſe jactitaverat. Nonne hæc eſt imago veteris illius Patriarchæ, qui Reges quatuor occidit, & quinto veniam, vitamque largitus eſt? *Sermo Manuſcriptus.*

S. Ludovicus nunquam ſi pro Religione populoque tuendo bellem geſſit.

Sanctus Ludovicus fuit Princeps belliceſus, & magnanimus; ſed bellis minime ſe implicuit cæco motu militaris affectus, qui juvenum corda trahit. Non credidiſſet ſe citra crimen ſibi promereri poſſe Victoris famam excidio provinciarum ambitioni ſuæ immolatarum. Quemadmodum David effudit aquam de ciſterna, ad quam tres fortiſſimi Iſrael per Philiſthinorum caſtra cum vitæ periculo hauriendam erant profecti, S. Ludovicus perhorruit bibere ſanguinem populi ſui in diſcrimen adducti, ut inanis gloriæ ſitim extingueret. Arma cepit, ut throni ſui aſſereret jura, vel ut illaras Salvatori ſuo contumelias ulciſceretur. Omnia hæc bella juſta fuerunt, ſancta, & neceſſaria. Nunquid vobis exhibeam Tholoſæ Comitem ad Sancti Regis pedes Albigenſium hæreſim deteſtantem, & obſtinatum hoc impiæ ſectæ caput, quod zelo Herois noſtri exarmatum ſe ſe ad Crucem, ac Religionem ruendam devovet, cujus hoſtis erat interneciuus? Num vobis hunc Regem deſcribam ſolum totius exercitus hoſtilis impetum ſuſtinentem in ponte, quem virtutis ſuæ teſtem fecit, nonniſi aliquot horarum intervallum interſerens inter hoc adeo memorabile factum, celebremque victoriam, quæ Angliæ Regem profugi inſtar coegit mare traducere, quod non ita pridem triumphantis inſtar araverat? Poſſem quoque illum oſtendere ſuperbo Cæſari Friderico legem indicentem, qua coactus fuit reparare contumeliam Eccleſiaſticæ purpuræ illatam in perſona Præſulum Galliæ, quos captivos fieri juſſerat, ac factum ſuperbi Imperatoris terrorem, qui totius Europæ terror evaſerat. *Ex Specimine Panegyricarum Orationum.*

Singulare fortitudinis exemplum.

Jure, equidem fateor, Sapientes Ethnicorum fortitudinem, animumque conſtituerunt in rebus difficillimis aggrediendis, & moleſtiſſimis perferendis: neque mihi arduum, multique laboris opus eſſet probare hunc ſtrenui, fortiſque Herois titulum in Sancto Ludovico, cui quos hac in re pares inveniam, ſunt perpauci. Etenim quin vos morer de bellis, quæ illi ſuſtinenda fuerunt in ipſo Regni ſui meditullio, ubi ejus virtus inter ditionis ſuæ motus, ac turbas enituit, ac præſidium nacta eſt, dicam ſolum, illum Regnum ſuum propugnantem ſummæ fortitudinis ſpecimen edidiſſe, quam deinceps protulit in Salvatoris regno tuendo. Quandoquidem inſigni bellicæ virtutis prodigio, quod vitæ ejus hiſtorici ſatis admirari non poſſunt, ſolus in ponte Talleburgi ſuſtinuit omne robur Anglici exercitus ea firmitate, qua cohibuit furentem illam Septentrionalium populorum colluviem, quæ jam Galliæ impendebat, & quæ deinceps prope fuit ut fortiſſimos illius ſecum traheret ſucceſſores. Profecto unica ſimilis actio præſtitit, ut gregarius Romæ miles inter celeberrimos heroas locum aſſequeretur, ita ut Romæ vetus nihil hoc glorioſius jactare valeat: quid hic de Rege noſtro dicendum erit? Nunquid illi locum inter ſtrenuos viros non inveniam, qui centum id genus actionibus clarnit? Sed illud tanquam Sanctum, non autem gentium domitorem prædico &c. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovicus venit ad deſtruendam hæreſim Albigenſium.

Sicuti Sancti Regis noſtri Regnum fuit regnum pietatis, ita prima ejus expeditio fuit, primi hujus officii executio. Hoc armatus gladio, quo nonniſi juſtitiæ, & Religioni inſervit, primum uſus eſt ad ſcindendum velum, quod ævi ſui Hæreticis veritatis lucem auferebat. Sæculum jam exceſſerat, ex quo in hoc regno impia, & rebellis ſecta convaleſcebat; quæ cum libertatem a nemine pendentem profiteretur, non defuerunt Principes quidam ficinbroſi, & potentes, qui ſe illius capita profeſſi ſunt; cumque hominibus licentiam omnem permitteret, Sectatores illi deeſſe non poterant. Hydra fatalis!

Digitized by Google

quæ mortalibus confossa vulneribus a pluribus Galliæ Regibus rursus nasci videbatur, & quæ tandem potenti suscitata manu, quam ipse Dominus erudierat, accessit ad throni ejusdem pedes moritura, quam toties evertere fuerat conata. *Albas Mengin in Academico Sermone.*

Tanta licet esset Regis nostri bellica virtus, proprius illius character erat lenitas, & clementia.

Lenitatis, & mansuetudinis spiritus, quem fidelibus inspirat Evangelium, virtutem ejus non minuit. Nullus unquam Princeps animam habuit simul pacatiorem, & bellicosiorem. Haud ægre dimittebat injuriis, quibus ipse tantum lacessebatur, sed adversus Religionis, vel Reipublicæ hostes ingenitæ sibi clementiæ oblivisebatur, & virtuti suæ aurem præbebat. Visus est hic Princeps eadem die suum ducens exercitum, præstabat enim cæteris procero corporis habitu, & oris majestate, in ponte sustinere solus totam Anglorum aciem apud Talleburgum, licet plus quam centum milites contra unum pugnarent; & eadem die visus est Princeps victor oblivioni dare imperiosæ Reginæ facinus, eique ferme ingratiis gratiam largiri sum, quam ne deprecaretur, superbia prohibebatur. *P. Cheminais.*

Procul a superbia, aroganti ostentatione, quæ principum fœculi natura videtur, æque humilis est ac minimus a plebe.

Ne minima quidem ambitionis, vel superbiæ suspicio deprehensa fuit in actionibus Sancti Regis hujus, ficuti neque umbra ostentationis in verbis, aut in agendi, aut loquendi cum quopiam ratione. Non pudebat illum palam prodire cum veste simplici, & sequioris notæ. Non dedignabatur cum quoquam mortalium sine fuco habere sermonem. Infirmioribus indulgebat summa cum bonitate, quæ omnium amorem sibi conciliabat, & semet humiliandi occasionem sumebat ex ipsis rebus, ex quibus alii vanitatis ansam arripiunt. Verum est non defuisse Reges, & Principes, qui omnibus Aulæ commodis abrenuntiarunt, ut latentem inter claustra vitam degerent; & ex Sancti nostri Majoribus adfuisse, qui vel possessionem, vel spem regni abjecerunt, veluti Lotharium, Carlomanum, & alios, qui hac in re videntur Christianam humilitatem perfectius exercuisse; hæc, fateor equidem, singularis fuit magnorum Principum gloria omnia propter Deum reliquisse; sed præterquamquod Sanctus noster centies hoc iniit consilium; quin illud exequi posset, & quotiescunque conatus est Dominicanæ, vel Franciscanæ familiæ nomen dare, toties Deus illi non dubie significavit, sibi placere, ut esset Rex, illud fecit quod ex S. Bernardi sententia infrequentius, & difficilius est, videlicet Religiosi humilitatem cum Regis pompa, & majestate conjunxit. Quod si minus illi cessit e voto, abjicere dignitatem, quam nativitas sua illum retinere cogebat, eam saltem detrectavit, quæ eidem superaddi per electionem debebat; cum nunquam accipere passus fuerit Imperium, quod Pontifex, omnesque Christiani Principes in Lugdunensi Concilio per Friderici depositionem deferebant. Qua in re præclarum vobis proponam problema, cujus decisionem vobis relinquo; scilicet qua in re magis eluceat generositas Christiana, quæ ab humilitate separari non potest, num in oblato honore detrectando, an in modestia servanda in eo, qui possidetur; ut hujus fiat usus secundum fines Dei, atque officii sui Canones. Multa essent in utramque partem disputanda, equidem scio. Plusquam humano consilio opus est in refutando bono, quod alii vitæ censent præferendum: ille vi prorsus divina opus est, addunt alii, ne vento ambitionis evertaris, qui in Principum cordibus tot excitat procellas. Videre gloriam quodammodo inhærentem Regiæ dignitati, & illam nihilosecius fugere; hoc sane est habere cor regale majus, & ostendere non deesse mentis nobilitatem gloriosiorem, quam sanguinis. Sed jugiter vivere cum inimico adeo jucundo, & ad fallendum, atque illiciendum apto, & nunquam falli, neque vinci; probatissima opus est virtute, quæ neque in cœlestibus Angelis reperta fuit. Christiana tantum humilitas tantum moderationis instillare potest. Quascumque partes in quæstione hac sequaris, in S. Ludovici laudem convertam, & decisionem expectans illi utriusque sententiæ laudem conferam. Omnes conatus suos exercuit, ut abrenuntiaret dignitati, quam nativitatis jura illi contulerant; & constanter detrectavit primam terrarum dignitatem, ad cujus onus capessendum aptissimus censebatur. Sed humilitatis Christianæ triumphus in tanto Rege hic est, ut cum alteram detrectaverit, alteram vero abdicare nequiverit, servaverit cor Regis, & Christiani, quæ duo simul esse non posse docebat Tertullianus, hoc est cor humile in altissimo eo gradu, ad quem vel genus, vel meritum valeat quempiam extollere; hac in re arboribus similis, qui altius in terram jaciunt radices, cum vertex earum sublimius in cælum attollitur. Hic humilitatis Christianæ triumphus potest appellari, quæ licet non solita pompa sit amicta, esse tamen potest exemplo statibus omnibus, & conditionibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Regis hujus pietas & devotio.

Sanctus Ludovicus Regias ædes in orationis domum converterat; inter maximi momenti negotia, ut plurimum sacris Ecclesiæ officiis intererat, & secutus exemplum Regis Prophetæ licet negotiorum multitudine premeretur, pluries in singulos dies pietatis tributum offerebat. In castris etiam, & in exercitibus Tabernaculum, quod illi parabatur, erat species Sanctuarii, ubi divina asservabatur Eucharistia. Qua pietate non aperuit sua pericitatis thesaurum, ut Byzantino Imperatore sanctam redimeret coronam, pro qua omnes terrarum coronas dedisset, & qua cum humilitate gestavit illam capite, pedibusque nudatis in augustum Templum, quod ad illam servandam ædificaverat, ubi in hanc quoque diem illam veneramur? Tenera pietatis sensus fovens se ipsum exinanibat coram terribili Majestate Dei: genibus in terram positis, oculisque demissis in spiritu & veritate illum adorans, dum sacra fiebant similis vigiliti quatuor senioribus Apocalypsios coronas suas ad Agni pedes abjicientibus, in sacrificium offerebat Deo thronum suum, Regnum, vitam, atque personam. Nunc illum vidisse tis nudatis pedibus solemnibus supplicationibus assistere, & pro peccatis populi sui sacrificium offerre Deo, quem suis nunquam laxerat. Nunc inveniseletis illum noctu in sancto Sacello suam miscentem vocem cum cantu sacrorum Ministrorum, cum hoc tamen discrimine, quod illos prævertere consueverat in his pietatis exercitiis, cum enim primus illuc oraturus ingrederetur, nonnisi novissimus egrediebatur. Mirabile est intueri Sanctum hunc Regem, cui ingentis regni cura erat demandata, qui domesticis externisque curis obrutus erat, cui potentes extrinsecus minabantur finitimi, & quem intus rebelles subditi oppugnabant; tamen mentem suam, animumque erga Dominum suum convertere. Fatigatus negotiis, quæ tractat, distentus curis, quibus occupatur, impeditus periculis, quibus septus est, id quod aliis argumentum est evagationis, vel criminis, in virtutis materiam convertit: cogitat Deo dare, quod debet, minus utens auctoritate sua, ut sibi obediatur, quam ut auctoritas Dei, a qua illam accepit, colatur, ambulans in innocentia cordis sui in medio domus suæ. Post hæc audebimus oculos nostros in nosmetipsos convertere? In nosmet, inquam, qui in precibus adeo sumus distracti, adeo languentes, ac frigidi in nostris pietatis operibus? in nos, qui coram Deo accedimus ea immodestia, & evagatione, de qua jure conqueri posset quilibet, cui parum aliquid dignitatis inesset, si coram illo eodem in statu accederemus? in nos, qui nostra negotia, & sæpe etiam voluptates nostras causamur, ne de Deo cogitemus, & ne illi nostra adhibeamus obsequia. *Ex Patre Bourdalove, & ex elegiis historicis.*

Eadem argumenta.

Sanctus Rex noster omni tempore, omnibus in locis orat, & Deus invenit in illo Regem secundum cor suum, a quo in spiritu, & veritate adoratur. Nullum est templum, nullus dicatus Deo locus, ubi suam non offerat orationem cum pietate, ac humilitate publicani, ac reverentia digna Majestate Dei, qui ibi præest. Clam orabat cum eo ardore ac pietate, quam actio omnium sanctissima flagitat. Ibi Deus ad Ludovici cor loquebatur, & Ludovicus ea qua fieri poterat, maxima cura Deum audiebat. Ibi Deus Ludovicum erudiebat, quomodo coram ipso se se humiliare deberet. Ibi Ludovicus se humiliabat, & exinanibat coram Deo, qui se propter illius amorem exinaniverat. Orabat palam ita pie, ac devote, ut hac actione non solum eos, qui aderant, ædificaret, sed illis etiam eamdem pietatem inspiraret. Mundi Principes, quibus vestrorum officiorum exercitatio solatium potius est, quam seria occupatio; & qui nunquam, vel raro a labore ad preces gradum facitis, nunquid non formidatis vos aliquando cum Sancto hoc Rege comparandos, atque damnandos? Late patent regni Dominum, omnibus publicis curis onustum, non occupationes throni, non vigiliæ, non labores, non domestica negotia, non externa, non pericula, quibus obnoxius esse poterat, prohibere potuerunt, quominus consuetis vacaret pietatis exercitationibus, quominus tribueret suarum precum obsequium Deo; licet amplissimas prætexere posset causas, ut statis saltem temporibus se dispensaret. Vos autem arbitramini aliquot horarum spatium, quod fortasse huic exercitationi, ac pio muneri impenditis, satis esse, ut illud obiisse, dicamini; vos ducitis minimum quodvis negotium, vel officium, simplicem visitationem personæ alicujus modo non familiarissimæ, legitimam esse causam propter quam ab oratione cessetis? Quam uberem meditationis materiam Christianus Princeps hurire potest a Regis hujus exemplo, omnia pietatis officia obeuntis ea sedulitate, ac vigilantia, qua religiosissimus quilibet Cœnobita! Quoties pertæsus ejus fortunæ, cui mortales invident, in throno solitudinem concupivit? Nisi lumina sua eorum subjecisset luminibus, qui ejus conscientiam moderabantur, Mundo præbuisset exemplum Christiani Principis regnum abrenuntiantis, adeo modico in discrimine terræ hujus honores habebat, omnem felicitatem suam reputans si familiariter cum Deo suo versaretur, si per orationem se se cum Deo suo conjungeret; ita ut de Sancto hoc Rege liceat affirmare, quocunque in situ deprehenderetur, vitam ejus jugem orationem fuisse. *Auctores varii.*

§ Rex in eo totus est, ut magnis æque ac impiis sua dicat officia personarum acceptione.

Inter amplissima, & maxime necessaria Principum munia, non extremum est populis jura dare. Regius Propheta nihil enixius a Deo precabatur, quam judicium ipsius, & Salomon cordis docilitatem flagitabat, & scientiam, ut bonum a malo secerneret, & secundum scientiam hanc populum suum judicaret; & S. Ludovicus

Digitized by Google

vicus hanc facile principem regni sui curam esse arbitratus est. Ipse audiebat, ad examen vocabat æquitate sua lites populi sui. Ædium suarum aditus patebat omnibus, qui illius præsidium implorabant. Non videbantur circa illum satellites in sepium formam in varios ordines positi ad pavidos perterrefaciendos, vel ad removendos importunos. Non erant vel munusculis deliniendi, vel precibus flectendi cupidi, vel inexorabiles janitores. Nullum erat inter Regem, subditosque vallum, quod abjectissimus ex populo superare non posset. Non expectabatur, quænam cujusque sors esset futura ad valvas superbas, quæ identidem pandebantur non quidem ad excipiendos, sed prohibendos illos, qui flagitarent admitti. Non alia opus erat commendatione, vel præsidio, quam justitiæ: titulus hic satis erat, ut ad Regem aliquis admitteretur, illius indigere patrocinio. Jucundum spectaculum est sibi fingere hunc optimum Regem, qualem nobis exhibent historiæ, in Vincenniarum nemore ad earum arborum umbram, quibus tempus pepercit innocua solatia sua interpellantem audire querimonias, & recipere supplices libellos subditorum suorum. Summi & imi, divites & pauperes omnes ad illum usque penetrabant indiscriminatim tempore jucundissimo deambulationis suæ. Nullum erat discrimen inter horas otii, & negotii. Tribunal suum, quocunque pergeret, sequebatur illum. Ad frondentium ramorum umbram & in congesto ex cespitibus solio, non secus ac sub aureis laquearibus Aulæ suæ, & Tribunali lilliis ornato, sine clamore, sine favore, sine personarum acceptione; sine tergiversatione sua proferebat judicia & oracula cum auctoritate, æquitate, & amore; simul Rex, Judex, & Pater. *Flechier.*

Ejusdem argumenti. Nonne dignum Deo spectaculum erat, hominibus vero jucundissimum videre bonum hunc Regem eo in habitu, quem nobis describit historia, ad arboris radices sedentem in Vincennianum septis, & propria manu viduarum, & orphanorum supplices libellos excipientem, consolantem mœrentes, audientem pauperes, & indiscriminatim omnibus jus dicentem? Illic cespititius tumulus erat pro tribunali, quod simplicitate sua præ Salomonico erat venerabilius. Sanctus Ludovicus ita operabatur beneficæ charitatis causa, cujus officia licet summi laboris, illi tamen onerosa non erant. Tenebat se Deo factum pro populo suo, non autem pro se populum suum, & hac mente non solum se benemereri, ac quod suum erat exequi existimabat, sed gaudebat etiam consecrare huic populo sibi divinitus credito, non solum solertiam, & requiem suam, verum etiam curas omnes, vigilias, & ipsam valetudinem, se beatum existimans, si tot laboribus efficere posset, ut summi æque ac imi in perfecta tranquillitate, & consensione viverent. *P. Bourdaloue.*

Idem argumenti aliter pertractatum. Horror, quo Sanctus hic Rex injustitiam prosequebatur, admirabilem illi zelum infundit, ut eam prohiberet. Sedulo subditorum suorum causas cognoscere cupiebat, & ubicunque illas inveniret, dirimeret. Mirum erat spectaculum intueri ad arborum umbram Vincenniis sine satellite, sine militum apparatu, qui populis metum incutit, subditorum suorum controversias audire, viduam, & orphanum tueri, pauperem a divitum oppressione liberare, suisque non uti ministris, nisi ad eos admittendos, qui illius ope indigebant, eosque singulos ex ordine introducendos, ut singulorum querimoniis aurem præberet. Erubescite hoc intuentes Judices terræ, qui omnem pauperibus aditum intercluditis, qui vultis, ut integros perdant dies, ut illis ad breve temporis spatium aures adhibentis; qui illos tantum ad loquendum admittitis, postquam illis nobilem, ac divitem præstitistis. Sanctus hic Rex nullam habet personarum acceptionem; sola veritas apud ipsum locum habet, secundum hanc litem dijudicat. Quoties ille ipse populi sui causas cognovit sedens ad quercus umbram, subdolas litigantium artes a necessariis judiciorum formulis secernens, & veritatem a calumnia dignoscens, æque fere voti compotes dimittens, & illum qui judicio victus, & illum qui victor discedebant; quoniam utrique persuasum erat Deum supremum mortalium omnium Judicem per os Regis Sancti, communis utriusque parentis fuisse locutum. Ejusdem intentionis, sed potentior, quam Job, nonne, ut ille, liberavit pauperem qui clamabat, & pupillum, cui non erat adjutor, ut de divitis illos opprimentis manu surriperet, replens consolatione cor viduæ, & illius, qui jamjam interiturus erat, eum benedictionibus cumulans? Nonne fuit, ut ille, oculus cæco, pes claudo, exculpens publicanorum, fœneratorum, tabellionum, malorumque Judicum fucibus prædam. *Auctores diversi.*

Sa idem argumentum. Quodnam est gloriosius Regum, & Judicum terræ munus? Hoc sane est populis jus dicere. Quinam est thronus magnificentior? tribunal, de quo jus dicunt. Quodnam est S. Ludovici Tribunal? cespes in quo sedet subditorum suorum querimonias auditurus, ubi, quin ab aliquo præveniatur, brevi dirimit lites, quæ vix ante Judicum majora subsellia intra plures annos dirimerentur. Satellites quibus stipatus est, quin semoveant supplices, libellos suos oblaturos, immo illis aditum præbent, ut singuli ex ordine accedant; atque ut quis ab hoc populi parente æquis auribus excipiatur, satis est, si opprimatur ab aliquo. In sancta hac occupatione transigebat tempus remissionis animi sui; tempus, quo Rex throni majestate semota cum subditis suis familiariter, tanquam cum filiis Pater versari consueverat: tempus, quo catervatim glomerabatur multitudo populi, qui illum cum admiratione audiebat, & quem ille sine animi emotione, sine æquivocis, sine mora, sine tribunali, & sine consilio judicabat. At hujus egebatne? quandoquidem inter sapientissimos Regni sui Magistratus, quos ipse elegerat, ille unus aliquando discrepabat. *Sermo Manuscriptus.*

Zelus justitiæ eousque progrediebatur, ut propriam sacrificaret utilitatem cum æquissime illam tueri poterat.

Zelus, quo Sanctus hic Monarcha justitiam persequebatur, adeo rectus erat, ut de juribus suis coarctandis, potiusquam proferendis esset sollicitus. Sanctus hic zelus centies illum impulit, ut Judices constitueret qui litem inter se, & populum dirimerent. Nonne contra propriam utilitatem pro adversario suo peroravit, & veneratus est justitiæ vestigia in lacero Comitis Campaniæ Normanniæ titulo, quem universum Galliæ consilium æqui bonique faciendum esse negabat? Volumne enquam Episcoporum Regni sui amplecti sententiam de publicatione bonorum eorum, qui anathemate percussi fuerant, ut inde ei suppeteret, unde in eleemosynas erogaret, nequaquam ratus Deo jucundum esse posse, si miseri exuerentur, ut vestibus eorum induerentur adversa fortuna jactati? Qua cura sarciebat damnum, quod exercitus sui in transitu suo urbibus agrisque inferebant? Præsul, & Quæstor illos subsequebantur, ut fieret reparatio, quæ ut plurimum populorum querimonium præcedebat. Longe alius a filiis Samuelis, non excitabat populi murmur, & querelam per avaritiam; immo vero inimicorum etiam suorum admirationem sibi rectitudine, & æquitate conciliabat. Vos non latet proculdubio, extrema adactum necessitate, ubi e carceris squalore evasit, omnem impendisse curam ut Saracenis ipsis ingentem persolveret auri vim, qua Præfecti sui infideles illos fraudaverant in ea solutione pecuniæ, de qua inter illos & Sanctum Regem convenerat. O admirabilem cordis rectitudinem! O inviolabilem fidem! Quam rara es in hoc sæculo, qui fidelissimi sunt satis esse putant, si ipsi non fallant, quin sæpius religioni sibi vertant, si ex dolo fructum perciplant. *Auctor recens.*

Justitiam erga hostes coluit.

Idem argumentum. Sanctus Rex amore singulari prosequebatur justitiam, & admirabilem conscientiæ religionem. Hæc justitia, quæ generatim virtus est omnium Christianorum, & quæ Regum præcipue esse deberet, singulariter fuit verus Sancti Ludovici character. Nostis, cum nosmet alienis immiscemus negotiis, quorum arbitri sumus electi, nobismet religioni, immo etiam voluptati vertendum esse, integerrime, ac æquissime judicare; sed perraro accidit, ut similiter affecti simus, cum de juribus nostris, propriisque commodis agitur. Rationes, colores, verisimilitudines, omnia conserunt, ut nobismet litem adjudicemus, & amor proprius, qui nos quocunque subsequitur, his in occasionibus semper nobis blanditur. Verum si præter illud studium, quo semper causam nostram præ aliena meliorem exhibere cotimur, alii suffragatores accedant; multo magis raro usuvenit, ut ipsi contra nos sententiam feramus non solum contra nostra præjudicia, nostramque utilitatem, sed etiam contra aliorum consilia, & rationes. Hoc tamen præstitit S. Ludovicus in gratiam Provinciarum Normannicæ Campaniæ, Comitatus Atrebatensis, & Flandriæ. Fecit tamen in causa æquivoca, ubi attrita Chirographa, & derosi, & fere obliterati Codices erant spes universa Comitis Normannicæ Campaniæ, qui illis innixus petitionum suarum jura confirmare satagebat. Se se in quibusdam tantum casibus justitiæ regulis subjicere, in aliis vero illarum perstringendarum facultatem sibi vindicare; justum esse in alienis negotiis, & injusta quærere temperamenta in illis, ubi res agitur nostra: tota cum diligentia, & ea, qua fieri potest cura, lites ad examen vocare, ubi quidquid decernatur nihil in Judicis cedat utilitatem, & nonnisi oscitanter, obiterque adversarum partium in personali contentione jura discutere; habere pondus, & pondus, hoc non est justitiam induere, S. Gregorius Pontifex inquit, sed illam abjicere. S. Ludovicus adeo abhorrebat ab hac iniquitate, ut cum de alienis ageretur negotiis, mallet potius sacrificare sua in partium adversarum gratiam, quam conscientiam suam vel minima injustitiæ labe fœdare. *Elogia Historica.*

Ejusdem argumenti. Quantumvis justum sit Principum jus, S. Ludovicus illud coarctare potius, quam ejusdem proferre fines studebat. Sæpe judices elegit, ut res suas in eorum manibus collocaret; & ne aspectu suo suffragiorum libertatem minuere videretur, ut plurimum incipiebat ille in Consilio sententiam propriæ causæ contrariam proponere. Nemo illi melius adulari poterat, quam si contra illum pro justitia in populi sui vel subditi alicujus favore stare professus esset. Immo ipse solus nonnunquam contra universum Concilium suum adversarii sui causam tutatus est, quod accidit in Comitis Trecensis negotio, a Rege sancto Comitatum Dammartini deposcentis. Tituli, quos proferebat Comes pessime facti erant. Signum confractum,

Digitized by Google

essentialia verba vel deleta, vel derosa. Omnia Consilii suffragia titulos hos nequaquam admittendos censebant; unus S. Ludovicus contra se ipsum tulit sententiam. Congregati omnes Regni Antistites auctores illi fuerunt, ut publicaret bona eorum, qui a fidelium communione discesserant, ut ea in eleemosynas impenderet, & in varia Charitatis opera, quæ aggressus erat. Quid aptius esse aut fingi poterat, ad Principem hunc tanta charitate refertum permovendum! Qui hæc pœna erant plectendi, homines erant, quibus Ecclesiasticæ censuræ turpitudinis notam incusserant. Qui hujus erant Auctores Consilii, Regni sui Præsules erant: quid validius, ad omnem religionem auferendam? Tamen neque illius erga pauperes amor, neque suum erga Episcopos obsequium illum in hanc mentem impellere potuerunt, sed anathemate perculsis spatium reliquit sese excusandi, & Ecclesiasticis locum præbere noluit auctoritate sua abutendi, quæcunque causa prætexeretur. *P. Cheminais.*

Religiosus S. Ludovici zelus pro justitia.

Pro totius terrarum Orbis imperio noluisset S. Ludovicus violare vel minimam justitiæ particulam eo usque, ut quodam die in Consilio suo deliberaverit, utrum Anglis cedenda esset pulcherrima, & uberrima Regni sui Provincia, metuens, ne Reges decessores, qui illam fuerant adepti, non usi fuissent eo jure, quod ipse inquirebat in bellis a se suscipiendis. In justitiæ hujus administratione, non satis erat illi integerrimos judices, & omnium judiciorum, quæ ferebantur, sedulo rationem exquirere; sed ipse ille, quin aliis rem hanc vellet committere, judicem se constituebat in pauperum causis, veritus ne non statim absolverentur; & narrant historici, neminem unquam cum Rege conquestum fuisse de acceptis injuriis, vel de potentiorum oppressione, quin hic illi statim in arena jus diceret; nonnunquam in conclave suum dissentientes partes admittens, ut per otium utrarumque rationes cognosceret, easque decretorio judicio dirimeret: & quasi natus non esset nisi ad subditorum suorum commodum & tranquillitatem, efficiebat, ut sua etiam solatia, & quietis horæ aliquid publicæ tranquillitati conferrent. Cum enim ad Vincennarum nemus se conferebat, populum certiorem fieri volebat, & illi, quibus lis erat, illuc proficiscebantur, ibique cespitæ in tribunal erecto, cum veteres ad sortes recipiendas in lucos pergerent, ibi S. Regis excipiebantur Oracula, qui adversarios interrogabat, probationes ac testes ad examen vocabat, & ferebat sententias quæ æque justæ habebantur, ac si fuissent de cælo dilapsæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Omnibus se illum præbebat facilem.

Sanctus hic Rex tantus erat æquitatis zelator, ut omnibus indiscriminatim ad eum pateret accessus, sive divites essent, seu pauperes, nobiles, vel plebeji? Paratus erat semper ad miserorum querimonias excipiendas; nullum unquam ab illis oblatum libellum supplicem rejecit; & quantumvis essent miseri, qui ad illum confugiebant, nunquam illis aures non adhibuit, etiam in agris, & cum maxime quietis indigeret, Illis totum quod petebant, tempus largiebatur. Imprudentiæ atque temeritatis esse dicebat aliquot solum momenta præscribere elucidationi negotii alicujus, cujus plerumque magnitudo ignorabatur; præsertim vero cum patientia justitiæ pars sit, & præstet pati, quod miseri dicant inutilia, quam prohibere, ne dicant necessaria. Minimas res etiam eadem cura excutiebat, qua gravissimas, ratus justitiam, quæ ubique tota est, nihil non magnum esse in iis, quæ ad illam pertinent. Ita ille dies integros traducebat in exhauriendis causis miserorum, qui ad illius ædes tanquam ad justitiæ templum confluebant. Hanc illis exercere quibusque voluptatibus præferebat, immo etiam aliquando necessitati sese cibo reficiendi. *Christiani Sermones.*

S. Ludovici zelus pro justitia effecit ut ab externis hostium suorum armis liberaretur.

Zelus justitiæ Regis nostri, non solum amorem, & existimationem propriorum subditorum, verum etiam alienigenarum sibi conciliaverat. Erat ille in mundo Christiano mediator, & conciliator litium omnium, quæ inter coronata capita oboriebantur; qui honor secundum S. Pauli regulam, ab eo neque quærebatur, neque vindicabatur, sed libero finitimorum Principum consensu illi deferebatur. At hujus consensionis quænam erat causa? celebritas probitatis, æquitatis, & incorruptibilis integritatis, ita ut omnes ad illum tanquam supremum Arbitrum confugerent, cujus judicia tanquam Oracula, ac definitivæ sententiæ habebantur. Profecto Pontifex, & Imperator Fridericus in reciproca jura contentiones habent, quibus diffident? Ab utroque S. Ludovicus eligitur Judex futurus. Henricus Angliæ Rex adversus subditos suos iratus, jamjam indignationem, ultionemque suam exerciturus est? Illum placat S. Ludovicus, bonisque officiis suis prohibet civile bellum, quod Angliæ impendebat. Inter Britanniæ ducem Navarræque Regem internicioſa oritur inimicitia? S. Ludovicus illos per conjugium componit, atque conciliat. Alius quilibet, quam Sanctus Rex, quin se se his immiscerent negotiis ad finem illis immittendum, ea fovere non dubitasset, ut inde proficeret; quod etiam Consilii Ministri Ludovico sitadebant; sed pius Rex habebat intra se consilium secretum, conscientiam suam, quam in omnibus consulebat, vel ad quam cætera quæque consilia referebat. Consilium politicum, consilium bellicum, consilium Ærarii; hæc audiebat omnia, sed illorum monita ad interius hoc referebat consilium, ubi solus cum Deo deliberabat, & ubi solus cum Deo de rebus omnibus statuebat.

Idem argumentum aliter.

Sanctus Rex extremo justitiæ suæ zelo pacem in Regno suo constituebat; verum etiam sibi gloriæ vertebat cum finitimis Principibus perfectam servare concordiam; in quibus simulac aliquam simultatis causam deprehendebat, nihil inausum relinquebat, non laboribus, non curis, neque pecuniis parcebat, ut inter illos gratiam sarciret. Pontifex, & Cæsar duo erant irreconciliabiles inimici; quæ ille non iniit consilia, ut eorum animos conciliaret? Quot labores non sustinuit, ut duas inter has irritatas potestates æquam semper lancem teneret? Si ille Summo Pontifici tutum perfugium concedit, quis non crederet, S. Ludovicum palam se Friderico inimicum profiteri? Verum simul per celeberrimam generositatem cujus non extat exemplum, Imperium pro se, & pro Atrebatensi Comite fratre suo recusat. Potestne Fridericus non admirari facinus adeo generosum? & callidior politica aptius excogitare consilium potest, ut sibi utramque partem neutra læsa conciliet? Princeps Edmondus Eduardi Regis Angliæ filius, & Carolus Andegavensis S. Ludovici Frater uterque ad Siciliæ Regnum aspirant. Periculum est, ut Anglia hac de causa bello civili se immiscear inter Regem, & populos ejus filium sustinentes. Sancti Regis Consiliariis hi tumultus arrident, Regemque hortantur, ut inde fructum velit percipere. At quid pius Monarcha respondet? Hæc ratio, Inquit, non bene consentit cum Jesu Christi præceptis dicentis, Beatos esse pacificos. *P. Cheminais.*

S. Ludovicus cur justitiæ erga alios servandæ sibi æquitatem servari sibi æquitatem vetabat.

S. Ludovicus a se nequissimum crimen patratum fuisse arbitraretur, si quid vel minimum domi suæ haberet alienum: noverat tamen suum vicissim repetere jus, cum aliquid sibi vel a subditis, vel ab alienis deberetur. Ita Rex Angliæ, qui meditabatur aliquot sibi vindicare provincias ad Galliæ Coronam pertinentes, & qui Gallorum defectiones armis, præsidiisque juvabat, a Sancto Rege fugam capessere coactus est, qua die ad Talleburgum pugnatum est, quod prælium tanquam specimen eximium virtutis bellicæ Regis nostri, in illum omnium externarum nationum oculos, & admirationem convertit. Quæsivit Germania fœdus illius, & Fridericus Imperator coram illum adiit de hoc fœdere cum ipso verba facturus. Italia ex eo petiit Ducem Andegavensem fratrem suum, qui Neapolis, Siciliæque thronum repleret; & pro alio ejusdem Fratre Roma illi obtulit Imperium. Denique Europa tota illum respexit tanquam sæculi sui Heroem, & invidere videbatur Galliæ felicitati; quæ summa, ac lætissima pace perfruebatur propter tanti Regis curam, atque sapientiam. *Sermo Manuscriptus.*

Sicut cum aliis strictæ justitiæ servabat, ita sibi quoque reddi volebat.

Sancti Regis nostri zelus non minus in eo positus erat, ut in Regno suo bonus servaretur ordo, & ut omnes illi obedirent, eumque observarent, amarentque, quam in eo, ut justitia, quam diligentissime servaretur. Nostis quo pacto Principes subditos suos ad debitæ submissionis officium revocaverit. Marchiæ Comes ausus fuerat jugum excutere; liquet, quo ejus audacia cesserit, & quanti illi steterit in prælio ad Talleburgum edito, cognoscere, quanta esset Sancti Ludovici virtus, & quantum ille posset. Armoricæ Britanniæ Dux alterius conjurationis caput extitit; non latet, quanti hoc illi steterit fœdus, & quomodo inutilis illi fuerit Anglorum fides, atque protectio contra Sancti Regis justitiam. Aula Romana novis quibusdam contentionibus aliqua ex parte labefactare conabatur Regni jura; non fugit quanto ardore Sanctus Ludovicus se gesserit, ut jus suum tueretur. In ejus historia non desunt authenticæ probationes. Cæterum quomodonam illi patrocinabatur non sine admirabili auctoritatis, & pietatis temperamento? Videlicet Coronæ suæ jura asserebat tanquam Rex, & tanquam Ecclesiæ filius primogenitus. Tanquam Rex cum auctoritate; tanquam Ecclesiæ filius cum spiritu religionis & pietatis; ostendens palam se quatenus Regem nullum in terris Superiorem agnoscere, & non nisi a Deo uno pendere; quamvis quatenus primogenitus Ecclesiæ filius semper præsto esset, ut Ecclesiam tanquam Matrem & audiret, & coleret. Nunquam Rex subditos habuit magis dociles, magisque dicto audientes: cur autem? Quia nullus Rex unquam in gradu eminentiori possedit virtutes omnes, quæ populorum reverentiam, timorem, amoremque conciliant. Verum est cælestium rerum, necnon Evangelicarum veritatum meditationem solas fuisse regiminis sui regulas; & si perpendimus, quomodo re adhuc integra Regni sui tumultus compescuit, quommodo callidiorum versutiam sefellit, quomodo potentiorum robur attrivit, quomodo bellum gessit, quin populo officeret, quomodo solium suum confirmavit, quin conscientiam suam læderet; quomodo omnium sibi timorem conciliavit, quin ulli esset detrimento, facile licebit arguere, politicam illius divinam potius fuisse, quam humanam. *Bourdaloue, & Neret.*

Zelus justitiæ effecit, ut venales magistratus antiquaret.

Sicut venalitas Magistratuum, quibus judicii ferendi facultas est omnium ferme in re publica malorum causa, pius Monarcha statuit omnino antiquandam consuetudinem hanc, per quam aditus in forum patebat inscitiæ, & malis gravissimis: hæc enim venalitas illos

Digitized by Google

illos introducebat in justitiæ Sanctuarium, quibus pios erat auri, argentique, & inde removebat eos, quibus meritum erat, sed opibus destitutum. Noluit Sanctissimus Rex ultra prosiare jus decidendi de bonis, & vita subditorum suorum. Ministrorum turba de judicandi jure invicem disceptantium prohibebat, ne jus diceretur; vel saltem erat in causa, ut lites in æternum producerentur. Sanctus Monarcha ad has moras auferendas, & has judicum contentiones pauperibus adeo noxias evertendas præcepit, ut unus tantum Judex de omnibus negotiis decideret; sed honorem hunc altissimæ virtuti voluit deferendum, & probitatem magis perspectam, & exploratam unicum esse titulum, per quem aliquis ad hunc honoris apicem eveheretur. Nihil tam vulgare, & commune erat, quam videre Judices divescentes, & immensa prædia acquirentes titulo Jurisdictionum suarum; qui postmodum fiebant tyranni, & nonnisi illis, qui sibi erant acceptissimi, jus dicebant. Sanctus Rex, ut horribilem hanc æquitatis inversionem prohiberet, edixit, ne infelices hi Judices novis acquisitionibus locupletarentur, alioquin honoribus omnibus exuendi.

Quo S. Ludovici regni sui fines ad imperii sui regimen.

Sancti Ludovici curæ non morabantur in eo, ut justitia vicissim redderetur; ejus Sapientia sese extendit ad Regnum diversis sanctionibus formandum, quas ille sapienti hac prævidentia constituit in omnibus Provinciis, & quas in tota Gallia firmiter voluit servari. Ille primus aleam interdixit, tanquam præcipuam blasphemiarum, & juramentorum causam; ille primus usuram Edictis proscripsit; ille primus duellorum furorem compescuit; & infames declaravit publicos gladiatores, qui honoris apicem in turpissima actione constituunt. Ut verbo me expediam in hoc regno nullæ sanctiores sunt leges, quam quæ ab ipso irrogatæ fuerunt; nullæ magis piæ consuetudines, quam illæ, quas ipse invexit eo consilio, ut subditi sui tanta cum tranquillitate viverent, ut facilis esset conjectura, illum excitare voluisse alios Principes, ut & ipsi certatim subditos suos regerent, & hoc pacto in Europa tota pax diuturna vigeret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovico cuiregni sui finem sibi proposuit gloriam Dei.

Religio semper extitit causa, propter quam S. Ludovicus operatus est; & Dei gloria scopus fuit regni sui, cujus priores annos consecravit ad hæresim Albigensium exterminandam; quæ minoris ætatis ejusdem beneficio abusus videbatur, ut convalesceret. Sed Princeps hic, qui semper tanquam hostes suos Dei inimicos censuit; illos non destitit persequi, nisi antea illos penitus deleret; devicto Tholosano Comite, qui se hæresis illius Caput fuerat professus, eoque iterum in Ecclesiæ sinum redire coacto. Deinceps blasphemia, quam Sanctus quidam Pater hæresim linguæ nuncupat; quemadmodum hæresis est blasphemia cordis, fuit objectum zeli Principis hujus religiosi, qui ferrum & ignem adhibuit, efficiendo, ut blasphemis lingua & labia perforarentur candenti ferro; quin unquam ratio haberetur dignitatis eorum, qui de hoc scelere convicti erant; & quin se alicujus precibus, lacrymisque flecti permitteret, respondens illis, qui de tanta severitate conquerebantur, se quoque libenter hanc subiturum pœnam; cum per violentum hoc remedium certus esset se curaturum malum adeo periculosum, & blasphemias e regno suo proscripturum. Possumne hoc in loco quærere, ubinam sit zelus magistratuum, qui licet Regum personam repræsentent, non secus ac Reges Dei, privata consilia Religioni censent anteferenda? Pro Regis utilitate fortasse zelo succensi sunt, & ne minimum quidem paterentur verbum, quod illius honori adversaretur. Neque diffiteri eos esse improbandos: sed ubi sunt Magistratus, qui tantumdem habent zeli pro gloria Dei? Quot illi sunt qui sæpe blasphemias audiunt, qui legum auctoritatem adhibeant? Tamen illis persuasum esse debet, Regno nihil utilius esse, quam si Deo ante cætera fideliter deservitur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem argumentum aliter.

Nihil magis videtur divinæ gloriæ oppositum, quam blasphemia, & Judaismus; hic negat divinitatem Filii Dei, illa sexcentis illum obruit contumeliis: quæ res pium impulit Monarcham, ut duplici huic impietati totam suam auctoritatem opponeret. Judæi potentes erant in Gallia; magnæ eorum opes illis auctoritatem conciliabant. S. Ludovicus impietatem eorum dumtaxat cogitabat, eamque ferre non potuit. Illos extra Regni sui fines exterminavit, & noluit, subditas sibi civitates, & agros perfugium esse Jesu Christi, & Christiani nominis inimicis. Blasphemia, detestabile crimen illud, quod Sapiens nominare non ausus, orat solum, ne uspiam in Domo Jacob inveniatur: Blasphemia, quam Sancti Augustinus, & Basilius contumeliam Deo factam, & maledictum in eum prolatum appellant: crimen hoc, quo contemnitur illud nomen adorabile, coram quo vult Deus, ut omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; hoc, inquam, crimen hominibus usitatissimum erat. S. Ludovicus ex terribilibus supplicüs, quibus animadverterat Deus in Sennacherib, Holophernem, Antiochum, Nicanorem, aliosque plurimos, intelligens quanto odio divina Majestas blasphemiam prosequeretur, teterrima proposuit in blasphemos edicta; eos severissimis pœnis affecit, quotiescunque hac in re oratus fuit, ut parceret, se inexorabilem præbuit, & professus est, se malle linguam perforatam habere, quam ulterius pati, ut in regno suo sanctum Dei Nomen polluëretur. *Auctor recens.*

Si pius Monarcha pati nequit scelus impune, ita pati nequit merum, ac virtutem vacuum præmiis, & remunerationibus, quæ illi debentur. Quamlibet peculiarem virtutem remuneratus est; quo enim tempore, aut loco illi non favit? Ævo illius contemnebatur, ut hodierna etiam die contemnitur; pietas prodire non audebat; obscura, & ignota latebat; Sanctus Rex illam in lucem adducit. Scientia honore, & dignitate carebat; Sanctus Rex pios & eruditos ad honores provehit. Quo in pretio non habuit bene merentes? Quoties insignem Sorbonæ Institutorem, Sanctosque Thomam, & Bonaventuram laudibus cumulavit: quoties illos excepit convivio? Quoties illos primis subselliis decoravit? Quot viri virtute quidem præditi, sed obscuro loco nati, eo regnante, repente de pulvere ac sterquilinio ad eorum ordinem evolarunt, qui juxta ejus imperia populum regebant, hoc est ad præcipuas Regni dignitates, quin aliud haberent præsidium, & commendationem præter virtutum suarum fulgorem? *Auctor recens.*

Ut Rex bellum virtuti indicebat, ita virtuti præmium tribuebat.

Dum rerum potiretur pius hic Monarcha, virtutis, ac meriti fortuna, & conditio eadem erat, quæ nunc: pulvis, & nihilum centrum eorum esse videbatur. Ita virtus æque ac veritas in Principum aulis fere semper despecta fuit, & ignorata virtus sine honore prodire non audebat. S. Ludovicus e caligine, ac tenebris eduxit illam, & in honesto loco collocavit. Ut quis gratiæ illius particeps fieret, vitæ suæ, historicus inquit, titulus erat, esse virum probum. Quicunque illius ævo doctrinæ sanitate, & virtutum exemplis florebant, S. Thomas, S. Bonaventura, Robertus Sorbon, aliique præstantes ejus sæculi homines ad Regem liberum habebant aditum, & Rex illis qualibet in occasione benevolentiæ suæ non dubia præbebat argumenta. Qui latebat, & ignorabatur, sine genere, sine bonis, sine præsidio, sine nomine repente in apricum proferebatur, quoniam pius Rex sedula indagine merita singulorum cognoscere, & explorata habere cupiebat; nec defuere, qui inopinantes repente traducti fuerant ad primas togæ, & sagi, necnon Ecclesiæ dignitates. Factum utile rei publicæ, quæ hoc regnante nunquam caruit eximiis viris, quia erat ille præstantissimus Princeps. *P. Cheminais.*

Idem argumentum aliter.

Curæ fuit Regi nostro ut Aula bene morata esset, & ibi Deo serviretur.

Sanctus Rex, ut rite zelum exerceret, quem illi inspiraverat Deus, secundum Apostoli verba, incipiebat ab Aula sua, quæ tunc profecto appellari poterat, *Domus Dei*: *Ut incipiat judicium a domo Dei*. Videlicet per intervalla juridicas fieri jubebat inquisitiones de vita, & moribus aulicorum, & si quos nanciscebatur æquo licentiores, vel cujus motes suspicione vacui non essent, & nonnullos libidinum labe fœdatos, licet alioquin præclaris meritis insignes, nisi vitæ rationem immutare voluissent, eos procul removebat a lateribus suis, & ab aulæ aditu prohibebat; cum persuasum esset illi, se non posse, neque debere quidquam eorum fidei committere, qui per scelera sua Evangelii jugum excussérant, & Deo terga verterant; quandoquidem versabatur semper in corde illius magnum illud Davidis effatum; ubi de aulicis suis agebatur: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Nemo illorum, qui contemnunt Deum, habitabit domi meæ, neque mihi serviet nisi qui Deo subjectus in recta, & pura via ambulabit. *Ambulans in via immaculatâ, hic mihi ministrabat.* Ita pius Monarcha operæ pretium ratus est zelum suum pro Dei gloria domi suæ ostendere, antequam reformare inciperet res alias nocuas, & inutiles, quæ in Regno ipsius esse poterant.

Psal. 100.

Ibidem.

Mala, quæ grassabitur in Gallia ante S. Ludovici regnum quibus ille constituam arripuit medicinam.

Non audeo propter Nationis gloriam vobis tanquam in tabula exhibere vitiorum portenta, privata, & publica, quæ Galliam initio regni S. Ludovici dedecorabant. Non audeo exhibere vobis sæculum barbarum, quod non alias cognoscebat leges, quam vim, & violentiam; non aliam fortitudinem, nisi inhumanitatem; non aliam charitatem, nisi rapinas, & usuras; non aliam virtutem, nisi duellum, & non alia ferme Religionis argumenta, quam juramenta, & blasphemias. Sed cur dissimulanda sunt mala, quæ hominum nequitia confenescere passa est? Cur non sunt simul conferenda duo sæcula adeo similia propter eorum vitia, atque peccata, qualis sæculum Sancti Monarchæ, & præsens hoc nostrum? Generalis erat corruptio in omnibus hujus Regni ordinibus; tantum aberat, ut bonum fieret, & aliqua opera bona exercerentur, tantum aberat, ut malum fugeretur; ut palam vitia sua sibi quisque verteret gloriæ. Status Ecclesiasticus reformatione indigebat; nonnisi de recentibus beneficiis conquirendis, prædisque augendis homines erant solliciti; temporalibus tantum, perituisque rebus erant intenti, tantum aberat, quod Dei gloriam vellent procurare. Nobiles totam gloriam suam in ultione constituebant; mallentes suum cruorem effundere, ut unius voculæ vel in lævam partem detortæ, vel temere prolatæ pœnas sumerent, quam vitam suam pro Reipublicæ felicitate, vel Religionis incremento sacrificare. Tertius status libidinibus, sceleribusque manabat; & profecto opus fuit Rege æque pio ac Religioso, qualis S. Ludovicus erat, ut tot tantisque malis medicina adhiberetur. *Abbas Mongin in Academico Sermone suo de S. Ludovico.*

Digitized by Google

Sancti Regis zelus pro Ecclesiastica disciplina.

Quid inausum reliquit Sanctus hic Monarcha, ut in Regni sui clero Ecclesiasticam repararet disciplinam, & quo successu, ac cœlesti benedictione labores suos aggressus est? Unum ex gravibus Cleri scandalis admodum frequentibus ea tempestate erat Simonia; quam qua auctoritate stirpitus non evulsit per celeberrimam illam Constitutionem, vel Pragmaticam Sanctionem, quam servamus adhuc tanquam thesaurum, & quam inter pretiosas illius reliquias possumus recensere; quandoquidem hoc opus illius est, & unum ex sanctissimis monumentis, quæ nobis reliquit. Bonorum Ecclesiasticorum abusus erat, absit invidia verbo, abominatio desolationis in loco sancto. Qua prudentia, & vi non attulit illi medicinam, coacta Synodo Parisiensi, ubi in beneficiorum materia fieri jussit decreta, contra quæ non præscribere poterunt tempus, & consuetudo? Decreta, quæ si recitarem, confunderent laxitatem sæculi nostri, ut fortasse etiam assertam illius severitatem. Illud quod pertinet ad titulorum pluralitatem, quam Sanctus Ludovicus monstrum vocabat, nonne nobis ruborem injiceret? Gloriamur quidem de christiana severitate, ac diligentia in antiquis Canonibus servandis; sed hoc theorice; & Sanctus Ludovicus zelo suo illam redigebat in praxim. *P. Bourdaloue.*

Si S. Ludovicus ardeter quærit quæ Dei sunt, Deus quoque Regis incolumitati invigilat.

Eodem tempore, quo Sanctus hic, & sapiens Rex nihil spectabat nisi Dei gloriam, Deus vicissim invigilabat Regis incolumitati, quæ ipsi erat antiquissima. De hoc dici id potest quod de alio a S. Augustino dictum fuit: *Magnum spectaculum habere pro se Deum armatum.* Barbarus Princeps consilium inierat nefarium adversus Sanctum hunc Regem, & duobus sicariis mandaverat, ut illud exequerentur: sed cum hi iter jam fuissent ingressi, barbarus conscientiæ stimulis agitatus, nuntium misit, qui Regem funesti hujus consilii admoneret, qua re mortem effugit. Fridericus Imperator insidiis illum excipere vult, ejusque persona potiri studet in loco, qui ad colloquendum fuerat conductus; sed Deus Ludovico mentem injicit, ut sibi caveat: *Magnum spectaculum habere pro se Deum armatum.* Histrio quidam Regis pietatem studet in jocum traducere, collum contorquens ad illum imitandum; sed a Deo statim in arena pereutitur, & ille obstipo in reliquum vitæ spatium collo permansit. Cum esset in mari de primo itinere suo redux, & navis, qua vehebatur dehiscens subsideret, actum erat de vita illius, nisi singularis Dei protectio adfuisset, quæ illum in funesto hoc eventu magis intrepidum reddidit, quam priscum illum terrarum domitorem, qui præsumebat fore ut fluctus, ac procellæ fortunam suam verercntur. Adeo verum est veram sapientiam esse agere semper propter Deum, ejusque lumina sequi, si in gravissimis vitæ periculis illum adjutorem experiri velimus: *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

A Rex non jemittit injurias Deo factas; factas autem sibi facile condonat.

Si Sanctus hic Rex Domini legem generatim in omnibus ejusdem partibus adimplere conatur; si fidelis est, ut Deum oret, & colat cum zelo, ac fervore sive publice, sive privatim; non minus solers est in exequendis illis, quæ sunt difficillima, & a quibus magis repugnat natura. Severus, & inexorabilis cum de Dei agitur gloria, facilem se præbet in iis, quibus ipse afficitur, contumeliis; immo remunerari videtur illos, qui vitæ suæ struunt insidias, cum illi persuasum sit, Deum sibi reservasse jus ultionis; & illum pœnas sumpturum de eo, qui cupit ulcisci. Nunquam cor illius in iram pronum fuit. Ex corde pepercit Principi barbaro, qui mortem illi moliebatur, & binos satellites ad funestum hunc finem missos muneribus cumulat. Mittit etiam Evangelicos operarios ad Principis hujus conversionem procurandam, eique ostendendum ingens illud discrimen; quod intercedit inter Religionem, quæ profitetur persequi proximum suum, & illam, quæ jubet parcere inimicis. Profecto magnus iste Rex tunc ostendit magnitudinem, atque præstantiam animæ suæ; quid enim difficilius est, quam parcere, & quam sibi vim infert natura, non solum, cum non ulciscitur, verum etiam cum benemeretur de illis, qui vitam auferre voluerunt. *Recens Auctor.*

S. Ludovicus de sumptibus domus & mensæ suæ aliquid subtrahit, in pauperum usus erogandi.

Sanctus Ludovicus adeo tenera benevolentia cos omnes complectebatur, qui aliqua premebantur necessitate, ut naturali magnificentiæ suæ omnes inutiles sumptus subtraheret, thesauris usus tantum in sublevandis miseriis, in reparandis malis, quæ sub ejus nomine facta fuissent, & in ædificandis per omnes Regni Provincias, Monasteriis, & Xenodochiis, quorum lapides ipsi licet sensu carentes illius liberalitates & eleemosynas enarrant. Fortasse vix capere poteritis, quomodonam Rex, qui nihil fieri a subditis suis exigebat, & qui non aliena bona in eleemosynas erogabat, in solis reditibus suis inveniret unde omnia hæc, & magnificas ædes extrueret, quæ illi æquissimo jure comparatum nomen parentis pauperum, non secus ac summo Regi nostro Ludovico XII. nomen patris populi? Mementote hoc facile fuisse Regi præsertim inimico luxus & pompæ, quæ non est omnino necessaria Majestati solii; Regi, qui pretiosis se exuit indumentis, licet dignitatem, & genus suum decentibus, cum ille nonnisi vulgatissimis, & quibus cives utuntur, indueretur; Regi, qui religioni sibi vertit, in se avarum esse, ut liberalior esset in alios; Regi tandem, qui tantum aberat, quod aliena usurparet loca, non secus ac plerosque Mundi Principes, ut etiam ædes suas in calamitosorum perfugium converteret. *Sermones Christiani.*

S. Ludovicus e regno suo inimos & scurras expellit.

Quid non aggressus est plus iste Monarcha pro communi bono status sui, pro Dei gloria, & pro Religione? Quoties periculo objecit vitam suam, eo quod se licentiæ inimicum palam professus est? Ut expelleret histriones, & scurras, publicas pestes, & ex Regno suo exterminaret perditos homines, qui alios exhilarantes occidunt; & qui sub præclara specie aliis immittendi horrorem turpissimarum cupiditatum, illis virus propinant, omnes earum motus, artesque ad vivum exhibendo? Quot peccatores ex scelerum suorum abysso ope, & opera Sancti Regis hujus eruti non fuerunt? Quot mulieres pertæsæ nugarum amatoriarum, & vanitatum? Qui paulisper cum pio Rege conversati erant; melior inde revertebatur. Laxabat in his ardorem cupiditatis, accendebat in illis fervorem charitatis. Aliorum constantiam in adversis fovebat, aliorum fastum in prosperis moderabatur. Verbo, perfugium erat, ac præsidium omnium; omnibus omnia factus, ut omnes Jesu Christo lucrifaceret. *Sermones Christiani.*

Ædificat Xenodochia, Monasteria & hospitia pro omni genere miserorum.

Non loquor hoc in loco de Sancti hujus Regis charitate erga pauperes, neque de zelo quo eorum miseriis opem ferre studebat. Xenodochia, quæ nobis supersunt, superba ædificia, quæ extruxit pro omni calamitosorum genere, pro omnibus morbis, pro orphanis, pro viduis, pro insipientibus, pro cæcis, pro virginibus, quarum pudor periclitatur, & pro peccatricibus ad bonam frugem conversis, quibus Gallia universa redundat, ejus eleemosynæ, quæ vigent, & quas Ecclesia universa laudibus celebrare non desinet; eleemosynæ, inquam, si fas est ita loqui, quas charitatis ipsius magnificentia perennavit, & ex quibus adhuc pauperes vivunt: hæc omnia eloquentius, quam ego valeam, S. Ludovici eximiam prædicant charitatem. Mihi satis est dicere tenerum hunc amorem erga pauperes, rem esse, in qua S. Ludovicus, eo quod nimius zelo suo velificatus est apologia quadam indigere videatur. Pius hic Monarcha cum S. Bernardo judicabat, hujus terræ Principem pudore nequaquam suffundi debere, si in medio pauperum videretur; quandoquidem omnis illius ambitio esse deberet, regnandi aliquando cum illis. Verum est, ipsum illos non sine quodam excessu dilexisse. Illos in ædibus suis recipiebat hospitio, convivas adhibebat; illis propriis manibus ministrabat, pedes eorum elubat, ulcera eorum attrectabat; quæ omnia in oculis mundi parum decere conditionem illius videbantur: sed erat illi persuasum, si hoc nimis esset Regi Ethnico, nimis esse parum Christiano Regi, a quo non amandi solum, verum etiam in honore habendi sunt pauperes illi, quippe qui sunt imagines Filii Dei. *P. Bourdaloue.*

Ejusdem argumenti.

Ubinam magnus hic Rex non reliquit insignia magnificæ, & regiæ suæ pietatis monumenta? Habebat in manibus suis, & multo magis in corde inexhaustum charitatis fontem, qui omnibus sufficiebat, & omnia ad finem perducebat. Nunquid ædificanda erant Templa, & Asceteria pro animabus Sanctis, quæ benedictionibus suis reparant improborum maledictionem, & peccatorum impietatem? Extruendæne erant domus, quo secederent viduæ, orphani, & cæci? Instruendane erant Xenodochia ad peregrinos excipiendos, & ægrotis opem ferendam? Novit ille omnibus prospicere necessitatibus, omnesque terere miserias, & ipse unus fecit, quod plures Reges simul facere non valuerunt. In hoc suos impendit reditus. Neque ideo publica auxit onera; neque quidquam injuste operatus est, ut haberet, unde suæ charitati materiam suppeteret. Aluit pauperes, & miseros, sed nullos fecit; largitates illius nullum populo detrimentum attulerunt, & in eleemosynas erogabat ea, quæ voluptatibus suis subtrahebat. Apage illos pseudomisericordes, qui utraque manu arripientes, & per intervalla partem aliquam rapinæ suæ pauperibus distribuentes, credunt peccata sua peccatis delere, & sacrificare Deo ea, quibus homines fraudarunt. Apage hos divites mundi, qui per fundationes, quibus non alius est fundus, quam rapinæ, suæ posteritati volunt imponere, & homines ad credendum impellere, superbam ipsorum avaritiam piam esse liberalitatem. *Flechier.*

Ejusdem argumenti.

Sanctus Rex noster adeo tenera dilectione omne calamitosorum genus prosequebatur, ut ejus eleemosynæ ad profusionem usque percrebrescerent. Paucæ sunt in hoc Regno Provinciæ, quas non repleverit ædificiis ad miserorum subsidium extructis, Sed illius prædilectiones ex eo non erant genere, quod zelum ad quasdam duntaxat personas contractat, & ergas alias indurat. Quantum pauperum species illius charitatem fillere potuit? Leprosi, cæci, orphani, ægroti, viduæ, puellæ, mulieres antea ctæ nefarie vitæ pœnitentia ductæ universalem in illo parentem nactæ sunt qui singulis perfugium distribuit ita bene institutum, ut ad hanc usque diem perseveret. Illi, quos paupertas voluntaria rebus omnibus exuit, ut in Religione Jesum Christum sequerentur, eo digniores largitatibus suis videbantur, quo magis eorum necessitas merus erat pietatis effectus. Ordines S. Francisci, & S. Dominici, qui æque illi erant accepti, æque in partem charitatis illius acceperunt; eisque plures ædificavit domos in regno suo. Licet

ejus

Digitized by Google

ejus consuetæ eleemosynæ ad immodicas auri, argentique summas ascenderent; non deerant illi fundi, quos in eleemosynas præter ordinem, & consuetudinem erogaret; cumque illi diceretur, thesauros suos jamjam exhauriri, respondebat se in hac una re sumptus amare, & maximam voluptatem suam esse, largiri eleemosynam, neque melius ab ipso collocari posse pecunias, quæ erant in usum voluptatum suarum destinatæ. *Pater Cheminais.*

Sanctus Rex sibi in Cælo amicos facit magnis eleemosynis.

Sanctus Ludovicus omnes curas suas potissimum impendit, ut sibi in cælis amicos faceret per hæc, quæ vulgo sunt humanæ iniquitatis instrumenta, videlicet per divitias. Prævertit semper mala bonis mundi hujus inhærentia, sancto eorum usu; posuit illa in fœnore, eaque mutua dedit Domino per manus pauperum, & ex perituris bonis, quæ fures surripiunt, ædificavit sibi thesaurum in cælo immortalem, quem in tuto collocavit in incorruptibilibus Domini tabernaculis, ubi eleemosynæ illi certam faciunt sedem. Hoc in loco, fateor, periculum est, ne ministerii mei pondere victus eodem; eximiæ charitatis effectus Sancti hujus Regis undique se offerunt oculis meis; centum & viginti pauperes in ædibus Regis nutriti; Regiæ manus honoritæ magis membris Jesu Christi patientis, quam sceptro quod gerunt, & spoliis rebellium ac barbarorum; tot Xenodochia, Monasteria, Templa, æterna piæ liberalitatis hujus Monarchæ monumenta, suspensum tenerent animum meum; nisi mihi persuasum esset, cum minime dicere, valeam universa, zelum eorum, qui me audiunt, me excusaturum, si angusti fines sermonis unius me coegerunt ut hoc in elogio multa prætermitterem. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Ejusdem argumenti.

Mittere eleemosynas in Xenodochia; Provinciis, quas bellum & fames depopulatæ fuerant, opem ferre; quæ sibi supererant, pauperibus erogare; pii curiositate populorum miseriam investigare, ut illis opituletur; per alienas manus sua effundere beneficia; hæc vulgaris, communisque charitas appellari potest; sed se ipsum in Xenodochia conferre, propriis manibus pauperibus deservire; ipsum ægrotantibus ministrare, vulneratos attrectare, & ultima morientium suspiria colligere ibi, ubi nonnisi tabidus aer respiratur; hanc ego inauditam, & immoderatam charitatem appello. Parum fuit S. Ludovico pauperum necessitatem cognoscere, viduarum, ac pupillorum patronum se profiteri, illis asylos ædificare, illis suppeditare quæ necesse sunt, ne intereant fame; illos ægrotantes medicis commendare; curare, ut sacris se mysteriis reficiant; sumptibus providere, vel ad eos curandos, vel efferendos necessariis, hæc ex pii Regis hujus sententia communis fuit charitas, licet nil melius, vel utilius jure ab omnium Regum amantissimo valeat desiderari. At suum pietatem longius producere voluit, & invisere dignatus est hos pauperes, & ægrotos; & quin illorum perhorresceret vulnera, eos gestare iis manibus, quæ sceptrum ferebant, ac velut Samaritanus ille vinum, & oleum infundere, & in afflictas eorum animas dulcedines, cælestesque consolationes instillare, quæ nunquam gustantur melius, quam cum prodeunt ex corde, & manant ex ore illius Regis, qui cæteris magnitudine & sanctitate præstabat. Quamam verecundiæ causa vobis est hoc exemplum divites populi, vobis, inquam, qui publicæ calamitatis tempore, ne superfluis quidem privari vultis, quæ ad illos palam pertinent? Vobis, qui a publicis hisce flagellis immunes, quæ nonnisi eminus, & sensim in domos ruunt vestras, ignorare simulatis in mundo pauperes esse? vobis, qui perperam lætantes ob aliquod bonum jure acquisitum, arbitramini licere vobis illud in quemcunque usum impendere? Vobis tandem aliquando persuasum sit, quicunque estis, & quomodocunque bona vestra sint parta, æterna damnationis pœna proposita teneri, ut eadem cum pauperibus partiamini; obligationem hanc non charitatis esse tantum, sed justitiæ; cum omnino debeatis, pro bonorum vestrorum magnitudine majores, minoresque ex bonis vestris eleemosynas erogare. *Elegia Historica.*

S. Rex fecit ut Religio floreret in Gallia, & quomodo.

Magno huic Regi satis non fuit vitium, & impietatem e regno suo exterminare; sed fecit etiam, ut reflorescerent Religio replendo Galliam Templis, Monasteriis, Collegiis, & Xenodochiis; ita dicebatur, nullibi videri magnus, & magnificus, nisi in magnis eleemosynis; cumque a Ministris admoneretur de immodicis sumptibus, quos in tot piis operibus insumebat, ex illis quærebat quanam in re melius Regum pompa, & magnificentia posset impendi, nisi in Dei cultu. Quæ res tot cælestes benedictiones in magnum hoc regnum pertraxit, ut nullum unquam locupletius, florentius, beatiusque extiterit; & de Sancto hoc Rege dici potest, quod Scriptura de Salomone testatur: *Magnificavit Dominus Salomonem super omnem Israel, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum.*

S. Rex nec curis nec vitæ fuæ parcit, ut occurrat pesti & simultatibus regnum vastabant.

Ut peritus perspiciamus eor tenerum, & misericors eximii hujus Regis, hic nobis considerandus est in funestissima regni sui calamitate. Deus ut puniret peccata populi sui, vel ut Regis charitatem exerceret, permisit, ut fames & lues simul regnum depopularentur. Duplex ista calamitas effusa longe, lateque grassata est. Terra non protulit fructus; aer nonnisi improbos habuit influxus; his vita deficiebat, illos mors devorabatur: elementa simul conjurasse videbantur adversum homines, qui se ad perendi necessitatem redactos intuebantur, vel ob cæli iram, vel ob terræ sterilitatem. Tunc Sanctus Rex omnem suam charitatem expandit. Prodiga manu effudit thesauros quos tanta molestia congesserat. Se ipsum putavit tanquam Patremfamilias, cui salus & victus filiorum suorum commendata essent. Aliis ad victum necessaria suppeditavit, aliis consolationes addidit, ut bene morerentur. Æger fuit cum ægrotantibus; & licet anni tempora adversarentur, effecit curis suis, ut rerum copia germinaret. Non solum publicæ calamitatis solatium quæsivit, verum etiam subire voluit pœnitentiæ partem. Clam ploravit, se Deo obtulit sacrificium sub cinere & cilicio: *Ego qui peccavi . . .* dicebat cum David, *Vertatur, obsecro, manus tua in me. Flechier.* 2. Reg. 24.

Admirabilis S. Regis zelus pro Dei gloria, & Evangelii propagatione. Psal. 68.

Evangelii propagationem, & integritatem, ac unitatem fidei S. Ludovicus ardenti zelo quærebat. Hinc illius fervor pro Ecclesiastica disciplina, pro morum puritate, ac reformatione; hinc zelus domus Dei, qui comedebat illum, & propter quem omnes injurias, quibus Deus afficiebatur, contumelias sibi illatas putabat: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Zelus gloriæ Dei, qui innitebatur magno huic Religionis placito, quod alte illius animo insederat: quod nempe Regem esse, idem est ac ex officio esse Dei ministrum, & executorem in capite manditorum Dei. Dixi, zelum propagationis Evangelii; etenim nonne hic illum subjecit diuturnis, ac celeberrimis itineribus, quæ suscepit, ut nominis Christiani inimicis bellum inferret? Nunquid, ut id consilii caperet, aliam consuluit sapientiam ab ea, qua repleti fuerunt Apostoli, cum inierunt consilium in extremas usque terrarum plagas eundi, ut illuc fidei lucem afferrent; & cum Sanctus hic Rex sui oblites e regno suo egrediebatur maria traducturus, aliudne spectabat, quam Regni Jesu Christi incrementum? Qua cura & in Palæstina & in Ægypto ad Saracenorum conversionem incubuit? Quot illorum Deo lucratus est? Cum ad ipsum accedebant, ut Christianam fidem amplecterentur, quo gaudio recipiebat illos, favoribus cumulans, eisque sedem, fortunasque in suo regno promittens? dicebat enim: hi totidem servi sunt, quos Jesu Christo Regi subjicio. Rex similis Magno huic Sancto nonne Apostolus erat in statu suo? Et nonne fidenter cum S. Paulo dicere poterat se nulla in re maximo cuilibet Apostolorum minorem esse? *P. Bourdaloue.*

Generosum consilium bellum infidelibus inferendi.

Præcipua pii hujus Monarchæ cupiditas erat bellum inferendi Religionis hostibus. Non cupiebat quidem Fidelium cruorem effundere; sed pati non poterat æquo animo, se in florenti regno læta pace fruente loca Domini passione consecrata ab inimicis Sancti ejusdem nominis pollui. Nescio quid sæculo nostro adeo perverso videbitur de opere hoc adeo Sancto; sed portenti loco esset, si in Christianæ Religionis sinu minus gloriosum esset Chrilliano Principi bellum Jesu Christi inimicis inferre, quam gloriosum est in Mahumedis secta Ottomanis principibus nomen Christianum humiliare, & cum voluptate exterminare eos omnes, qui Christianam Religionem profitentur, Christianos vero minorem Religionis suæ zelum habere, quam suæ Mahumedis cultores. Certum est tamen si S. Ludovicus simile facinus pro victoria profana ausus fuisset, hunc tanquam Alexandrum alterum habendum fuisse; verum cum illud bellum esset Religionis causa susceptum, pro nihilo habenda erit urbs Ægypti caput, expugnata ab exercitu, quem effudit e navibus in terram ob oculos inimici in aciem secus littoris oram compositi, contra quem ille prior se conjecit in aquam, ut invaderet in hostem sancta impatientia correptus, dextera gladium tenens, & clypeum læva petitus telorum, ac missilium grandine, quæ in illum undique contorquebantur. Nihili fient tria prælia in Palæstina pugnata, ubi insignia præbuit bellicæ virtutis specimina, ingentem Turcarum manum invadens ad Massuram, & in confertam hostium manum procedens liberaturus Comitem Andegavensem fratrem suum, qui in captivitatem abducebatur, & semetipsum expediens sua dexteritate, ac virtute ex manibus decem Turcarum alia in occasione ubi solus, & procul a suis fuerat deprehensus. *P. Cheminais.*

Ardor zeli pro gloria Dei efficit ut bellum inferat hostibus nominis Christiani.

Cum immisisset Deus in S. Ludovicum piam, strenuamque mentem opis ferendæ Christianis, qui Jerosolymæ sub infidelium tyrannide languebant oppressi, & ex illorum manibus extorquere locos nativitate, laboribus, & Salvatoris morte consecratos; hinc quidem libenter eos omnes arcesserem, qui fortitudinem, ac generosum animum jactant, ut virtutis hujus documenta a Sancto nostro perciperent, inde vero invitarem pios homines, ut se ad militis exemplum componerent; quoniam in hoc bello, juge videtur extitisse certamen inter illius constantiam & pietatem, ut liqueret, utra in corde illius principem locum obtineret. Pro vexillo Crucem extulit contra Infideles, ut omnes norunt, & validam ædificavit, ornavitque classem mare traducturus. Progreditur ad bellum pro defensione glorioßissimorum salutis nostræ Monumentorum, ut de Turcarum manu liberet sancta loca divino sanguine imbuta, atque ut vindicet in libertatem corpora eorum, quorum Salvator

animas redemit, atque ut prohibeat, ne a Mahumetanis Redemptoris sepulcrum, de more inquinetur. Quod consilium magnificentius, & Rege Christiano dignius! Sed quo animo tantum facinus adortus est? Relinquit regnum suum, sexcentos patitur labores, sexcentis se objicit periculis, & ne quid intentatum prætermittat, quandoquidem agitur de gloria Dei, cum tota regia domo, universo nobilitatis flore, omnibusque viribus regni sui navim conscendit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem argumenti alio terenuntiatum.

Quantumvis gloriosa essent bella a Sancto Ludovico in regno suo adversus rebelles subditos, & sectarios Deo rebelles bellata, zelus ejus majus, sanctiusque objectum quæsivit. Satis vicerat pro nominis sui gloria, & requie subditorum suorum: regnum illius erat tranquillum, & hostes subacti, sed proh dolor! Jesu Christi inimici illi subjecti non sunt. Infidelis, & alienigena illius possident hæreditatem; Sanctum illius sepulcrum, gloriosum theatrum, in quo de morte, atque inferis triumphavit, trophæum est impio; & felix illa tellus miraculis ejus sanctificata, & adhuc sanguine ejus imbuta ab omnibus Christianis Principibus opem, ac libertatem exquirit. Heu! licet S. Ludovicus victima futurus esset, ultor erit; vel potius uterque eris, o Ludovice. Ultor quidem eris nominis Christiani expeditionibus, victoriisque tuis; victima autem propter ærumnas. Superba Pelusii mœnia ruent quidem: Luna trophæum est Cruci Redemptoris. Pro Deo, cui servis, gloria triumphabis, sed ad gloriam tuam ipse vinceris. Honor causæ, quam sustines, postulat victorias, atque triumphos; sed Crux, quam geris, & similitudo, quæ tibi esse debet cum Salvatore tuo, poscit catenas: & victor de inimicis ejus, in horum incides captivitatem. *Abbas Mongin in Academico Sermone de S. Ludovico.*

Ejusdem argumenti.

Memoria vestra repetite nobile consilium, quod cepit pius iste Monarcha inferendi Infidelibus bellum, & efficiendi, ut iterum Crux, & Jesu Christi mysteria triumpharent in locis originis suæ, ubi eorum memoria penitus obsoleviſſe videbatur. Sua illum pietas urget, spes excitat, omnia instruit ad navigandum, discedit flagrans zelo gloriæ Salvatoris, & navem conscendit. Venti furentes illi favere videntur, atque cum Regis zelo conspirant. Mare consentiens præclaræ huic gloriæ, qua Sanctus Rex excitatus erat, demittit fluctus, & non sine quadam obsequii specie defert naves tota Christiana nobilitate repletas. Accedit classis ad superba Pelusii propugnacula, & ad urbis hujus, & viginti mille Barbarorum conspectum illam propugnantium. Cruce signatorum excitatur animus. Ludovicus ante illos sancta incensus impatientia progreditur, gladium dextera tenens, clypeumque sinistra; & ex navi exscandens per undas, telorumque grandinem terram assequitur. Hostis expavescit; Fidelis terra potitur, Cruces in mœnibus attolluntur: omnia cedunt; potitur urbe munitissima, & ad cætera viam sibi sternit. Hinc conjicite, quæso, utrum magnus hic Rex jure dicere posset, non secus ac antiquus ille Cæsar: veni, vidi, vici: sed fallor, dicendum potius erat, satis fuisse, ipsum venisse, & vicisse ut vinceret. *Flechier.*

§. Ludovici zelus, cum transfert trans maria ad filii hostes impugnandos.

Cur mihi non licet sequi magnum hunc Regem per ingentis hujus Oceani procellas, ac tempestates, in laboribus, & ærumnis, quas terra, marique patitur, ut videam quid possit Sanctus, & Rex secundum cor Dei, quid possit animus acer cum eminenti virtute conjunctus, & monarcha gloriæ Dei sui zelo succensus. Videremus animosam virtutem hanc in hoc theatrum prodeuntem sub omni aspectus varietate, quæ illam nobis ostendere potest gloriosiorem; modo inter milites armatam, modo inimicos divini nominis vi magna repellentem, modo cruentissimas victorias referentem. Asserere tamen possumus, hosce triumphos licet eximia gloriæ luce renidentes, funestissimos esse; quoniam velut palmarum, & laurearum pondere obrutum, urbium oppugnatione, & hostium cæde fatigatum, illum ipsum paulo post in vinculis, & carcere intueor, dubios nos relinquentem, utrum effecerit ut Salvator melius, & gloriosius regnaret, cum pro ejusdem gloria in aciem descendit, an cum propter illius amorem victus fuit: cum hostes delevit, an cum ab hostibus ipse deletus fuit. *Bivar.*

Causæ propter quas permisit Deus S. Ludovici captivitatem.

Si Omnipotentis consilia audemus scrutari propter gravissimas causas, easque nobis ignotas, permisit ille, ut S. Ludovicus in captivitatem abduceretur. Ut Christianos sanguinis, nominisque sui profanatores puniret, sancta reliquit loca, ubi maxima Religionis nostræ mysteria operatus est: sub potestate nationis cæcæ ignorantis illa. Reliquit illa ut periculum faceret fidei Regis nostri ea tribulatione, quæ conformis esset sublimi gradui sanctitatis, ad quem illum destinabat: oportet enim, ut quicunque serviunt illi, tententur. Reliquit denique illa, ut Religio per pietatis ejusdem S. Ludovici exempla nitidius, quam per armorum prosperitatem triumpharet. *Abbas du Jarry.*

S. Ludovicus in carcere eodem sensu tenet, quos in throno fovebat.

Sancti Regis captivitas nullum attulit gloriæ ipsius detrimentum. Carcer illius majorem nobis ostendit magnificentiam, & majestatem, quam Regum nullus in solio ostentavit. Semper humilis in celsitudine, videretur superbiam omnem in dies calamitatis suæ reservasse. Verum est, carcerem illius nebulæ instar esse quæ gloriæ ipsius caliginem veluti quamdam obtendit: Sed hanc introspiciamus, & illustrem videbimus captivum, qui suæ majestatis virtutumque fulgore carceris tenebras illustrat, Solis instar nubem, qua tegitur, illuminantis, cujus radii eo vividiores, ac fulgidiores sunt, quo magis in arctum coacti. Barbari obstupuerunt, cum rati de misero insultare, Regem, & Dominum invenere, a quo legem recipere cupiissent, parati ad solvenda ejus vincula, ut illum ad solium eveherent. Sed super illos regnare, etiam non in throno sciet; & in ipsis vinculis, & carceris squalore legem illis irrogabit. Agere volunt de redemptionis illius pretio respondet: Reges non redimi; ab illo Sacramentum petunt, quod in oculis ejus blasphemia videtur; & creditisne, inquit, impii, Regum majestatem cum eorum personis in vincula conjici? Putatisne fidem captivi Jesu Christi, non esse omnibus sermonibus vestris sacratiorem? *Abbas Mongin in Sermone Academico.*

Æque tranquillus est inter vincula, ac in Aula.

Sancti Regis majestas sibi reverentiam conciliavit, cum inter belli Sancti vices, in Barbarorum potestate positus leges imponebat illis, quorum captivus erat. Fingite vobis tumultuosam illam satellitum cohortem, qui cum impetu irruentes in Jesum Christum repente ad hujus pedes prosternuntur ad fulgorem radii unius prodeuntis ex terribili majestate Dei exercituum, qui in ore hominis Dei repente refulsit. Talis præter propter fuit hæc furentium tempestas, qui cæde Sultani sui irritati eorum furori sacrificati ferrum manu tenentes in S. Ludovici tabernaculum ingressi sunt; tunc enim perculsi velut ictu fulmineo incomparabilis Principis hujus majestatis, reveriti sunt eum, cujus sanguinem erant effusuri; omnem furorem suum in venerationem converterunt, & effecerunt ut horrendi parricidii consilio criminis horror succederet. *Abbas du Jarry.*

§. Ludovicus captivus comparatus cum S. Ludovico in solio.

Christiani exercitus clades, & S. Ludovici captiviras mihi profecto pulcherrimus vitæ ejusdem locus videtur. Rex iste mihi gloriosior in carcere videtur, quam in Aula; manus illæ catenis graves majorem apud me sibi venerationem conciliant, quam cum sceptrum gerebant; & pius iste Monarcha sibi comparatus majorem habet pompam in carcere, quam in solio. Nam licet æque fidelis sit Deo in prosperis, atque in adversis, non solum nihil virtutis amisit in posteriori hoc statu; sed e contra ejus virtus, generositas, pietas, nobiles illi sensus, quos a natura acceperat per regiam nativitatem, nitidius in illius calamitate, quam in fluentis fortunæ cursu, atque triumphis eluxerunt; & affirmare possumus, pium hunc Monarcham post acceptam cladem, & captivitatem factum fuisse magis admirabilem, quam in gloria sublimi. Adeo verum est, solidam virtutem, quin inter infortunia evanescat, in illis expiari, & multo majori in luce clarescere. *P. Senault.*

Cōsideratio in hunc Dei providentiæ erga S. Ludovicum.

Politici mundani ne hæreatis sententiæ amicorum Job justum hunc afflictum intuiti. Judas Machabæus, Simon, Jonathas adeo fideles servi Dei sui, duces adeo strenui, nequaquam meliorem exitum nacti sunt. Hic ordo est Providentiæ quem scrutari humanæ politicæ non licet. Secundum infirma judicia nostra S. Ludovicus merebatur, ut in gratiam ipsius instauraret Deus miracula, quæ olim operatus est pro Moyse, cui omnia parebant elementa; pro Constantino, cujus militibus crucis aspectus metum abstulit, pro Theodosio, pro quo ipsi etiam venti certabant. Pius Monarcha noster pro Dei gloria certabat, & nihilominus permisit Deus, ut exercitus illius cæderetur, & ille fieret eorum captivus, quos toties vicerat; sed iterum dico, volebat Deus, ut infideles admirarentur patientiam Job, & fidelitatem Abrahæ, in eadem persona, in qua venerati fuerant Salomonis sapientiam, & Mathatiæ fortitudinem formidaverant. Quam illustris mihi videtur Rex iste in carcere! ubi magis homines reverentur manus catenis onustas, quam regio sceptro renidentes. In throno felix est sine fastu, in carcere est infelix cum dignitate, Quin ullum doloris solatium petat inutili, abjectaque querimonia: spem omnem collocat in bonitate Domini ipsum affligentis: recordatur Abraham plurimis ærumnis tentatum fuisse, & per easdem meritum fuisse amorem Dei sui; sine superbia in rerum prosperitate, cum S. Paulo, de passionibus suis gloriatur. Nihil in carcere cohibere potest pietatis ejusdem cursum; erat apud infideles tanto cum fervore, quanto apud Sanctos Religiosos, quos crebro in societatem piarum exercitationum suarum vocabat. *Auctor Recens.*

Gloriosum est S. Ludovico in captivitate regiæ dignitatis majestatem ferre.

Verum est S. Ludovico inter gloriosos eventus perferendas fuisse calamitates; etenim in primo itinere incidit in captivitatem. Sed in calamitatibus suis jure mihi major, ac se ipso videtur superior. Neque enim miror, quod licet fortissimus in acie dimicans in hostium suorum manus inciderit; hæc enim maximorum ducum sors est. Quod autem in prælio captus suam captivitatem sustinuerit tanta cum dignitate; quod in carcere positus tanto in honore ab infidelibus habitus fuerit, ut illum in Regem suum vellent eligere; quod libertatem recipiens, simul omnem potestatem suam receperit, sicut ab illius historia didicimus; quod antequam Palæstinam relinqueret, restituerit, & ad hostium impetus propulsan-

Digitized by Google

pulsandos aptas reliquerit urbes, quibus potitus fuerat; quod in lectulo meo proximus Regem Tunetanum coegerit ad pacem redimendam iis conditionibus, quæ in tantam Galliæ gloriam cedebant; in quantam illius cesserant utilitatem: hoc vobis æque ac mihi stuporem posset injicere; nisi adderem, hos admirabiles fuisse effectus pietatis S. Ludovici, ejusque eminentis virtutis. *P. Bourdaloue.*

S. Rex in barbaris liberi captivus exigit reverentiam.

Quam sublimes Religionis conceptus S. Ludovicus reliquit in horum infidelium animo, quibus sua calamitas illum cognoscendum tradidit in singulis circumstantiis, quæ illam subsequutæ sunt? Quam admirabilis est hic Monarcha, cum ex omnibus Regiis manubiis haud ægre neglectis, ac desertis nihil aliud petit, quam Psalterium suum & in tanta calamitate non aliam inquirit, nisi in oratione consolationem? In hac terribili fortunæ inversione, quæ alium quemlibet abjecisset, assurgens super omnes humanas tribulationes exclamat: *Nemo est præter te, Domine Deus, qui ita magnus sis, ut merearis alios tibi servire tunc etiam cum tibi servientes afflictionibus obruis.* Quam admirabilis est Sanctus hic Rex, cum ad compescendum ex Barbaris unum qui furore plenus pugionem pectori illius admovebat, illum coacturus, ut ipsum equitem faceret, plenus enim zelo, ac imperterritus illi respondit: *fac te Christianum, & equitem te faciam.* Cum timens naufragium navis opibus onustæ, quam Reginæ Matris suæ Blancæ, & populi sui zelus coegerant pro optatissimi Regis redemptione, protulit effatum hoc memorabile, dignius Apostolo, quam Rege infortuniis agitato: *neque hæc jactura, neque alia qualibet me separabit a fide, quam Deo meo debeo.* Quid plura? Illi ipsi Barbari illum admirati sunt. Effecit, ut alii Religionem, quam profitebatur, revererentur, & illam amplecterentur alii, qui in pio hoc Monarcha videntes exempla patientiæ, generositatis, & adeo admirabilis submissionis, sibi persuaserunt, Religionem quam pius iste Rex profitebatur, proculdubio illam esse, quam omnes debebant amplecti. Et certe dicere possumus cladem, & captivitatem S. Ludovici magis contulisse ei consilio, cujus exitum retardare visa est; quam efficere potuissent frequentes triumphi; Et sicut arca Fœderis nunquam magis ostendit potestatem Dei Israel, quam cum incidit in Philistinorum potestatem, Sanctus Rex noster afflictus pro Jesu Christo hunc magis honorificavit captivus, quam de infidelibus victor. *E Specimine Panegyricorum.*

S. Ludovicus æque magnus est in captivitate, ac in solio.

Postquam incidit in manus infidelium, quænam, sententia vestra, prima fuit illius cogitatio, ubi se in Sultani ædibus vidit? Fulmineus ictus adeo terribilis ei stuporem non affert: poscit librum precum suarum adoraturus de more Deum, qui illum in hostium manus tradiderat. Illi omnia intentantur supplicia, nisi fecisset execrabile sacramentum, quod apostatæ a fide suggerebant. Verum sævissimis potius sese indignitatibus subjecit, quam deesse Deo, qui illi defuisse videbatur. Adeo magnus videtur in vinculis, ut quæsitum fuerit, utrum in Ægypti supremum magistratum esset eligendus. Subscribit iis omnibus, quæ exiguntur in redemptionem Principum regni sui, pro sua vero nihil dare vult, libertatem suam non ita pretiosam judicans, ut esset redimenda, vel se beatiorem existimans quatenus Jesu Christi captivum, quam si de solio imperaret: sententia Christiano Principe digna & quam S. Ludovicus alte adeo insculpserat in corde suo, ut reversus in Galliam jusserit excudi numismata cum epigraphe: *Vinctus pro Christo. P. Cheminais.*

Adoranda est Dei providentia erga S. hunc Regem in ejus infortuniis.

Hoc loco, adorabilis Dei Providentia, lumen deficit naturale! Mentem subjicere oportet edictis tuis, quæ æque justa sunt, ac mentibus nostris impenetrabilia. Videre Regem magnum, & Sanctum ad hæc extrema redactum cum jamjam Turcas videretur coacturus ad deditionem Jerosolymæ, & sancta loca de illorum tyrannide jamjam ablaturus! Sed credo potius cælum totum attentatum fuisse huic spectaculo, videndi sanctum Regem contra gravissimos fortunæ sequioris casus obniti, qui in exercitus sui clade, in unius ex fratribus suis morte, & aliorum charorum captivitate, in cæde principum aulæ suæ, & horrore mortis, quæ jugiter ob oculos ejus versabatur, & quam Barbari in singula momenta intentabant, eandem tuetur magnitudinem animi, eamdemque spiritus tranquillitatem, ita ut omnes animæ suæ vires colligens, quin vel metum, vel mœrorem ostendit, constanter respiciat funestissimum objectum, & fervide petat librum precum redditurus Deo tributum orationum suarum eodem oris habitu, quo si esset in Gallia medius inter aulicos suos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Fortitudo Regis hujus innitebatur magno Religionis fundamento.

Ex magni hujus Regis exemplo innotescit, virtutem magis, magisque confirmari cum Religionis principiis innititur? Hoc ipsis etiam hostibus admirationem immisit, qui illum eligere voluerunt in locum Principis sui, qui in prælio ceciderat. Hoc denique Deo dignum spectaculum est, quod videtur admirabilius sexaginta illis, quæ in illius canonizatione probata fuere. Sed ne pietatem ejus ab illius fortitudine separemus, cum non potuerit earum terrarum victoriam consequi, se earum Apostolum reddidit. Pace enim constituta, se in libertatem assertum videns cum reliquis exercitus sui, quinque annos in Syria permansit ad solatium Christianorum; ibique, quis numerando assequi potest, quot animas ad fidem converterit, vel in fide confirmaverit cum Regiis admonitionibus suis, cum exemplis? Redimit captivos, tetra lue infectis opitulatur, his ædificat Xenodochia, christianorum arces munit, ut eos ab omnibus Barbarorum insultibus tueatur. Denique sancta invisit loca, quorum intuitu magis magisque illius acuente virtutem redit in Galliam novos habiturus militum delectus ad bellum instaurandum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In nostro Sancto Rege omnia augusta sunt, omnia magna; sed magnitudo majori in luce in carcere, quam in solio coruscat. Agit de redimendis iis, quos idem casus captivitati subjecerat; de se autem non agit. Si se quatenus Regem considerat, credit caput Regis Galliarum nullo redimi posse pretio; sed semetipsum quatenus Christianum considerans, se beatiorem putat, quia dignus habitus est, qui captivitatis ignominiam pro Jesu Christi gloria patiatur. Hoc in statu tantam præsefert animi magnitudinem, ut illam victor ipse admirari teneatur, & confiteatur gloriam Godefridorum, Balduinorum, Philipporum, Ricardorum hujus gloria toto cælo esse inferiorem. Hi non sunt sensus hominis pseudo-magnanimi, sed Christiani Regis, qui nihil facere potest sua indignum majestate, aut Religione. Mors illi intentatur, si renuat facere juramentum, quod jubetur elicere. Sum, inquit ille, in manibus vestris; penes vos est vitæ meæ arbitrium, sed potius millies vitæ meæ jacturam patiar, quam injuriam inferam Domino, quem adoro, & cui servio. Generosi Eleazari spiritu animatus mavult gloriosam mortem subire, quam vita frui, quæ fieret infamis propter scelus, quod illi proponitur. Artes mundanæ! Execrabiles artes ad fallendam per æquivoca hominum simplicitatem. Magnus hic Rex vos perhorrescit; novit Christianorum sacramenta esse debere est, est, non, non; nec alia vult facere. Non vult salvam facere vitam suam simulationibus, quæ hominibus sunt familiares, cogitationem a verbo separare, & efficere, ut uno in sensu proferat lingua, quod in alio a corde intelligitur. Sancto Monarchæ nil tam videtur indignum, quam ad mentem dissimulandam abuti munere linguæ, quod ad illam aliis aperiendam nobis largitus est Deus. *Auctor Recens.*

S. Ludovici magnitudo in carcere major quam in solio.

Postquam S. Ludovicus in Asia omnes conatus exercuerit suos pro Dei gloria, & fidei propagatione, cum primum ingressus est iter; rursus in Africam contendit, quo Christianorum calamitas illum vocabat. Oblata illi spes Saracenorum convertendorum eum Regno Tuneti; oblivioni tradidit priores ærumnas, effecitque, ut iter arriperet tanto ardore, ut populorum illorum nuntiis responderet, se libenter redempturum conversionem Regis eorum, cujus spem illi faciebant, propriæ libertatis jactura; & hanc ob causam se reliquo vitæ suæ spatio sævissimam captivitatem perpessurum. Itaque non pericula, non itinerum difficultates, non terribiles inimicorum vires prohibere potuerunt, ne mare traduceret, ubi post Carthaginem captam, devictosque populos, qui fecerant, ut Romanum Imperium contremisceret; cum eum in fatum res esset adducta, ut in Tuneti mœnibus Crucis vexillum attolleretur, contagioso morbo implicitus fuit; & Deo satis fuit zelum illius conspexisse, quem maluit in cælis quam in terra remunerari. Hic moror cum Rege Sancto, potius ut illum in altissimo virtutis, consummatæque sanctitatis apice morientem intuear, quam ut de morte illius vobis verba faciam, cum videam mihi defutura verba pro argumenti dignitate satis significantia illius constantiam, pietatem, ac divinæ voluntati submissionem. Illum igitur considero in hostico sub tabernaculo stratum tetra lue tabescentem, ardenti æstuantem febri, & obitum suum præstolantem hilari, tutoque oris habitu, & Regio corde, quod non tunc solum in Dei manibus fuit, sed semper adhæsit, & conjunctum fuit eum Dei ipsius corde in perfecta voluntati ejusdem conformitate. Illum contemplor pacato animo exercitus, regnique sui negotiis consulentem; novissima Ecclesiæ Sacramenta ea pietate recipientem, quæ lacrymas elicit ex oculis eorum, qui fortitudinem ejus fuerant admirati; & tandem ultima verba, & novissima vitæ suæ momenta impendentem in admirabili ea lectione, quam filio, & successori suo reliquit; post quam oculos in cælum sustollens illuc mittit animam magnam simul victricem omnium deliciarum, & omnium mundi afflictionum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovicus recens aggreditur bellum in Africam licet Asiaticum adeo male cessisset.

Ejusdem argumenti.

Postquam magnus iste Rex reparata libertate postliminio in Galliam reversus est, donec se alteri præparat itineri profecturus in Africam ad Evangelium propagandum; nunquid se præparat Deus ad illum coronandum victoriis recentibus? an dicam potius recentibus calamitatibus? Cum Africa universa ad Sancti hujus Regis adventum trepidabat, dum Carthagine capta; Tunetanæ urbi imminebat; remoratur illum Deus, illum percutit, eique mortem præparat peccatoribus tantum reservatam. Pestifera lue perculsus, dolore confectus fuit videns exercitum suum tabe absumptum interire. Extollit ma-

Digitized by Google

lit manum in cælum divina veneratus judicia, quin illi aut querimoniæ, aut murmuris verbum elabatur. Quominus corrupti essent mores exercitus sui, non quæsivit in illis causam ærumnarum suarum. Nihil fortasse Sancti præter ipsum erat inter Crucis signatos, & nihilominus suis tantum criminibus acceptas retulit tot calamitates. Neque se satis punitum arbitratus est, si mortem subiret traditus severissimis divinæ justitiæ flagellis: voluit se morti proximum, & in agone positum in cinere poni, ut ibi in actuali christianæ pœnitentiæ exercitio moreretur. De hostium prosperitate conquestus non est. In speciem quidem destitutus a Deo, postquam ad ejus nutum arma susceperat, in mortis lectulo, ubi alius quilibet ab eo vix sese continuisset, ne in reverentialem quamdam querimoniæ speciem erumperet, eo quod jam severa ratione fuisset exceptus; quin id cogitaret, accersivit filium suum, & secutus cordis sui motus expirans præcipit illi; ut Deum diligat, ut huic uti Domino serviat, digno cui serviatur; ut regni potius, vitæque jacturam, quam divinæ gratiæ patiatur; obliviscitur status illius in quo est, animamque suam effundit in sensibus præstantissimis, ac tenerrimis amoris Dei: nihil exacerbare valet cor ejus; neque prohibere, ne Parentis illum percutientis manum revereatur. *P. Cheminais.*

§ Rex moriens dolet, quia efficere non potuit ut Salvator ea in barbara regione adoraretur.

In ea calamitate quæ accidit S. Ludovico in novissimo itinere, quod trans mare suscepit, unicum doloris argumentum invenit, in quo vix solamen aliquod admittere potuit. Illud autem non fuit molestus ille morbus, quo percussus fuit, neque proxima sibi mors, sed videre, se infelicem esse non posse, quin aliquid de gloria Dei imminueretur. Si cum exercitu suo moriens efficere potuisset, ut verus coleretur Deus, adoraretur Filius ejus Jesus Christus, & Crux triumpharet, ille voti sui compos fato fungebatur: sed ex humanis decedere, quin videret cultum Regis Regum apud Nationes omnes constitutum: obire in terra, in qua Jesu Christi nomen invocatum non est: videre Sancta loca avaritiæ, & impietati inimicorum nominis Christiani tradita, & assequi non posse, ut ubique terrarum regnaret ille, a quo ipse tantus Rex fuerat constitutus; hoc procul dubio fuit Principi religiosissimo maximum doloris incrementum, quod digne remunerari non potuit, nisi Dei ipsius magnificentia, pro cujus gloria totam vitam suam impenderat. *Idem.*

Salutaria monita, quæ S. Ludovicus Jamjam moriturus tradidit filio.

Magnus hic Princeps, quin reliquum vitæ spatium quærelis & doloribus tereret, qui vulgo humanæ vitæ finem faciunt, novissimi vitæ suæ momenta impendit erudiens filium suum, eique artem potius serviendi Deo, quam hominibus imperandi tradens. Commendat illi, quod David moriens Salomoni commendavit, ut Deo fidelis esset, ac Religioni. Verum sciens cor Regum esse in manibus Dei, adjurat hunc, ut ad majorem nominis ipsius gloriam hæredis sui cor, animumque disponat. Divinam orat misericordiam, ut pietas, quam illa in suo corde peperarat, migret in cor illius, quem in lucem edi voluit, futurum regni sui successorem; & feliciter compleat pium desiderium, quod in corde suo accenderat, reparandi Domum Dei, & efficiendi, ut reguet Evangelium; quandoquidem sibi negatum fuerat illustre illud, sed sanctissimum sacinus ad optatum finem perducere. Petit denique pro Filio suo sapientiam, qua solium suum in solida pietate confirmet, quæ efficiat ut in regionibus illius imperio subjectis justitia, & tranquillitas regnet, ut ibi veritas diligatur, charitas exerceatur, & in subditorum corde inflammetur. Se satis vixisse, quandoquidem a Deo evocabatur, & se non libenter solum, sed cum voluptate, & gaudio ad Agni pedes suam coronam projicere ad magnificam immortalitatis sedem evolaturum. *Recens Auctor.*

Piæ considerationes in S. Ludovici vitam.

Ex locis omnibus vitæ magni Regis hujus liquet illi honorem tirenui, fortisque Viri, non secus ac nobilis, & sapientis laudem negari non posse, quoniam actionum ipsius gloria illam sui generis, ac natalium obscurat, atque tres omnes hujus mundi partes admirabilis virtutis ejusdem testes fuerunt. Hoc probaturus pepercissem argumentis, nisi injustum quoddam percrebuisset præjudicium, quod facit, ut vix homines sibi persuadeant, pietatem, & sortitudinem conspirare posse, simulque in eodem in eminenti gradu inveniri. Posset etiam aliquis existimare, satis esse, quod Princeps hic habeatur tanquam Sanctus, & Religiosus Monarcha, quin tamen ad Heroum gloriam aspiret; sed liquet satis per hoc ipsum voluisse Deum Sancti Ludovici exemplo docere, quomodo animæ, & ipsa virtus sanctificari possint ut sanctitas sublimiori cum magnificentia eniteſcere videatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

§. Ludovici Sanctitas non obstitit quo minus omnibus modis magnus esset secundum Deum & homines.

Magnus hic Monarcha licet Sanctus esset secundum Evangelium, non defuit quo minus secundum mundum esset non solum Rex magnus, verum etiam unus ex maximis, qui sceptrum gestarunt. Dico magnum in omnibus statibus, in quibus Regis celsitudo potest considerari. Magnus enim fuit in bellis, magnus in pace, magnus in prosperis, magnus in adversis: magnus in Regni sui regimine, magnus in ea ratione, qua cum alienis se gessit, magnus in suorum etiam inimicorum æstimatione: & hæc omnia per eam vitæ sanctitatem; quæ in illius persona effulgebat, & quæ velint, nolint mortales, ille character est, qui ipsum super omnes Reges terræ elevavit. *P. Bourdaloue.*

Contra illud præjudicium quod qui secundum Evangelium vivunt nequeunt in mundo enitescere.

Non alio opus est argumento præter magni hujus Regis exemplum ad errorem ex illis extorquendum, qui æquo liberiores mundi placitis devoti sunt; eum, qui canonibus Evangelicæ sanctitatis se subjicit, nullo pacto in mundo posse eniteſcere. Licet enim hoc placitum ita verum esset, ut fallax est, dubitandum non esset, quid consilii capiendum foret: & posito etiam hoc principio, proculdubio omnibus sæculi utilitatibus esset abrenuntiandum, & pro nihilo habendum, quidquid humana prudentia vocatur, ut sanctitatem, quæ verus est Electorum character, ampiecteremur. Ubi non liceat virtutem, & sanctitatem simul conciliare, soli sufficere debet sanctitas, & eadem contenti reliqua conculcemus, & cum Sapiente dicere valeamus, *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sed Providentia tua, Domine, ad hanc nos non redigit necessitatem, neque unquam virtutem nostram adeo valido experimento probasti. Quod coram te nos inexcusabiles reddit, hoc est, quod certum est, nos recedentes a viis sanctitatis, recedere ab eo, quod unice potest nos etiam secundum mundi sententiam solide perfectos efficere, & dignos hominum laude, atque æstimatione. Etenim sanctitatem deferentes in mundi ipsius opinione evadimus homines vani, mendaces, & injustitia pleni. Sanctitatem auferte; in mundo nihil nisi species est, dissimulatio, mendacium, & hypocrisis. Quid ergo faciendum est, ut ad solidam perfectionem perveniamus in variis statibus, quibus sumus impliciti? Magni hujus Regis exemplum sequendum est. Sanctitas illum Regem magnum constituit; hæc eadem sanctitas in tanta statuum, in qua sumus, varietate efficere nos debet irreprehensibiles, & nulla humana censura notandos. In mundo tibi negotium est; habeas non secus ac Sanctus ille pietatem; hæc ratio est cum laude negotium agendi, transigendique; Tibi est regenda provincia, tibi munera sunt obeunda, liteſque componendæ: fac hæc omnia, ut Sanctus Ludovicus faciebat, in Evangelii spiritu. Dabit tibi Deus benedictionem suam, & mortalium etiam æstimationem, laudesque assequeris, *P. Bourdaloue.* *Sap. 7.*

Mores S. Ludovici exempla sinimus conversationis, damnationis tuæ conferens.

Vita, quam Sanctus Ludovicus duxit in Aula sua, & magna quæ nobis virtutis perfectæ reliquit exempla, ædificationi nostræ sunt profuturæ, vel aliquando aliquid nostræ damnationi collatura. Ædificationi, inquam, nostræ si illis uti noverimus; damnationi vero nisi illa fuerimus imitati. Rex humilis, Rex mortificatus, Rex pœnitens, licet alioquin Sanctus, hoc illud est, quod nos confundet. Non amplius *Regina Austri surget in judicio*, sed Rex noster consurget adversus nos, & in illa die omnem recipiens potestatem, & jura adversus nos, sententiam proferet contra laxitatem, superbiam, teporemque nostrum, contra nostram duritiem erga pauperes, luxum, & amorem proprium. Quid respondebimus, & quas excusationes afferemus? Si enim Sanctus hic Rex humilis esse potuit in solio, quid obstat, ne humiles simus in statu nostro, ubi omnia nobis humilitatem inspirant; & ubi ratione tantum opus est, ut humilitatem exerceamus; ubi, nisi conditionis nostræ simus immemores, obliviſci non possumus necessitatis, quæ nos adigit, ut in humilitate vivamus? Si inter delicias Sanctus Rex ille potuit pœnitens esse, quid vetat, quominus humiles simus in jugibus tentationibus, quibus angimur; in morbis, in ægritudinibus, in bonorum jactura, atque in tot casibus, & adversis, quibus sumus obnoxii in ea statuum varietate, in qua nos collocare divinæ placuit providentiæ? Nobis in mundo non sunt tot obices superandi, tot evitandi scopuli, tot hostes vincendi, quot magno huic Regi expositio in mundo crebris, gravissimisque periculis. Nulla igitur conditio est, in qua nobis non liceat Christianos, & perfectos esse Christianos, dummodo velimus imitari ejus exemplum, & Sanctos fieri eadem facilitate qua magnus ille Monarcha. *P. Bourdaloue.*

Quomodo S. Ludovici exemplum imitari debeamus.

Magni Regis hujus exemplum non nobiles tantum, principesque mundi viros rubore suffundit; verum etiam omnia genera personarum. Quam enim ipsi causam prætexere possumus, ne Evangelii placitis adhæreamus, quandoquidem intuemur tantum Regem sese demittentem, ac humiliantem eo usque, ut pauperibus serviat, & in austerissima vivat mortificatione? Quid sumus, ubi cum illo comparemur? Quid facimus quod ne longe quidem accedat ad ea, quæ ipse fecit? Conferamus vitam nostram cum vita illius, mollitiem nostram cum illius austeritatibus; modicam charitatem nostram cum illius zelo, & fortitudine. Si exempla tua, Rex Sancte, non satis virium habent in cordibus nostris, adde, si tibi placet, preces tuas; neque enim dubitamus quominus libenter illas adjicias, pro iis quibus contigit fuisse tibi subditos in terris, ut gloriæ tuæ sodales esse valeant in cælis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

PRO

PRO ANGELI CUSTODIS, S. MICHAELIS, ET ANGELORUM GENERATIM, PANEGYRICO.

MONITUM.

I animi grati significatio ab omnibus universe Fidelibus singularem erga Custodes Angelos religionem requirit, hanc Concionatores singulariter præstare tenemur, duplici ex causa; quarum altera est, quod Spiritus Sanctus, qui illos ad loquendum inducit, beatorum horum spirituum opera utitur, ad illis suppeditanda lumina, sententias, & verba, quæ ad Auditores permovendos sunt accommodatissima; ratio autem altera hæc est, quod in concionandi munere vix, & ne vix quidem Orator secum dispensare valet, quominus hujus argumenti Sermonem instituat propter frequentes occasiones, quæ occurrunt enumerandi eorum beneficia; & merita erga humanum genus in iis festis diebus, quos Ecclesia in eorum honorem concelebrat; quæ seorsim Sancto Michaeli diem, alterumque Angelis Custodibus consecrat. Sed ne tituli multiplices fiant, operæ pretium duxi in hisce collectaneis meis eam rerum copiam asserre simul, quæ utrique inserviat argumento; ita tamen ut utrumque non permisceatur, quod nonnullis concionatoribus accidit, qui Sancti Michaelis laudes celebrantes fere de Angelo Custode loquuntur, eo quod satis uberi rerum copia ad argumentum suum exornandum destituuntur.

Illud tamen animadvertendum est, cum Sermo de Tutelaribus Angelis nostra magis interfit, ita me fusius hoc argumentum persecutum fuisse. Quoad modum vero argumenti hujus pertractandi illud prætermittendum non est, hoc non tam esse debere elogium aliquod, & Panegyricum, quam adhortationem ad honorem adhibendum, agendasque beatis his Spiritibus gratias, eorumque subsidium implorandum in necessitatibus; ideoque sedulo describendas esse curas, vigilantiam, & affectum, quo illi obeunt munus sibi commissum a Deo; & quenam sit felicitas nostra, qui tanto duce, & Patrono digni sumus inventi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum hujus Argumenti Structuræ.

Angelis suis mandavit de te; ut custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90.

I. IN celebritate Sanctorum Angelorum Custodum, quam hodierna die recolit Ecclesia, admirationis, amoris, & imitationis argumenta deprehendimus. 1. Admirationis infinitæ bonitatis Dei, qui satis non esse ratus homini dedisse universa, quæ *Psalm. 8.* in Mundo conspicimus, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, voluit etiam illi horum Spirituum famulatum præstare. 2. Amoris propter excessum divinæ bonitatis erga humilem hanc creaturam, qualis est homo. 3. Imitationis secundum exemplum obedientiæ; quam Angeli Sancti præstant imperiis Creatoris sui, quin naturæ nostræ vilitatem perhorrescant.

Pro priori puncto; ea adhuc integra considerari possunt Angeli tanquam Spirituales Intelligentiæ, & Spiritus ab omni materia expediti. Hac de causa ex omnibus Creaturis Angeli propiores sunt divinæ Majestati, ejusque essentiæ similiores. Cum minime constent ullis corporeis qualitatibus, non sunt, uti nos morti obnoxii; nulla in illis oritur mutatio propter aeris, & elementorum vicissitudines, cum sint suapte natura immortales. Illud vero maxime mirandum est, quod Deus tantam habuerit bonitatem propter hominem, eumque peccatorem, ut illi custodem, & præsidium imbecillitatis ejus creaturam adeo perfectam, eximiamque assignaverit.

Pro puncto altero in tanto divinæ bonitatis excessu nobis immorandum non esse arbitror in sterili admiratione, sed transeundum ad intimos sensus teneræ Charitatis. Ita est, ardenter nobis amanda est infinita bonitas, quæ ornatissimos Regni sui Principes, aulicosque amplissimos coegerit, ut nobis invigilent, atque ut ita dicam, nos famulorum instar subsequantur, nostris servientes commodis, quin a nobis sperare possint quidquam in gratiæ animi argumentum propter assiduitatem suam, nisi mœrorem, ac molestiam; si essent hujusmodi animi perturbationibus pares. Debemus etiam per animi grati sensum amare, & colere spiritus hos adeo perfectos, & numeris omnibus absolutos, ideoque tantum amabiles. Illud vero magis permovere nos decet, quod Angeli isti tantam erga nos habent charitatem, quantam ipsi cognoscere possumus ex bonis officiis, & subsidiis, quæ in dies singulos nobis præstant. Etenim ex ipso natalium nostrorum primordio incipiunt gerere curam nostri; a nobis repellunt, quæ essent obfutura, parentibus nostris bonam mentem ad utilitatem nostram injiciunt, & prout adolescimus summa sollicitudine nos a malo deflectunt, nobis optimas cogitationes immittunt; nos ad bonorum operum praxim impellunt, ut Deo placere possimus, ut illi, rebus in omnibus; quod efficere debet, ut non solum Deum, & Sanctos hos Spiritus plena bonitatis eorum cognitione diligamus; vegum etiam

3. Imitemur puros hosce Spiritus, qui licet toto Cælo naturæ nostræ superiores sint, cum amore, & obsequio obediunt Creatoris imperiis sese demittere volentes eo usque ut curam gerant humilium creaturarum, & in hoc præcipuum suum studium transmittant, quia nos tuentur ab invidia, odio, furore dæmonum, qui divinæ erga nos bonitati invidentes nobis insidias struunt & in singula momenta laqueos nectunt, ut secum in æternam calamitatem nos trahant. Præ cæteris imitanda nobis est divinorum horum spirituum puritas, & conandum, ut licet mortali hoc corpore impediti sequamur optimos sensus; quos nobis inspirant, viventes in carne, tanquam omnino spiritales essemus; acriter resistentes frequentibus tentationibus, quas communis naturæ nostræ inimicus offert, ut in suum nos pertrahat maledictionem: ut verbo me expediam, viventes in hoc corpore, quasi illud non haberemus, & in eo requiem nostram minime constituentes. *P. Texier.*

II. Deus adeo tenera dilectione nos persequitur, ut singulis Custodem Angelum tribuat utens per incomprehensibilem bonitatem perfectissimis Creaturis suis, ut nobis famulentur, & Cælestibus intelligentiis, quæ creatæ sunt, ut illum contemplentur, eique incessanter in Cælo deserviunt. Quænam Dei bonitas! Principem Aulæ Cælestis pro salute abjectissimi servi deputare; & sicut egregie S. Bernardus ait, non satis fecisse ratum, cum ad nos Filium miserit, dare etiam nobis Spiritum Sanctum suum, ac permittere, ut ipso fruamur in Cælis, & ne quid in Cælo sit, quod ad salutem nostram impensum non fuerit, mittit ad nos Angelos suos, ut operam suam nobis conferant, illorum curæ nos committere, eosque Institutores nostros, ac duces esse velle? Quo autem honore, & amore complecti nos decet illum, quem ita nobis dedit Deus, ut nos gubernaret? Ille semper præsto nobis adest, ut ducat, & regat: ille nobis bonas cogitationes immittit; ille nobis in magni momenti negotiis assistit, ille nos in tentationibus nostris confirmat. Plurima a nobis avertit mala, sive corpori, sive animæ impendentia, & eo libentius sua nobis præstat officia, quo sæpius ad illum confugimus: Quid igitur non debemus ductori, ac patrono, adeo singularem de nobis rebusque nostris curam habenti? S. Bernardus nos docet, Angeli nostri custodiam tres in nobis affectus ciere oportere; reverentiam, amorem, & confidentiam.

1. Reverentiam, quia omnes actiones nostræ factæ sunt in conspectu Spiritus adeo puri; quamobrem nobis agendum est cum obsequentissima attentione, & intentione purissima.

2. Amorem, & devotionem propter teneram charitatem, qua nos prosequitur, respiciens nos tanquam futuros aliquando sodales in Cælo.

3. Confidentiam, quoniam persuasum nobis est, illum

incef-

ineeſſanter ad noſtram utilitatem operari, ut ejus optima ſecuti conſilia evitare poſſimus omnes Dæmonis inſidias. Debemus ergo Cuſtodem Angelum revereri, & coram ipſo nihil aggredi, quod coram alio quolibet agere pudor vetaret. Debemus ergo illum ſingulari amore diligere, eique ſæpe noſmet commendare in iis potiſſimum quæ dubia ſunt, & periculo proxima. Debemus ergo in illo confidere, & ſperare futurum ut nos ex malis univerſis eripiat. *Ex operibus D. Gobinet.*

III. *Videte ne contemnatis unum de puſillis iſtis: Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*, Matth. 18. Si ex S. Hieronymi ſententia certiſſima eſt animarum noſtrarum præſtantiæ probatio ſcire, illas ſtatim ac creatæ fuerunt, a Deo unum ex Aulæ ſuæ principibus deputari, qui earum curam gerat, eaſque tueatur, hoc tamen mirum nobis eſſe non debet; quippe hic Ordo eſt Sapientiæ Dei, & in quo Illius Majeſtas ac magnitudo refulget, eum exceſſibus hiſce intelligentiis tanquam Miniſtris utatur in magni hujus Orbis regimine. Sed videre hos immortales ſpiritus, quorum natura ſupra noſtram toto Cælo aſſurgit, & in hac plenitudine felicitatis, qua perfruuntur per Dei ipſius poſſeſſionem, qui eorum ſummum eſt bonum, videre, inquam, creaturas has adeo nobiles, perfectas, & beatas deſtinatas non ſolum Principum, & Monarcharum cuſtodiæ, verum etiam noviſſimi cujuſcumque e plebe, & ſcire illos curas omnes impendere, & reſpicere creditum hoc munus, tanquam ſibi glorioſiſſimum, ita ut nomen illius, tanquam ſpectatiſſimi Officii gerant, de quo glorientur: hoc proculdubio ſtuporem mortalibus omnibus debet injicere, & ab eis gratiæ animi ſenſus expoſcere. Sed ut rite hujus beneficii magnitudinem intelligamus, animadvertendum eſt in Aula terreni Principis duplex eſſe Miniſtrorum genus, quibus varia ſunt munia, & illis æque neceſſarii. Alii in illius ædibus permanent, coram illo ſemper adſtant, eumque quocunque ſubſequuntur. Alii vero hac mittuntur, & illuc in remotas regiones ad obeunda negotia, & maximi momenti mandata expeſſenda. Hoc ipſum in Cæleſtis Monarchæ aula contingit; cum hoc tamen diſcrimine, quod duo hæc diverſa officia ſimul eſſe poſſunt in perſonis iiſdem, quoniam ſecundum Evangelium, iidem Angeli, qui curam noſtri gerunt in terris, ineeſſanter
Matth. 18. adſtant in cælis coram Deo: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*. Beatitudo, qua perfruuntur non prohibet quominus noſtris opem ferant calamitatibus: laudant, & benedicunt Creatorem ſuum; & præſto ſunt neceſſitatibus creaturarum; ſunt in Cælo, & ſimul eum hominibus converſantur in terra. Hinc beati illi ſpiritus in duplici hoc officio poſſunt conſiderari, quod ad homines refertur, quorum utrumque Angelorum nomine indigitatur, quod ex eorum munere, non autem ex natura deſumptum eſt, ut S. Auguſtinus inquit, & quod Nuntios, Legatos, & Miſſos ſignificat? quod paucis feliciter S. Bernardus expreſſit: *Illos utique; & tuos ad nos, & noſtros ad te Angelos facis*. Quod conforme eſt viſioni Patriarchæ Jacob, qui per myſticam ſcalam, quæ illi in ſomnis apparuit, alios quidem aſcendentes, alios vidit deſcendentes. Re ipſa aſcendunt in Cælum noſtra apud Deum negotia ſollicitaturi, & deſcendunt in terram Dei mandata ad homines perlaturi. In duplici igitur munere illos vobis exhibebo.

1. Conſiderabimus quomodo ſe gerant apud Divinam Majeſtatem pro nobis, cum zelo, & affectu, quo major æſtimari non poteſt; quod excitare debet confidentiam noſtram in eorum ſubſidiis collocandam.

2. Videbimus illos a Deo ipſo apud nos deputatos eſſe, ut noſtri ſint duces, directores, atque cuſtodes; quod ſane ſuabebit nobis, ut illis omnem adhibeamus reverentiam, & animi grati ſignificationem, quæ per nos fieri poſſit, maximam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

IV. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te in omnibus viis tuis*. Exod. 23. Deus qui fidelis eſt in promiſſionibus ſuis, indefectibilis in verbis, & in rebus omnibus juſtus, ſatis eſſe non putat, ſi hominibus dicat, illos a ſe amari, ſe illos juſtificare velle, æternamque illis vitam largiri, ut ad viventium terram perveniant; dedit illis etiam Angelos, a quibus ducerentur, ne in itinere adeo periculoſo deerrarent, ut ab his contra terribiles hoſtes defenderentur, ut homines eorum ſuffulti præſidio poſſent evitare laqueos, qui ipſis in ſingula momenta nectuntur, & de vehementiſſimis illorum conatibus triumpharent. *Angelis ſuis mandavit de te &c.* Conſtantiſſima ergo veritas eſt, dediſſe Deum ſingulis hominibus Cuſtodes Angelos, qui illos in omnibus viis ſuis deducant; & hoc Spiritus Sanctus in Scripturis teſtatus eſt: *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te in omnibus viis tuis?* Sed cur Deus ſingulis hominibus Angelos tribuit? Plures ob cauſas, quia poſtquam peccatum introivit in mundum, omnia tenebris, erroribuſque replevit. Deus, & S. Dionyſius ait, dedit hominibus Angelos, ut illos illuminarent, habitant enim in locis caliginoſis; dedit Angelos, qui eos in lubricis viis ſuſtinerent, per quas incedunt, eoſque a ſæculi corruptione præſervarent; Denique Deus illis Angelos dedit, qui illos docerent quomodo præliandum eſſet contra Dæmones terribiles naturæ noſtræ inimicos, & quomodo de omnibus eorum conatibus, & calliditate referrent triumphum. Hæc tria ſunt ſubſidia, quæ nobis præſtant puri Spiritus illi, quorum vigilantiæ Deus curam noſtram committere voluit.

1. Nos illuminant in tenebris, quibus peccatum univerſam terrarum faciem replevit.

2. Nos tuentur in periculis, in quibus verſamur, errandi, & nos a ſæculi corruptione præſervant.

3. Nos protegunt adverſus frequentes inviſibilium inimicorum noſtrorum impetus, & efficiunt, ut de illorum furore triumphemus. Hæ tres erunt partes hujus ſermonis. *S. M. S.*

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Matth. V. 18. Maximi momenti officia, quæ indefinenter nobis Cuſtodes Angeli præſtant ad Salutem noſtram certam faciendam conſiderari poſſunt ſecundum tria, videlicet ſecundum tres rationes, quas habent in miniſterii ſui exercitatione. Primam rationem habent ad Deum illos mittentem, alteram ad Dæmonem, contra quem mittuntur, tertiam ad nos, ad quos, & pro quibus mittuntur.

1. In ea ratione, quam habent ad Deum, noſtri ſunt apud illum Interpretes.

2. In ea, quam habent ad Dæmones, ſunt Patroni, & propugnatores noſtri contra eorum furorem,

3. In ea, quam habent ad nos ſunt tanquam tutores, ductoreſque vitæ noſtræ, rerumque noſtrarum. Tanquam Interpretes de negotio ſalutis noſtræ agunt cum Deo: tanquam noſtri Propugnatores opem ferunt, ut vincamus Dæmones; & tanquam tutores nos tegunt, & in viam ſalutis diſponunt. Hæc ſunt veluti tria vincula, quibus Angeli nobis adhærent ex charitate, & quibus illis hærere debemus per gratiæ animi ſignificationem. *Bitrian.*

Angelis ſuis Deus mandavit de te. Pſ. 90. Hæc eſt VI. Eccleſiæ univerſalis ſententia, ſingulos noſtrum habere Cuſtodem Angelum, quem divina Providentia curæ noſtræ præfecit, ut nobis ad vitam æternam conquirendam auxiliaretur. *Angelis ſuis*, inquit Propheta, *Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; & Dei Filius in Evangelio vetat, ne contemnamus aliquem ex pueris, vetitique rationem aſtruit, quia *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris ſui*. Hæc Eccleſiæ fides nos continere debet in reverentia coram illis; quoniam certum eſt, illos aſſidue nobis adeſſe, & nunquam a nobis a primo nativitatis noſtræ momento ad illud, quo in Cælum ingredimur, recedere. Tres rationes nos cogere debent, ut ſumma cum reverentia Cuſtodes Angelos excolamus.

1. Eſſentiæ ipſorum nobilitas, & naturæ præſtantia, ſunt enim meri ſpiritus ab omni materia expediti, quod nobis venerationem erga illos debet immittere.

2. Eorum lumen, & Sapientia, quæ cum in ſummo emineat gradu, efficere debet, ut omnia noſtra committamus illis, omneſque ſanctos eorum affatus ſequamur.

3. Illorum ſanctitas, ſine qua alia quælibet qualitas vana, & inutilis eſt, & quæ nos debet ad eoſdem imitandos impellere, quantum poſſumus in hac vita mortali, quam ducimus in terra.

4. Dignitas miniſterii ipſorum, quæ non ſolum nos cogit, ut veneremur illos, tanquam Dei legatos pro ſalute noſtra, non ſolum tanquam hæc de cauſa auctoritatem habentes in nos, verum etiam ut omnino confidamus in eorum auxilio, quippe qui nobiſmetipſis perſuadere debemus, ſi illis perfecta ſubmiſſione fuerimus obſecuti, illos non defuturos, quominus ad æternam, quam poſſident, hereditatem nos quoque perducant. *Ex P. Nevet in libro de devotione erga Angelum Cuſtodem habenda.*

Angeli eorum ſemper videat faciem Patris mei. Matth. VII. 18. Mirum eſt, quod creaturæ mortales, quales ipſi ſumus, & ab ipſa nativitate in malum proclives tanti apud Deum fiant, ut divina illius Providentia dignetur nobis largiri pro ducibus, & gubernatoribus hos puros ſpiritus, qui ſemper adſtant coram ipſo, & ipſa Dei bonitas puris hiſce ſpiritibus ſuadeat, ut nobis inviglent, & incomparabili amore nos proſequantur. Quiſnam mortalium tantum hoc boni ſibi fingere potuiſſet? Quis tantam felicitatem ſibi auſus fuiſſet polliceri? Quis ſibi talem gloriam potuiſſet præſumere, niſi Spiritus Sanctus per æternam veritatem aſſeruiſſet, quam hi iidem Angeli in gloria Cæleſti contemplantur? Sublimes iſtæ Intelligentiæ Dei fruuntur aſpectu, ſimulque nobis aſſiſtunt; illum contemplantur, & nunquam oculos a nobis avertunt, illum poſſident, & noſtrum licet immerentium curam gerunt. Amici quidem ſunt Dei perfruitione, noſtri autem directione; & eodem oculo, quo gloriam intuentur, vident etiam noſtras infirmitates, & nobis opitulantur ex dumbus, iiſque diverſis actionibus, ſupremi boni contemplatione, & malorum noſtrorum miſeratione unum dumtaxat opus facientes. Sed beata hæc conjunctio, quam cum ſupremo habent bono, & quæ illos videretur a noſtrorum malorum aſpectu amotura, eadem ipſi eſt, qua ad miſericordiam noſtrum ducuntur, & quæ illorum ciet zelum, ut nobis ferant opem. Etenim ex hac ipſa conjunctione hauriunt.

1. Scien-

Digitized by Google

1. Scientiam, & lumen, ut videant necessitates nostras, atque miserias.

2. Tenerum amorem, & zelum, ut nos tueantur, nobisque auxilientur.

3. Vires, ut nos in periculis protegant, quæ tria sunt validissima, ut nos sustineant, cognitio, amor, & potestas. *Auctor Recens*,

VIII. *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* Tob. 12. Cor rectum, cor gratitudine repletum, licet fortunæ muneribus, vel naturæ bonis destitutum; semper tamen aliquem nanciscitur locum, ex quo gratum se profiteri possit quibuscunque beneficiis, quibus cumulari potest, licet illa proficiscerentur a Rege, nullius indigente. Hinc infero licet Angeli a Deo nostræ curæ præpositi nullius egeant rei, quippe qui plene, & integre supremum possident bonum, eos tamen recipere posse variis modis animi grati significationes pro magnis, & incomparabilibus beneficiis, quibus nos assidue cumulant, & quæ ad tria potissimum capita referuntur.

1. Sancti Custodes Angeli incessanter nostris lateribus adstant, ut nostra observent vestigia: ergo coram illis metum, ac reverentiam adhibeamus. *Pro præsentia reverentiam.* Hoc primum a nobis expetunt.

2. Sancti Custodes Angeli nobis & quod bonum est, volunt, & re ipsa procurant: igitur vera pietate, ac devotione eorum merita recolamus. Hoc secundo loco a nobis requirunt. *Pro benevolentia devotionem.*

3. Sancti Custodes Angeli in omnibus nos periculis custodiunt, & suo protegunt patrocinio: Habeamus ergo in illis sanctam, humilemque fiduciam. Hoc tertio flagitant: *pro custodia fiduciam.* Fidelium horum testium præsentia obsequia nostra meretur; generositas amicorum benemerentium gratitudinem nostram deposcit: amor, & zelus potentium protectorum fiduciam nostram efflagitat. *Ex S. Bernardi.*

IX. Cum Angelis demandata fuerit hominum cura propter naturæ imbecillitatem, & pericula, quibus ideo patent; hæ spiritales intelligentiæ, summa voluptate perfunduntur ad unguem perfunctæ hoc munere, quod illis deferre divinæ placuit providentiæ. Hæc est causa propter quam semper præsto sunt, ut nos consolentur, invisant & nos suo juvent præsidio. Supereminens eorum Charitas illos de summo Cælorum vertice detrahit, nobisque triplici adnectit vinculo, videlicet propter Deum, propter nos, & propter ipsos.

1. Propter Deum, cujus extremam erga nos misericordiam, quantum possunt, imitari gloriantur.

2. Propter nos, quia miserentur animarum nostrarum, quæ tantam cum horum Cælestium Spirituum natura habent similitudinem.

3. Propter se; quia sedes, quas rebellium Angelorum lapsus vacuas reliquit, non nisi per Sanctificationem nostram repleri possunt. *S. Bernardus.*

X. Pro Angelis generatim. Æquum sane est, quod homines aliquid conferant gloriæ Angelorum, eorumque festum diem recolant in terris, quandoquidem beati hi Spiritus in Cælis hominum adjuvant susque preces interponunt apud Deum, ut eorum felicitatis participes efficiamur. Verum licet grati animi sensu non teneremur Angelos venerari, tamen sublimium harum intelligentiarum præstantia nostrum cultum postulat, & observantiam. Tota vero Angelorum, quos hodierna die colimus, magnitudo tribus hisce momentis potest contineri.

1. Momento creationis suæ: quo repleti fuerunt luminibus, quo facti sunt renidentes radiis divinitatis, perfecta locupletati sapientia, & mirabili in operationibus suis activitate.

2. Momento Sanctificationis suæ, quo bene usi libertate, quam possidebant, agnoverunt infinitam Creatoris sui bonitatem, se se illi penitus submittentes, & libero hujus submissionis actu meriti sunt in gratia, & dignitate, in qua creati fuerant, confirmari.

3. Momento perfruitionis gloriæ; quo Deus illorum fidelitatem remuneratus illos in novem Choros, vel Hierarchias distinxit secundum Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum sententiam, singulis eorum assignans officium, ac munus, cui destinabat illos quatenus præcipuos divinitatis ministros. *Ex Specimine Panegyricorum.*

XI. Considerare possumus sublimium horum Spirituum præstantiam sub triplici aspectu, habita ratione mortalium, in quorum custodia a Divina Providentia exercentur.

1. Nobis viventibus adstant, ut avertant ab omnibus periculosis occasionibus, in quibus detrimentum aliquod pati possemus vel in anima, vel in corpore, atque ut nobis suppeditent sanctas inspirationes ad bonum faciendum, & constanter sequendas vias virtutis.

2. Nobis potissimum morientibus adstant, cum spiritus noster sentiens aliquo modo corporis nostri imbecillitatem nos adducit in periculum damnationis æternæ, cum fere nequeamus ullum extrinsecus pietatis opus peragere, & validius tentemur a spiritibus tenebrarum; quo momento impensius, & enixius apud divinam bonitatem pro nobis intercedunt.

3. Nobis etiam post mortem assistunt, vel animas nostras in gloriam deducentes, vel illas pro Divinæ Majestatis solio sistentes; vel si piacularibus flammis addictæ sunt, eas consolantes ac spem facientes proximæ libertatis per preces, vel Sanctorum qui in Cælo sunt, vel justorum qui vivunt adhuc in terris. *Auctor Recens.*

Factum est prælium magnum in Cælo. Apoc. 12. Quis crediderit, nisi Spiritus Sanctus palam testatus fuisset, in Cælo bella geri, & creaturarum omnium perfectissimam factam fuisse per impudentissimam rebellionem adversus Creatorem suum nequissimam? Lucifer Cælestium omnium spirituum perfectissimus, propriæ celsitudinis suæ luce perstrictus, quin se Creatori subjiciat suo, ab aliis exigere cupit obsequia, quæ Deo uni debentur. Sed S. Michael zeloces gloriæ Dei sui acriter rebellis angeli impotentiæ obluctatus est; hujus humilitas contra superbiam alterius præliatur. *Factum est prælium magnum in Cælo.* Sed tandem Lucifer omnesque illius suffragatores sternuntur, & fructus quem refert S. Michael ex hac adeo insigni victoria est, confirmari in gratia, & felici statu, ubi gratiæ nequeat amplius jacturam facere, dum hostis cum infelici conjuratorum manu præceps traditur in infernum, æternas pœnas temeritati suæ debitas daturus. Hæc est insignis illius certaminis, gloriosique triumphi S. Michaelis memoria, quam recolit hodierna solemnitate Ecclesia. Sed Sancto Archangelo satis non est in Cælo dæmonem vicisse, de eodem quotidie triumphat per valida subsidia, quibus munit Ecclesiam, ut his adjuta furentis inimici oppugnationem repellat: confirmat homines contra tentationes, quas per invidiam suggerit; & sicut dæmon suos iterat conatus ad perdendas animas, ita S. Michael sua instaurat auxilia, ut eas tueatur. Itaque vobis ostendam XII. Pro S. Michaele.

1. S. Michaelem de dæmone triumphantem; cum hic Deum lacessit, & conatur sibi vindicare cultum Divinæ Majestati debitum.

2. Eumdem S. Archangelum triumphantem de dæmone, adnitente turbare Ecclesiam ac in illam invehere tumultus, hæreses, schismata, quacunque valet arte.

3. S. Michaelem de rebelli angelo, ejusque sociis triumphantem, dum adoritur animas præsertim in agone positas, quo tempore hic humani generis inimicus suas iterat vires, omnes nectit dolos, & ponit laqueos, illas secum in æternam abyssum pertracturus. Hic igitur Archangelus assertor est jurium Dei; tutelaris Angelus Ecclesiæ, & refugium eorum, qui animam agunt. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Factum est prælium magnum in Cælo. Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone. Apoc. 12. S. Michael sub triplici aspectu potest considerari. XIII.

1. Tanquam Princeps Cælestis militiæ, dux, & caput exercitus Cælestium Spirituum, qui succensi zelo gloriæ Dei, hoc duce dimicarunt cum Dracone, & de illius furore triumpharunt.

2. Tanquam Primus Divinæ Providentiæ minister, & universalis fidelium omnium Patronus, quo auctore omnes Angeli incessanter saluti animarum invigilant.

Tanquam Caput nostrum, sub cujus vexillis nobis præliandum est, si volumus referre victoriam de antiquo serpente, præsertim sequendo S. hujus Archangeli humilitatem, ejusque pro Dei gloria zelum imitando. *Ex Meditationibus Patris Novet.*

Si generatim venerari tenemur omnes Cælestes Hierarchias, & propter eximias qualitates, quibus illas exornare divinæ placitum est Providentiæ, & etiam propter nostram utilitatem, quandoquidem nobis in singula momenta auxiliantur, nobisque necessarias suppeditant vires, ut salutem nostram operemur, quanto magis Archangelum S. Michaelem amare, & honorare tenemur? Duplicem invenio causam, propter quam illum singulariter amare, & honorare debemus. XIV.

1. Quia Angelorum caput est, & prima creaturarum, quæ generosa fide Creatoris gloriam servaverit.

2. Quia defensor est atque tutelaris Angelus Ecclesiæ Dei, quia sub ejus vexillo nobis præliandum est, si victoriam cupimus reportare; ita ut si Deus illum nobis præposuit, ut nobis ferret opem, nos quoque illum colere, eique obtemperare teneamur. *P. Senault Oratorii.*

Si verum est, quod S. Thomas ait, Angelos recepisse gratias pares nobilitati; Inferendum est S. Michaelem unum omnes Angelorum gratias possidere; cumque illis usus fuerit ad Creatoris sui gloriam asserendam, generosa hac actione fuisse promeritum; ut esset XV.

1. Dux, & Imperator triumphantis Ecclesiæ, quam divina auctoritate gubernat.

2. Dux, & Imperator Ecclesiæ militantis, cui fert opem in crebris invisibilium inimicorum insultibus.

3. Ecclesiæ patientis, ad quam mittit Angelos suos, ut consolentur Sanctas animas, quæ persolvunt quidquid illis superest divinæ justitiæ persolvendum. *Auctor recens.*

Digitized by Google

sum orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. Ibid.

Et ecce Michael unus ex principibus primis venit in adjutorium meum. Daniel. 11.

Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore. In Epist. Judæ.

Michael princeps exercitus Domini. Josue 5.

Princeps populi Israel. Daniel. 10.

Ut signifer tuus S. Michael repræsentet animas nostras in lucem Sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus. Sic canit Ecclesia.

Exempla, & figuræ, Scripturarum ad hoc argumentum spectantia.

Bona Sanctorum Angelorum officia erga Loth.

NIhil magni momenti in mortalium gratiam gestum est, ubi Angeli operam suam non locaverint. Ullum ne unquam majus periculum fuit, quam quod subiit Loth in illa nefaria civitate in medio populi, quem Deus in ira sua exterminare volebat? Ignis, sulphurisque imber jamjam lapsurus erat in Sodomam. Hujus Patriarchæ domus sceleratorum manu erat obsessa, qui ut turpissimam explerent libidinem, sacra hospitalitatis jura temerare volebant. Quis non credidisset S. hominem vincendum fuisse multitudinis effrænis furore. Sed Angelus suppetias laturus Loth apparet, illum contra plebis improbos conatus educit ex civitate, & eminus de monte videns universale infelicis oppidi incendium, agnovit, quæ actiones gratiarum liberatori suo sibi essent tribuendæ.

Insperatum Angeli auxilium ad Agar, & Ismael.

Operæ pretium est hoc loco referre exemplum, quod nobis esse debet urgentissimum devotionis argumentum erga Sanctos Angelos, qui de nobis optime meriti sunt. Hoc illud est Agar, & Ismael. Infelix hæc mulier de Domo Abraham ejecta, & errans cum filio suo in valla solitudine ad extrema quæque redacta erat. Quid illi faciendum? Quo eundum? Quid consilii capiendum Quæ spes illi in tanta calamitate affulgebat? Sed non procul aberat ab ea Angelus Domini. Nullam videbat viam, aut semitam; Sed Angelus ducebat illam sine via, & sine semita. Ismael tristis victima indignationis Sitæ jamjam agebat animam: adeo vehemens erat sitis, qua urebatur: sed Angelus Charitate refertus, hic constans, & inseparabilis amicus illi præbuit, unde sitim resedaret. Sitit filius tuus, dixit ille matri, en fons aquæ vivæ. Agar potum præbuit filio, & revixit. Eximia figura beneficiorum, quæ nobis faciunt Angeli tunc temporis cum minus eorum spes affulget.

Directa exempla.

Plenæ sunt Scripturæ exemplis subsidiorum, quæ Angeli famulis Dei præstiterunt. Hic videri posset Daniel esuriens nutritus ab Angelo, qui Prophetam per capillos raptum transfert a Judæa in Babylonem, ut celeriter auxilium ferat famulo Dei escam non habenti. Ibi non sine stupore viderentur tres pueri ambulantes in ardenti fornace; quin comburerentur, opera unius Angeli in partes duas dividentis flammas, & simpliciter eos pueros illuminantis. Alia ex parte cerneres Equitem, hoc est, Sancto Augustino interprete, Angelum sub Equitis specie, candida præcinctum stola, præeuntem Judæ Machabæi copiis & Lysiæ exercitum in fugam conjicientem, dissipantem, exterminantem. Alibi videres Balaam ab Angelo perterritum, gravissimisque minis correptum. Hic Heliodorum percussum eo quod ausus fuisset ingredi in templum ad sacra vasa surripienda, & auferendos thesauros.

Beneficia ab Angelo Raphaele juniori Tobiæ collata.

Si dæmones incessanter multis nos lacessunt tentationibus, & vix liberum nobis relinquunt spiritum in toto vitæ nostræ curriculo: Custodes Angeli videntes fieri posse ut libertatis nostræ infirmitas frequentibus debilitata præliis victa succumbat, eorum vim suis moderantur auxiliis, & nos in eum statum adducunt, ubi non improbis solum hostibus resistere, verum etiam de illis victoriam, atque triumphum referre valeamus. Hoc pacto Raphael Angelus junioris Tobiæ ductor Asmodeum in deserto revinxit, ne adolescentulo officeret: & S. Joannes in Apocalypsi nobis exhibet Custodem cujuscunque hominis manu gerentem catenam, qua Satanam, quem Draconem vocat, alligat. *Habens catenam in manu sua.* Apoc. 20. Quid sibi vult hæc catena? S. Augustinus ait; *alligatio Diaboli est, non permittere illi exercere totam suam tentationem.* Videlicet non deest peculiaris Dei Providentia, quæ non finit, homines ultra vires suas tentari, sed tentationes juxta tentati vires moderatur. Significat etiam extra communem naturæ ordinem fieri, cum Providentia per se tentationes moderatur; sed plerumque Deum uti Angelorum ministerio, ut consilia sua exequatur.

Opera, quæ Angelus Raphael præstat Tobiæ patri oculorum usum illi restituens, & referta Dei operationibus Scriptura.

Consolationes, quas Angelus Raphael Tobiæ Patri afferebat, nonne sunt cumulatissimum fiduciæ mortalibus omnibus argumentum? Omnes imitatores fidei, & Charitatis Sancti hujus viri nonne arbitrari debent sibi a Tutelaribus Angelis dici, quod Sancto huic veteris Testamenti Patriarchæ: quando relinquebas prandium tuum, ut tumulares fratres tuos: quando ad evitandum Regis Sennacherib furorem abscondebas mortuos domi tuæ, & nocte sublustri parentabas; quando cum pauperibus victum tuum participabaris; quando fugiebas hominum consortia, qui, quin lacrymis exilium suum prosequerentur, eodem oblectabantur; quando ea in calamitate, qua te percusserat Deus aciem oculorum auferens tibi, illi benedicebas conjugis tuæ imprecationum pertæsus, videbam te, licet me non videres. Tunc colligebam guttas de fronte, & lacrymas ex oculis manantes, & insignem patientiam tuam inter acerbissimos dolores admirabar. Numerabam jejunia, eleemosynas, preces, & mortificationes tuas, easque offerebam Domino, qui denique me misit ad te, ut solatium tibi afferrem in tribulationibus tuis, teque a cæcitate liberarem.

Angeli nostri curam suscipiunt ab ipso nativitatis momento. Nos quoque comitantur, Tob. 5.

Vix mortalis prodit in lucem stadium ingressurus, cum ipso in limine invenit, quod olim juniori occurrit Tobiæ, longum iter susceptaro: *Invenit juvenem stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Fœdus simul ineunt, itineris societatem faciunt, eamdem corripiunt viam, alter dux est, alter ducem sequitur. Sed heu! non ut Sanctus ille adolescens fidelem sequimur ducem. Hic nobis dextrorsum ostendit viam, nos lævorsum iter arripimus. Tobias Angelo Raphaeli acceptum referebat conjugii, itineris rerumque omnium exitum; *Bonis omnibus per eum repleti sumus*; quod nobis esse debet exemplo, ut Tutelari Angelo nostro negotia omnia, etiam temporalia commendemus, ut in ejus auxilio confidamus, & omnes felices eventus illius curis, & divinæ Providentiæ referamus acceptos, præsertim cum simul & salutis nostræ, & gloriæ divinæ incrementum concurrunt. Tob. 12.

Magnam præsertim curam gerunt eorum, qui vivant in innocentia & parvulorum.

Angeli Sancti prorsus singularem habent parvulorum curam, magnaque fruuntur voluptate in illis instruendis, & erudiendis propter illorum innocentiam. Centum nobis suppetunt rei hujus in sacris Historiis exempla, quale illud Eliæ, quem Angelus igne nutriebat ab incunabulis, teste Sancto Epiphanio: illud Sancti Joannis Baptistæ, qui novem aut decem menses natus orphanus relictus a suis in deserto, & Angeli Custodis sui curæ traditus: Ismaelis parvuli, quem Angelus eripuit a morte, tunc cum mater sua desperatione adacta sub arbore expositi, cum neque haberet aquam, qua sitim illius relevaret, neque animum, quo illum posset morientem videre.

Sancti Custodes Angeli offerunt Deo preces nostras, suasque nobis gratias communicant.

Cælestes hi Spiritus, qui ab ortu nostri curam gerunt, duplici erga nos munere occupantur. Sancti hi Spiritus offerunt preces, & vota nostra divinæ Majestati, & nobis cælestes gratias promerentur. Hoc liquet exemplo Patriarchæ Abraham, qui volens immolare filium suum, cum jam brachium extulisset, ut gladium vibraret, ab Angelo prohibitus fuit, qui hoc pacto victimam servavit incolumem. Hæc ea sunt, quæ precibus suis Custos Angelus assequitur. Alterum ejus officium palam innotescit in visione Jacob Patriarchæ; ubi vidit mysticam scalam a terra in Cælum pertingentem, per quam ascendebant Angeli, & descendebant. Hoc usuvenit quotidie in Custodum Angelorum ministerio. Efficiunt, ut suæ nostræque simul preces in Cælum ascendant, ac ad nos Dei descendant miserationes.

Ut Angeli S. Paulum invitant, ut secum laboret, ita Concionatores invitare Angelos debent.

Si Tutelares Angeli olim Sanctum Paulum precati sunt ut cum ipsis operam suam locaret ad illuminandas Provincias sibi creditas: Concionatores, Missionarii, & illi, qui Dei gerunt negotia, & populis erudiendis vacant, non luderent operam si Cælestium horum spirituum opem implorarent, ut eorum adjuti subsidiis majorem verbis suis vim adderent, & consiliis suis fortunatiorem successum acquirerent. Cum enim de lucrandis Deo animabus sermo est, quid sperare possunt homines infirmi, ac nutantes quales illi sunt, nisi Angelorum opem poposcerint, & nisi arctam cum illis societatem conjunxerint?

S. Michael erat patronus, ac Tutelaris Angelus Synagogæ in lege veteri.

Inter Doctores convenit, omnia aperta, & miraculosa signa protectionum, quæ populus Israel accepit usque ad Messiæ adventum, illi a Sancto Michaele præstita fuisse. Hic fuit exterminator Angelus, qui primogenita Ægypti percussit, & Israelitas ex Pharaonis servitute subduxit. Hunc Deus in locum suum substituit, ut per mare rubrum traduceret populum, & ut divisos illius fluctus iterum in statum pristinum revocaret, ad illius hostes contumulandos. Ille præcedens populum Israel in nubis speciem per diem, & ignæ columnæ per noctem ostendebat illi viam prorsus admirabilem, per quam in terram promissam ingrederetur. Per os hujus Angeli dixit Deus populo suo: *Ego eduxi te de terra Ægypti.* Ego abscidi vincula tua, & servitutis tuæ jugum confregi. Hic idem S. Michael in Monte Sinai Moysi Legis Tabulas dedit; hic ante Machabæorum exercitum contra Assyrios pugnavit, hic de aere flammea tela contorquens contra Dei, populique ejus hostes pugnare visus est. Dubitari vero nequit an Ecclesiam tutatus fuerit sub Synagogæ integumentis involutam, utrum eam modo magis admirabili tueatur, postquam Jesus Christus omnes illius maculas lavit in Sanguine suo, eamque sibi Sponsam prorsus formosam assumpsit dignissimam, ut in ea sibi complaceat?

Idem S. Michael adhuc est modo magis particulari Ec-

Pulchertimam protectionis Sancti Michaelis erga Ecclesiam intueremur imaginem in muliere illa Apocalypsios corona redimita, cujus tutelam sumit Archangelus, cum Draco sese præparat ad comedendum filium ex illa nascitu-

Custos Protector.

sciturum. Dæmon, qui omnes exerit conatus suos, ut fructus gratiæ in animabus abortivis excidat, omnem tyrannorum rabiem exercuit ad suffocandam Jesu Christi Ecclesiam in ipsis incunabulis, & ad submergendos in sanguine omnes filios Salvatoris, quos mystica mulier ex sinu sito videt prodeuntes: Sed S. Michael divina armatus potentia fert opem Ecclesiæ crudeliter oppugnatæ; efficit ut triumphum referat de persecutoribus quidem per vim, de hæresibus vero per lumina, ac scientiam. Ex omnibus his argumentis protectionis S. Michaelis innotescit, ipsum sicut est Ecclesiæ Triumphantis caput, esse quoque post Salvatorem, Ecclesiæ militantis patronum.

Lucifer & defectionis ejusdem socii, statim ac desciverunt a Deo, & rebellionis consilium inierunt contra supremam illius potestatem; Deus justus criminum vindex terribili justitiæ suæ telo illos in infernum egit præcipites. Quam terribile superbi exemplum, pars Angelorum æternis adjudicata flammis propter unicum superbiæ scelus! Tantus fuit horum infelicium Angelorum numerus, ut omnes Sancti, qui postmodum in Cælum recepti fuerunt, nondum repleverint sedes, quas nocentes Spiritus vacuas reliquerunt in gloria, quæ illis erat præparata. Sed si Deus tanta cum severitate animadvertit in Angelos superbos; non minus magnificus est in præmiis, quæ humilibus elargitur. Quis satis digne exhibere posset ad quem sublimem gloriæ gradum S. Michael fuerit evectus, postquam adeo generose divinæ Majestatis jura propugnavit contra impotentem usurpatorem hunc, Throno Dei potiri molientem? Coronavit Deus immortali gloriæ suæ diademate fidelis hujus propugnatoris humilitatem, non secus ac omnium beatorum Spirituum, qui legitimo Regi suo debitum honorem adhibuerunt. Recepit illos in regnum suum, vocavit illos in partem beatitudinis suæ, eosque in amore suo, & sanctitate confirmavit. Neque satis esse ratus illos in cælo gloria, & honore cumulare, vult etiam eos in terris coli ab hominibus, qui reverentia, & veneratione tenentur Sanctos Angelos prosequi, quemadmodum illi nos amore, & charitate prosequuntur. Illi curam gerunt salutis nostræ; precibus nostris suas adjiciunt, & ut quodam in sensu divinam cogant bonitatem, ut nostri misereatur, Divinæ Majestati vota nostra præsentant.

Sancti Angeli adeo solliciti sunt, ut de nobis quam optime mereantur, ut sæpe ex manifestis nos eruant periculis, cum de rebus nostris actum omnino videtur. Hæc omnia palam fiunt per ea, quæ S. Petri Angelus fecit, ut hunc de carcere liberaret; quem solvit catenis, & de manu militum custodientium illum abduxit. Excitavit illum hospitem Angelus, carcerem luce replevit, in libertatem vindicavit, eique ostendit viam, quæ de Herodis manu, & Judæorum expectatione fugam capesseret. Obscurus hic carcer nobis exhibet peccatoris ignorantiam? catenæ, peccata ipsa, quæ hominem vinciunt, & futura sunt causa damnationis ejusdem. Milites duo, pravam peccandi consuetudinem, & inanem vitæ dandi proferendæ spem. Somnus, inanem in Dei misericordia præsumptionem, quæ peccatorem tanquam lethargia laborantem tenet, donec per divinam bonitatem Angelus animam illuminat, concutit, excitat, efficitque, ut deplorabilem conscientiæ suæ statum agnoscat.

Lucifer & reliqui ejus socii statim ac desciverunt a Deo, & rebellionis consilium inierunt contra supremam illius potestatem, ad superbiam vindictam, & sequendam humiliationem.

Custodem Angelorum in nobis juvandis cura in exemplo S. Petri in carcere positi ostenditur.

Applicationes Scripturarum huic argumento.

Custodes Angeli ad nostram securitatem invigilare non secus ac milites in excubiis arbitrio aut exercitus.

I *Ministret Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Ps. 33. Per Angelos Custodes exercet Deus præcipue providentiam suam erga homines, & arcet occasiones, quæ saluti nostræ possunt officere. Non dicit Propheta Angelum intra nos futurum, sed positum iri tanquam vigilem in circuitu nostri, ad prævertenda ea, quæ nobis ingruere possent pericula. Ita Angelus, qui Tobiæ dux erat, amovebat ab ejus itinere omnia pericula, quæ illi nocere poterant, & delevit monstrum, a quo poterat devorari. Ita Angelus, quem Deus misit ad Loth, qui procul dubio erat illius Angelus Custos, ei persuasit, ut in proximum montem se reciperet ad evitandum incendium universale, quod urbi impendebat. Tu decrevisti temet in occasionem projicere, quæris periculosam hanc societatem; nescio quod occurrit impedimentum, quod tuam fefellit spem; Custos Angelus tuus illud tibi objecit, atque hoc pacto te removit a lapsu, cum alioquin certissime casurus esses; Prævidit enim te ea in societate certissime peccaturum. Removit hanc tentationem, & illuminavit rationem tuam tibi ostendens naufragium, quod eras facturus.

Custodes Angeli efficiunt, ut damnosis evitemus infortuniis, & omnibus periculis eruant.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, non timebit a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano, Ps. 90. Nonne beati sumus, qui pugnamus & vincimus sub præsidio Angelorum Sanctorum, qui nobis undique circumstant? Et nonne sancta cum securitate vivere possumus in periculis maxime urgentibus post hoc Prophetæ promissum? Ne timeas a timore nocturno, a negotio perambulante in tenebris; Angelus enim Domini illuminabit vos, & aperiet omnes versutias, & laqueos, quos importunus hostis vobis in singula struit momenta. Ne timeas sagittas volantes interdiu, neque dæmonem meridie sævientem, ac vos palam oppugnantem. Satis es potens ad illum evitandum, ac superandum. De illo facile triumphum agere vales, quandoquidem lateribus suis Angelus adstat, quem curæ tuæ præfecit Deus. Ita ille de rebus tuis cum Deo agit, tanquam Interpres; efficit ut de dæmonibus victoriam referas, tanquam defensor tuus, ita tibi dux est, lux, & præsidium in omnibus occasionibus, & periculis, in quæ potes incidere, & ubi sine ope illius in salutis discrimine versaberis.

Angelus Custos solicitum se agit, quod Angelus S. Petri in carcere.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90. Quis dicendo assequi posset ex quot periculis, funestisque casibus Custodes Angeli præservaverint, atque præservent mortales? Sed potissimum ad animarum salutem indefinenter invigilant pro nostra Sanctificatione, ac salute, nobisque a Dei bonitate promerentur gratias, quibus ad sanctitatem indipiscendam egemus. Quoties nobiscum spiritualiter faciunt, quod Sancti Petri Angelus corporaliter egit cum illo, juxta ea quæ in Actorum libro leguntur? Videlicet cum in obscuro peccatorum nostrorum carcere claudimur incompositarum cupiditatum nostrarum catenis onusti; periculoso vitæ languentis tepore sopiti, illi per charitatem & interiores afflatus nos excitant. Non secus ac Angelus ille, uti Sanctus Lucas testatur ibidem, præsentia sua obscurum carcerem magno lumine replet: *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo*: ita Angeli nostri interioribus claritatibus suis nos illuminant. Hi sunt amantissimi Magistri, qui nos erudiunt, & aperiunt nobis voluntatem Dei; ita nos deducunt in omnibus negotiis, quæ suscipimus, & faciant, ut evitemus omnia, quæ saluti nostræ essent nocitura. Act. 12.

Custos Angelus semper noster est quocunque in loco, statu, regione simus.

Angelus meus vobiscum est. Baruch 6. Sufficit nos Christiana Religione edoceri, nos singulos habere custodes Angelos, qui nos vident, licet non videantur a nobis, qui noctu, & interdiu, seu loquamur, seu sileamus, seu sedeamus, seu ambulemus, nostris adstant lateribus colligentes omnia verba nostra, & gressus nostros ea facilitate, qua illa percipiunt: *Ubicunque sunt, & quid geratur tam facile sciunt, quam enuntiant.* Ut nobis comites adsint, & non in morte nos deserant, a divina Providentia positi sunt ut nostræ securitati prospiciant: *Angelus meus vobiscum est.* Deus illos præposuit, ut observarent ea, quæcumque facimus, eique rationem reddant, licet omnia teneat: possit illos tanquam fideles testes, quorum integritatem corrumpere non possumus, neque vigilantiam decipere, nec sapientiam fallere, neque aspectum fugere, neque eludere testimonium: *Angelus vobiscum est.* Poteritis quidem alterius cujuspiam præsentiam evitare, mutatis vestibus, & nomine; de civitate in civitatem migrando, de regno in regnum; sed omnia hæc in irritum cedunt coram Angelo vestro. Quocunque pergas, te sequitur; in invias, deviasque solitudines conscende, tecum est, & Deus communicavit illi, Sanctus Bernardus ait, nonnihil de immensitate sua, ut illum curæ tuæ præficeret, cum hoc discrimine, quod Deus immensus est per naturam, & Angelus per delegationem; Deus est vita animæ nostræ, & Angelus socius est incolatus, & itineris nostri. Tertull. Apol. c. 22.

Angelus habet exemplar amici fidelis qualitates.

Amicus fidelis protectio fortis, amico fideli nulla comparatio, Eccles. 6. Quare in vita quamlibet consolationem, & protectionem inquiras, nullam reperies vel suaviorem vel tutiorem illi veri, perfectique amici, cum quo *nulla comparatio est*, inquit Spiritus Sanctus. Unum talem invenire, est invenire thesaurum, est detegere fontem salutis & immortalitatis. Amicus id genus, est alter tu ipse; tua suscipit negotia, res agit tuas, & in utriusque fortunæ partem accedit. Prudens amicus non detegit quæ celanda sunt, & officium suum putat non tacere ea, quæ ab omnibus cognosci tua refert. Amicus perspicax, & doctus bona tantum tibi præbet consilia. Amicus incorruptibilis; fides ejus nullis tentationibus potest labefactari. Sunt amici verbosi, & officiosi, plurima pollicentur, & nihil agunt. Sunt amici pleni vanitate; jactitant beneficia, quibus te cumularunt, vel quibus te cumulaviſſe comminiscuntur. Sunt amici commessationum, auxilium præstant ut bona tua obligurias, cum dives es; ubi vero pauper, te deserunt. Sunt perfidi amici, contra te secretis, & beneficiis tuis abutuntur. Sunt imprudentes amici; te amant, sed cum illis consilium desit, eorum obest potius, quam profit amicitia. Denique inutiles sunt amici, vellent quidem prodesse tibi, sed bona illorum voluntas effectu destituta est. Ex diversis hisce amicorum generibus, qua in classe Angelos tuos locas? Existimabis illos adulatores, imprudentes, cupidos? Sed quomodonam his vitiis possint diffluere? Tu illis opellam tuam præstare minime potes. Illorum felicitas & gloria minime pendent ab illis omnibus, quæ ipse illis conferre vales; Dei solum gloriam, tuamque salutem quærunt. Si dubitas de præclaris officiis, quibus de te per singula momenta benemerentur; Scripturas evolve, & ex iis, quæ in lege veteri acciderunt, colliges, quid in nova ab eorum curis valeas expectare.

Angeli Custodes ergo

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & cu-

Digitized by Google

& custodiet te in via, & introducet in locum, quem paravi. Exod. 23. Verba hæc singillatim animadvertenda sunt; nullum est, quod non præclarum nobis affruat conceptum optimorum officiorum, quæ a Custodibus Angelis nobis exhibentur. Præcedunt nos. Hi nos iter ostendunt quod sequamur. Hi nos amovent a periculis, in quæ incideremus, si nostris tantum viribus confideremus. Neque satis est nos in viam bonam deducere, tuentur etiam contra inimicorum nostrorum incursus. Postquam princeps Angelorum per rebellionem suam tertiam stellarum partem detraxit, postquam Lucifer, & angeli ejus apostatæ de Paradiso deturbati, & præcipites in infernum dejecti fuere, omnes ad nos perdendos excogitarunt artes. Antiquus ille, & irreconciliabilis humani generis inimicus eos laqueis suis irretire, & secum in abyssum illodet pertrahere; huic quidem inconditum bonorum terræ hujus amorem inspirat, alium edacitatis scelere tentat; illum impudicitiæ, alium invidiæ; varia scrutatur hominum studia, singulorum curas, & occupationes examinat, motus, & secretissimas vestigat affectiones, & quo magis invenit aliquem in aliquod vitium proclivem, eo magis vitii ejusdem occasiones objectat, ut facilius in præceps ruat. Quid faceremus si tam crudelibus, callidisque hostibus obsessis Deus non dedisset Custodes Angelos, quibus tantum esset erga nos charitatis, quantum crudelitatis ac furoris improbis spiritibus inest? Opponunt autem spiritus spiritibus, inspirationes suggestionibus, protectionem persecutioni, vigilantiam Charitatis vigilantiæ improbitatis, & invidiæ. Denique boni sunt, fideleſque Custodes nostri, qui curam subeunt deducendi nos in locum nobis paratum, videlicet in Cælum, ad beatam hanc patriam, ad quam nunquam nimis crebro oculos attollere possumus. Itaque quænam nobis habendi fiducia est erga Custodes Angelos nostros; & qua cum humilitate, & gratiarum actione pensare debemus curas omnes, quas jugiter salutis nostræ suscipiunt?

Varia Angelorum Custodum merita; & varia pericula quæ per illos evitamus. *Act.* 12.

Angelis suis mandavit de te. Psalm. 90. Cum in Cæli via quamplurima occurrant pericula, & jugiter salus nostra versetur in discrimine, Custodes Angeli in periculosissimis occasionibus nobis assistunt: *ut custodiant te in omnibus viis tuis*. In lubrico, in periculosissimis occasionibus, in manifestis periculis sive animæ, sive corporis, *in viis omnibus* curam gerunt nostrum particularem. Sæpe secus oram abyssi sopore capimur, & si paullo magis procedimus, de nobis actum est; tunc nos Angelus excitat, ut olim S. Petrum in carcere: *Surge velociter*, Adolescens qui temet huic periculo immiscuisti, & in periculosa necessitudine hac. Hic Angelus vigilat, cum nos in lethargiam lapsi videmur, & in omnimoda salutis nostræ oblivione sepulti: *Surge velociter*. Egredere ex hoc loco, domum hanc defere, frange vincula, quibus arcte adeo inclusus teneris: quam primum fuge malum, quod non nisi fugiendo evitare potes. Modo nos interiori admonet præsensu: ignoramus undenam proficiscatur, & quid sibi velit. Sed si fuissemus eo in loco secundum consuetudinem, quemadmodum nos facturos esse disposueramus; jam erat actum de nobis. Nescimus quinam a cervicibus nostris tantam calamitatem averterit; sed hic Sanctus Angelus est, qui in viis omnibus nos deducit: *In omnibus viis tuis*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & sententia Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Grandis est cura Deo de nobis, & magnus dilectionis affectus erga nos. Angelos commisisse ad hominum custodiam: & hoc propter honorem suæ ineffabilis Charitatis, qua dilexit nos. S. Augustinus.

Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodia sui Angelum deputatum. S. Hieronymus supra Matthæum.

Angeli in ministerium humanæ salutis missi. S. Isidorus lib. de summo bono.

Ubique sunt Angeli, & quid geratur, tam facile sciant, quam enuntiant. Tertull. in Apologet. c. 21.

Si homo non acquieſcit monitis Angeli, qui sibi deputatur ad salutem, auferre monita. S. August.

Lucifer quanto sapientior, & celsior fuit, tanto deterius deliquit, & gravius ruit. Idem lib. cur Deus homo.

Angeli ad ministerium pro nostra salute semper mittuntur. S. Gregor. in Pastor.

Angelus ut contubernalis, anima inest. S. Bernard. l. 5. de consider. c. 3.

Irrepercussa mentis acie divinorum judiciorum abyssum intuentur. Idem.

Caute ambula, ubi sunt Angeli, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Idem.

Angelis suis mandavit de te .... mira dignatio? & vere magna dilectio charitatis? Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? Idem in Psalmum, Qui habitat.

Summa ergo Majestas mandavit, Angelis, & Angelis suis mandavit: illis utique sublimibus, tam beatis, & vere domesticis mandavit de te: sed quid putas mandavit de te? ut custodiant te. Idem ibid.

Quamnam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Idem ibidem.

In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habet. Idem Ibidem.

Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? Idem ibidem.

Affectuose diligamus Angelos ejus tanquam futuros aliquando cohæredes nostros: interim vero actores, & tutores a Patre positos, & præpositos nobis. Idem ibidem.

Quid sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Idem ibidem.

Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; quid trepidamus? Idem ibidem.

Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invita custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum. Idem ibidem.

Diligunt Angeli cives suos: & quos sua ruina scissuras instaurare expectant: ideo magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis, & locis succurrentes, & providentes necessitatibus nostris. S. August. in Soliloq.

Angelum habet unusquisque credentium; si ergo Angelos habemus, sobrii simus, tanquam si pedagogi quidam nobis adessent. S. Chrysostomus in Epist. ad Colossi. Homil. 3.

Omni credenti in Dominum Angelus assidet, si non ipsum nos per prava opera fugaverimus. S. Basil. Homil. 9. in Psalm. 33.

Mecum habeo custodem corporis mei Angelum Domini, qui me inviolatam servabit. S. Ambrosius de Sancta Agnete.

Angelos ad nostram custodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offensam negligentia cumulamus. Petrus Damiani Serm. de Exalt. Crucis.

PARAGRAPHUS V.

Quid in hoc argumento ex Theologia locis hauriri possit.

Angeli spirituales licet naturæ perpetuum habent cum hominibus commercium ut illis in salutis negotio opitulentur.

ETsi homines per naturæ inæqualitatem, status discrimen, & cælorum distantiam, qua terra in qua sumus, distat ab Empyreo, ubi Beati hi Spiritus residunt, absint longissime ab Angelis; asseri tamen potest perpetuum intercedere commercium cælum inter ac terras, & inter Angelos licet spirituales, ac beatos, & homines quamdam societatis, & affinitatis speciem inveniri, quæ cum secreta sit, atque interior, non cessat tamen quominus efficiat, ut illi nobiscum permaneant, & in mundo versentur. Fundamentalis hujus unionis ratio desumitur ab ordine, quem servat Deus in communi providentia, passim superioribus uteris causis, ut regat, & adducat ad se inferiores, & beatorum horum Spirituum operam in omnibus providentiæ suæ muneribus adhibens. Quoniam homines singuli singulos habent Angelos, quorum curæ crediti sunt, & qui per manus nos accipiunt ex primo nativitatis nostræ momento, & jugiter nobis regundis attenti sunt, ut hac arte assequamur salutem, ad quam sumus destinati. Hinc S. Hieronymus dixit: *Magna est dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodia sui Angelum deputatum*. Revereamur hunc Providentiæ ordinem erga nos, & ut, quantum in nobis est, hanc societatem, & commercium instituamus, cogitemus maxima Angelorum Custodum erga mortales officia, ut nos in salutis portum adducant futuros eorum gloriæ consortes.

Deus perfectius repræsentavit se in nobilibus hisce spiritibus, quam in aliis creaturis.

Deus Angelos ex nihilo eduxit tamquam nobilissimas essentiæ suæ imagines; & hæc ratio est, qua S. Thomas utitur Angelorum probaturus existentiam. Etenim intentio Dei creaturas formantis, ex S. hujus Doctoris sententia est, sese in illis exhibere; & in illis imperfectissime tantum sese exhibuisset, nisi creasset Spirituales intelligentias a materia expeditas, sicut ipse est. Creaturæ anima sensuque carentes sunt veluti crassiores deformationes, ubi informia quædam videntur lineamenta perfectionum Dei. Lineamenta hæc in sensibilibus, & rationabilibus creatis magis elucent; sed multo magis renident in substantiis, quæ omnino spirituales & intelligentes sunt, quales sunt Angeli. Hæ creaturæ sunt luminibus repletæ, & radiis divinitatis renidentes, locupletatæ perfecta sapientia, & admirabili agendi vi præditæ in operationibus ejus. Admirabilis est virtus eorum, & minimus ex beatorum eorum Spirituum numero sufficere posset ad exercitus integros exterminandos. Quinam decoris luce perfusi apparuerunt in oculis Creatoris sui; cum tot naturæ ipsorum bona commendata fuerunt repercussione divini luminis, quod creaturam supra se ipsam attollit, ac in essentiam transfert supernaturalem? Hæc nobilis est naturæ divinæ participatio, quæ imprimit in creatura veram Dei similitudinem, eamque divinitatis splendoribus exornat. Adoremus infinitam potestatem hanc, quæ creat entia adeo perfecta cum tanta facilitate, quanta minima terræ animantia, sicuti Regi potenti eodem est in discrimine ex thesauris suis ingentem lapidem pretiosum, ac teruntium haurire. Elevemus mentes nostras usque ad sedem gloriæ Dei, cujus thronus circumdatus est innumeris copiis Spirituum Beatorum, qui pulcherrimis redimiti radiis divinitatis, per

Digitized by Google

obsequium suum illi reddunt lucem suam, quam inde recipiunt. Deus qui in eo suam constituit felicitatem, ut semet in Divino Verbo, substantiali sua imagine consideret, sibi etiam complacet conjiciens oculos in eximias has suarum perfectionum imagines, in quibus extra illud ea, qui fieri poterat præstantia sese repræsentavit.

Difficile est Angelorum naturam explicare & cur D. Thom. q. 50. ar. 1.

Cum juxta D. Thomæ doctrinam in Angelorum creatione Deus ad eum finem pervenerit, quem omnes sibi proponunt causæ, hoc est producendi, quantum fieri potest, effecta sibi similia; cumque juxta hoc principium hi puri Spiritus a materia expediti super omnia creata magis accedant ad Spiritualitatem Dei; mirum esse non debet, si difficile est eorum explicare naturam, & quid re ipsa sint ad unguem definire. Non loquor solum de Hæreticis, qui hoc in argumento in gravissimos errores inciderunt; & minus adhuc de Sadducæis, qui Angelos esse negabant: de pluribus Ecclesiæ Patribus loquor, qui in hoc de Cælestibus Spiritibus tractatu in varias visi sunt abiisse sententias. Num Spirituales istæ intelligentiæ conflatæ sunt ex eo quod in aere purissimum est, & acerrimum in igne? Hæc fuit Sanctorum Justini, & Maximi opinio. Sunt ne corporei, an corporibus conjuncti? Hoc credidit Tertullianus, eo usque, ut S. Bernardi ævo cum nondum de his variis opinionibus quidquam constitutum fuisset? Pater hic fatetur, se quid dicendum sit ignorare. Hodierna quoque die, postquam Ecclesia suum explicuit sensum in quarta Synodo Lateranensi dicens hos meros esse spiritus incorruptibiles, & ab omni materia expeditos, num melius eorum naturam cognoscimus, & exactam eorum definitionem possumus proferre? Sed si illorum naturam cognoscere non datur, cognoscimus saltem id quod illi extra se ipsos operantur. Latet nos eorum essentia; sed operationes, & officia eorum non latent. Quæris ne quænam sit eorum natura? Est esse Spiritus, respondet S. Gregorius; vis scire, quodnam sit eorum officium? est Angelos esse. Non cognoscuntur, tamen illorum plena terra est. Nihil de eorum qualitatibus, aut differentiis dicit Scriptura; sed toties, ac tot in locis de eorum apparitionibus, ministerio, meritis erga homines, eorumque assiduitate, qua illorum intersunt actionibus, verba facit, ut dubitare minime liceat.

Act. 23.

Lib. 3. de Consid. c. 4.

Conc. Lat. c. 2. sub Innocent. III.

Homil. 3. in Evang.

Angeli non alia habent nomina nisi quæ ab officiis eorum proficiscuntur.

Doctores, & Ecclesiæ Patres docent non alia esse Angelis nomina, nisi quæ ab ipsorum officiis derivantur: cumque specie differant inter se, non esse cur per nomina, sicut homines distinguantur. Et sane qui juniorem Tobiam comitatus est, Raphael vocatur, medicus Dei, quia oculorum aciem seniori tribuit, & admirabili ea curatione omnia concluserit officia, quæ pia illi familiæ præstiterat. Qui salutem nostram Sanctissimæ nuntiavit Virgini, eamque docuit, a Dei Verbo delectam fuisse, ut ipsius Mater existeret, nomen a legatione sua mutuatus Gabriel appellatus fuit, videlicet, homo Dei, ut nomine suo mysterium exprimeret, quod mundo nuntiaret, & S. Michaeli nomen a Dei ipsius gloria factum est, quam strenue propugnaverat contra illos, qui eamdem per impotentiam lacessere ausi fuerant.

Quænam sint generatim Angelorum perfectiones?

Ut nobis aliquem astruamus conceptum de natura, & perfectionibus Angelorum, considerari potest ipsorum natura, & substantia; eorum facultates, & potestates essentiæ eorum convenientes; operationes, gratia qua illos ornavit Deus, & gloria, quam adepti sunt. Angeli sunt intelligentiæ prorsus spirituales, spiritus ab omni materia expediti, quapropter sunt Creaturæ Deo propiores, & divinæ essentiæ magis similes. Cum ipsæ non constent ullis corporeis qualitatibus, non uti nos, obnoxii necessitati moriendi. Sunt immortales & non subjecti infirmitatibus, aut miseriis, quæ a natura nostra nequeunt avelli. Intellectus eorum adeo suapte natura subtilis est acer, ac vivis luminibus illustratus, ut rerum naturam penetret, earumque substantias scrutetur. Intellectus eorum non indiget argumentis, ut noster; ipse statim abditissimas aperit veritates, nunquam viventia hæc lumina ignorantiæ tenebris obscurata fuere; nam ex primo creationis suæ momento Deus mentem eorum omnibus necessariis speciebus replevit, ut perfectam haberent rerum naturalium perspectionem. Memoria illorum est tenax adeo, ut nihil eorum, quæ concipit, eam fallat; non temporum diuturnitas, non objectorum diversitas eidem officiat. Eorum voluntas ab omni mutatione semota, constans, & inconcussa perseverat in bono, quin in susceptis nutet consiliis. Potestas illorum par est magnitudini, & essentiæ nobilitati, ita ut eorum virtus impressionem facere valeat in omnia creata, & corporea. Unus Angelus levi negotio posset terram universam movere; & subvertere, & quinque annorum millia excesserunt ex quo unus ex his Cælestibus Spiritibus circumagit primum Cælum, quod immane adeo est, ut illius habita ratione terra unicum punctum videatur. Unus Angelus ut constat, centum & octuaginta quinque militum millia de Assyriorum exercitu nocte una interemit. Eorum autem agilitas tanta est, ut sit nostro aspectu, & cogitatione celerior. Cum Deus illos omnibus his præcellentibus qualitatibus decoraverit; iisdem utitur pro mundi regimine. Hæ sunt Cælestes Intelligentiæ, quæ Cælos movent, quæ Solem ducunt, Astrorumque cursum moderantur. Hæ denique sunt, quæ variis servant species ad Universorum bonum, & perfectionem necessarias.

Duplicem habent cum Deo relationem. Isidorus de summo bono.

Cælestes hi Spiritus duplicem habent cum Deo relationem, alteram propter mandata, quæ exequuntur, alteram propter gloriam, quam illi procurant. Egrediuntur quodammodo a Deo, quia ab illius Providentia mittuntur: *In ministerium humanæ salutis missi*, sed manent in Deo, quia semper vident Deum, ejusque gloria fruuntur. Incessanter Beati sunt, & nullam in gloria sua mutationem patiuntur: cumque alioquin Deus ubique sit essentialiter, nunquam ab ejus conspectu recedunt. Gerunt ubique Paradisum suum, & tunc etiam cum occupati sunt in impiis, atque sceleratissimis hominibus, semper inveniunt in Deo suam felicitatem, & gloriam: quæ res Beatis his Spiritibus tribuit rationes, & media efficaciter obeundi munus mediatorum; quia in Dei visione reperiunt, unde animare possint suam erga nos Charitatem; simulque media agendi de salute nostra coram Divinæ Majestatis solio.

Angeli Sancti creati fuerunt in statu gratiæ & cum libertate indifferentiæ non secus ac nostri progenitores.

Si consideramus sublimes has intelligentias ad supernaturalem statum evectas, inveniemus illas posse bona toto Cælo majora iis, quæ ipsi nobis fingere valeamus. Præstantissimi Spiritus isti in gratiæ statu creati fuerunt, & ornati omnibus supernaturalibus habitibus, qui ad Deum amandum, & cognoscendum sunt necessarii. Primus vitæ eorum actus, fuit actus intellectus de adorabilibus Creatoris sui perfectionibus, quam subsecutus est actus voluntatis, quo inceperunt amare Deum a suæ creationis momento. Neque solum primo illo momento gratiam consecuti sunt; verum etiam eadem optime usi sunt, & libertatis suæ exercitatione repleverunt electionem, & vocationem suam ad gloriam. Crediderunt quidquid illis revelavit Deus præsertim vero Incarnationis Mysterium; ac se se humiliantes, in conspectu nihili sui cum reverentia omnia Dei decreta acceperunt, & venerati sunt. Postmodum sua præstiterunt obsequia Deo homini facto, fortiter resistentes omnibus rebellis Angeli, & conjuratorum ejus tentationibus qui illos amovere conabantur a cultu, & amore Jesu Christi. Extollamus igitur cogitationes nostras, ut illos contemplemur in gloria, & videamus primos hos Cælestis Jerosolymæ cultores, hos Principes, qui Aulam Regis Regum constituunt, qui sepiunt Dei thronum, & qui incessanter laudes ejus concelebrant. Ducibus Angelis Custodibus nostris ingrediamur in Empyreum, ut reverenter ibi consideremus innumerabilem vim Spirituum Beatorum, qui secundum D. Thomæ sententiam numero superant non solum Cæli Stellas, verum etiam maris arenas. De multitudine hac loquitur Daniel, quam credimus in choros novem divisam, quorum singuli sua habent officia. *Millia millium ministrabant ei; & decies centena millia assistebant ei.* P. Texier.

Angeli ad tempus aliquod libertate usi sunt, ut gloriam promererentur.

Permisit Deus Angelis temporis spatium; ut per sanctum gratiæ usum æternam in beatitudine confirmationem mererentur. Spatium hoc momentum fuit, neque enim majus requiritur in Spiritu ad voluntatis suæ actum eliciendum. Angelorum peccatum non aliud esse potest nisi superbia; sibi superbe complacere in pulchritudine sua; inordinatus amor proprix excellentiæ, vel injustum desiderium magnitudinis, ad quam jus habere non possunt. De subjecto sceleris eorum variant sententiæ. Alii tenent illos Divino Verbo cultum detrectasse, eo quod cum natura sequiori conjunctum erat: alii putant, illos viribus suis præfidentes eo intumuisse, ut se pares arbitrarentur acquirendæ beatitudini sine Dei gratia: & plurimi tandem asserunt, ipsos peccasse finentes se pulchritudinis suæ splendore perstringi, & quin illam tanquam principio suo referrent acceptam, eique tanquam novissimo fini suo adhærerent, se se credidisse æque potentes, ut se se ad eamdem altitudinem proveherent. Cum igitur Angelo unicum consilii ineundi momentum fuisset permissum, quandoquidem pluribus non erat opus, ut eliceret actum voluntatis suæ, in malum lapsus est, & in rebellionem contra Creatorem suum, in qua inflexibilis mansit. Ita superbus Angelus cum sociis mulctatus fuit supplicio, quod æternum futurum est eo quod æterna illius erit rebellio. Neque satis illi fuit in Deum insurgere, sed vellet etiam omnes homines in scelus pertrahere, ut eos omnes secum miseros faceret. Cum enim nequeat noxiam voluntatis suæ dispositionem mutare; crimen illius semel commissum omnem illi spem abstulit redeundi ad misericordiam. S. Michael e contra, & Angeli Sancti, qui tunc permanserunt in submissione, quam debebant Deo, confirmati fuerunt in gratia, & constituti in beatitudine, cujus nequeunt jacturam pati; quia eamdem habentes in bono inflexibilitatem, quam alii habent in malo; horum felicitas esse debet æterna, non secus ac illorum damnatio.

Momento quo Angeli creati fuere, Deus illis aperit consilium conjungendi hypostatice hominem cum persona Verbi; cum causa fuit rebellionis.

Communis Patrum, Doctorumque sententia est, Cum Deus Angelos in gratiæ statu creaverit, voluisse, ut beatitudinem, gloriamque promererentur per actum libertatis suæ. Hac de causa reliquit illos in via, hoc est, in statu, in quo bene, vel male possent mereri. Per id tempus aperuit illis Deus partem consiliorum adorabilis Providentiæ suæ, & præsertim se iniisse consi-

Digitized by Google

consilium de hypostatice conjungendo Verbo suo cum humana natura, & de evocanda huminitate hic per divinitatem conferenda in partem omnium bonorum divinitatis; ideoque velle, *ut omnes Angeli adorent eum*. Consilium hoc homini adeo decorum re integra Luciferum avertit, qui seipsum simul quatuor inconditis motibus agitatum sensit; invidia nempe humanæ felicitatis; superbia propter proprias perfectiones; murmure contra Deum; & odio contra Verbum Divinum. Spiritus hic propriis excæcatus luminibus, insanis suis se cogitationibus mancipat; simulque concipit odium irreconciliabile in Jesum Christum, quem jam videt in mente Dei gloria coronatum. Infrendet in hunc, eique sceptrum vellet auferre, & vitam etiam eripere, si posset; unionis hypostaticæ honorem eidem detrectans. Hoc in sensu quidam Interpretes inquiunt, a Salvatore dæmonem homicidam vocatum fuisse, adversantem consilio, quod habebat Deus illi vitam tribuendi: *Ille homicida est ab initio*. Hic igitur rebellis Angelus se trahi sinens injustis, ac inordinatis his motibus se in conjurationis caput evexit; & ferere incepit defectionem, ac rebellionem inter Angelos: cumque esset spiritus potens, & versutus, efficere valuit acres impressiones in ils, quos sollicitavit; ita ut S. Joannes dicat furentem hunc Draconem cauda tertiam stellarum partem pertraxisse, hoc est tertiam Angelorum partem corrupisse: *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum Cæli*. Alios etiam conatus est dolis, ac persuasionibus in sententiam suam allicere, cum S. Michael perniciosis illius consiliis adversatus pro Dei causa stetit & justum Jesum Christi gloriæ defensorem, vindicemque se præbuit; quamobrem Cælum pulcherrimis verbis illis personuit: *Quis ut Deus?* Quis Deo similis? Quis Dei consiliis potest adversari? Qui Deum amat, me sequatur, & suum testetur obedientiam.

Primum officium, quod Theologi verbo Dei innixi Sanctis Angelis assignant, est esse coram Deo *assistentes*, ut loquuntur Doctores. Adstant enim coram divinæ Majestatis solio. Quo in munere obeundo Propheta Daniel vidit astantes in Cælo spiritus, quorum multitudo ex eorumdem Doctorum sententia superat omnium corporearum creaturarum multitudinem: *Millia millium, & decies centena millia assistebant ei*. Horum in capessendis Dei mandatis alacritas tanta est, ut non solum præsto sint semper ad minimum divinæ voluntatis nutum, sed agendi modo prorsus peculiari, & contrario illi aliorum Ministrorum, qui Regum suorum audiunt imperia, antequam exequantur illa, cum illi, Propheta inquit, exequantur ea, ut audiant: *Qui faciunt verbum ejus ad audiendam vocem sermonum ejus*. Videlicet in illis obeundis tantum ardorem testantur, ut momento exequantur illa, ut statim se se coram Deo statuant nova mandata excepturi. Eorum scientia, industria, virtus, potestas sunt ita admirabiles, ut unus universo mundo regendo par esset, quin locorum distantia posset illum separare a felicitate sua, nec hominum, & negotiorum multitudo illum confundere posset, vel distrahere a supremi boni sui visione. Hi sunt Principes illi, & Aulici Cælestes adeo magni, adeo sapientes, & potentes, qui nostri sunt apud Divinam Majestatem mediatores, & Angeli, ut transigant salutis nostræ negotium; & hæc eadem præsentia, & visio Dei eorum gloriam, supremumque honorem constituit; inde hauriunt causas ardentis hujus Charitatis, qui erga nos flagrant: quasi eorum felicitas sine nostra esse non posset; & omnes eorum prærogativæ ideo illis attributæ fuissent, ut illos aptiores, & paratiores ad nobis serendam opem efficerent.

Universalis Ecclesiæ sententia est, singulis nostrum singulos esse Custodes Angelos, quibus Dei Providentia nos commisit, ut nobis ad æternam vitam acquirendam ferrent opem. Deus, dicit Propheta, mandavit Angelis, ut nos in omnibus vlis nostris custodiant; & Dei Filius in Evangelio, cavete ne contemnatis unum ex parvulis hisce pueris; dico enim vobis, quia Angeli eorum incessanter contemplantur faciem Patris mei, qui in Cælis est. Hæc vera fides efficere debet, ut coram illis summo nosmet in officio contineamus; quandoquidem certum est illos jugiter assidere nobis, & nunquam a nobis recedere a primo nostræ nativitatis momento ad illud, quo in Cælum ingredimur. Ex his Cælestibus Spiritibus alii Cælos moderantur, motumque adeo celerem immanibus his molibus tribuunt, ut explicari non possit, ita institutum, ut nulla hominum ars illum imitari valeat, & Infirmis hisce elementis adeo jucundum, ut omnis mundi concentus, & universale naturæ bonum ex eorum influxibus pendeat. Alii Regna regunt, & ut S. Clemens testatur, quælibet natio habet protectorem suum, qui illius curam gerit peculiarem. Exempli gratia, est Tutelaris Galliarum Angelus, alius Hispaniarum, alius item Italiæ; & in Sanctis Litteris unum reperimus qui Persarum Princeps appellatur; quia communi Imperii illius utilitati vigilat. Sunt quidam destinati Religiosarum Provinciarum Patrocinio, quemadmodum S. Thomas animadvertit; aliis demandata cura est Ecclesiarum, atque Templorum Deo dicatorum. Hinc fit quod S. Gregorius Nazianzenus vale dicens Byzantinis civibus, non prætermittit honorem deferre Angelis Ecclesiæ protectoribus, in qua verba faciebat. Patres quidem tenent non deesse Angelos peculiarium Domorum, earum vero præsertim ubi boni habitant, Patronos; nec desunt, qui alterum Angelum, qui parvulum Ismael ab interitu vindicavit, fuisse custodem Domus Abrahæ. Quomodocumque se res habeat, extra omnem dubitationis aleam est; singulos homines habere suum, qui eorum tutor & gubernator est, quod maxime decet potentiæ, sapientiæ, & bonitati Dei, quemadmodum S. Bonaventura testatur.

Dei magnitudini honorificum est subjectos habere Spiritus adeo nobiles; & sapientiæ ejusdem effectus est ima summis conciliare, hoc est Deum, & homines per ea quæ media sunt. Denique divinæ interest bonitatis, humanæ infirmitati præsidium, ac fulcrum adjicere. Providentiæ quoque refert illi custodem præbere, qui illius mores formet, & in omnibus viis deducat. Divinorum horum Aulicorum multitudo tanta est, ut Deus unus illos numerare valeat, *Numquid est numerus militum ejus?* Itaque timendum non est, divinæ Providentiæ ministros posse deficere, qui tot millibus hominum sufficiant; vel ejus aulam desertam fieri, cum hic inferius tantus divinorum spirituum numerus videatur. Facile est recensere milites Regum mundi, sed quis numerando Angelorum numerum assequatur? quandoquidem, Daniele teste, *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Ex Prophetæ verbis intelligi potest, eorum numerum supputari non posse, & juxta complurium Patrum sententiam certum est numerum Angelorum non solum superare numerum hominum, verum etiam creaturarum omnium possibilium. Qua igitur majestate plena est cælestis aula; & quam debemus reverentiam Principibus cæli, quorum decor, sapientia, sanctitas, potestas, dignitas, numerus, multitudo excedit, quidquid fingi potest, & cogitari? Quoniam gaudio replebuntur illi, qui aliquando introducentur in cœtum adeo magnificum; & quo obsequio nos prosequi decet nostrum Custodem Angelum, qui tandiu optimis consiliis, sanctisque affatibus contendit, ut nobis tandem in adeo speciosum Tabernaculum aditus pateat?

De Angelis in primo creationis eorum momento loqui fere licet, uti de Adam in terrestri Paradiso. Creavit Deus primum hunc hominem omnibus naturalibus perfectionibus præditum, atque iis prærogativis, quæ decorem afflare poterant operi, quod ex manibus ejus exierat, & quæ ad æternum gloriam acquirendam conferre poterant. Aliquid illi præcepit, cujus observantia, aut prævaricatio futura erat æternæ illius felicitatis, vel infelicitatis occasio: *In quacunque die comederis, morte morieris*. Simili ratione considerare possumus Angelos ex Dei manu prodeuntes. Creavit illos cum naturali pulchritudine, quæ decet essentiæ ejus præstantiam, eosque omnibus illis ornavit luminibus, ac splendore, qui subtilitati naturæ illius potest congruere: sed ad eorum fidelitatem probandam locumque illi præbendum beatificam sibi visionem promerendi, præcepit illis alicujus legis observandæ rationem, a qua pendebat eorum prædestinatio, vel reprobatio. Eo momento, & in hac circumstantia factum est magnum illud prælium S. Michaelis, & Angelorum bonorum contra dæmones. Hi præsidentes nobilitati essentiæ suæ, & jam obliti Creatoris sui supremæ hujus majestati exæquari voluerunt, ejusque imperiis obsequi detrectarunt. Ille e contra tanquam Imperator cælestis exercitus, eorum defectioni adversatus est, eosque fortitudini suæ, zeloque colere coegit: *Factum est prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone.*

Quam magnæ sunt Dei misericordiæ! Licet omnia per se ipsum facere valeat, tamen secundis causis utitur, ut consilia sua opere compleat. Deus unus, proprie loquendo nos custodit, nos protegit, nos congregat sub alis suis, nos tegit, & circum undique amabili protectione sua, & bonæ voluntatis suæ secreto protegit. Sed quod solus facere posset, hoc facere dignatur ministerio Angelorum suorum, quos ideo Angelos Custodes vocamus. Et tales reapse sunt per plura ipsorum erga nos merita, & præcipue propter tria eorum officia, quæ Spiritus Sanctus in Scripturis Sacris nobis exposuit, & quorum nobis eximium præbere voluit imaginem per ea verba, quæ dixit Deus populo suo: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet te in via, & introducet in locum, quem paravi.*

Scriptura, & Sancti Patres variis nominibus, & epithetis appellant Angelum, qui peculiarem singulorum suscipit curam; ut exprimat quomodo deducat nos, & bonum, quod inde percipimus. S. Chrysostomus illum Pædagogum nostrum appellat, S. Bernardus *castra* nostra vocat explicans illa Patriarchæ Jacob verba, cum habuit visionem Angelorum. Isaias sepem nominat, *Auferam sepem ejus*; & custodem qui pro nobis est in excubiis: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes*. S. Basilius illum Dei oculum, & aurem dicit; oculum, qui nos intuetur; aurem, quæ nos audit, & exaudit. Sed nomen quod accomodatius mihi videtur, & cetera complectens illud est Origenis, qui Angelum nostrum ab aliis *Tutoris* nomine secernit: *Angelis*, ait ille, *velut tutoribus committimur*. Præceptor, vel Pædagogus solum erudit, vigil tuetur; sepes ambit; excubiæ inimicum

Magnitudo & gloria Sanctorum Angelorum desumitur ex præcipuo eorum officio adstandi coram Dei Throno. *Daniel. 7.*

Varia Angelorum officia pro necessitatibus, & salute hominum. *Psalm. 90. Matth. 18.*

Homil. 34.

S. Bonaventura in 2 dist. 11. art. 1. q. 2.

Deo honorificum est habere Angelos suæ voluntatis ministros.

Job 25.

Daniel. 7.

Dei Providentia erga Angelos eadem forme fuit ac erga homines.

Apoc. 12.

Deus cum posset nos regere per se ipsum, adhibere voluit Angelos in hoc ministerio habita infirmitatis nostræ ratione.

Nomina, quæ Sanctæ Litteræ & Sancti Patres tribuêre Angelis Custodibus. *Serm. 36. 13. Caus. Genes. 24. Dist. 3. Hom. 62. Hom. 8. in Genes.*

advenientem detegunt, oculus vigilat, auris audit, & exaudit; Sed hæc omnia complectitur Tutoris officium; quia hic pupillo suo & Pædagogus est, qui illum docet; & castra, quæ illum tuentur, & sepes, quæ pro vallo est, & excubiæ, quæ illum præservent, & oculus, qui invigilet illi, & auris, quæ illum audiat, & manus, quæ illum deducat, & brachium quod illum fulciat, atque sustineat: verbo, illi omnia est, in omnibus necessitatibus ejus. Ita Angelus noster quatenus Tutor hæc omnia simul nobis præstat officia: illius scientia nos docet, fortitudo protegit, cura circumdat, & custodia nobis invigilat. Videt necessitates nostras, audit vota, patitur infirmitates, relevat lapsus, gressusque nostros dirigit: *Angelis, velut tutoribus committimur*. Sed ut singillatim videamus hujus Tutoris amantissimi, ac potentissimi merita, liquet, legibus civilibus cautum esse, Curatorem videlicet bonis tantum, Tutorem vero & bonis, & personæ dari: *Curator bonis, Tutor & bonis, & personæ datur*. Tutor simul pupilli, & personam, & bona servanda sibi sumit, auxilia suppeditat, lites defendit, jura persequitur, corporis curam habet; spiritum excolit, mores format, castigat crimina, coercet excessus, bonis animi affectionibus favet, & nunquam pupillum deserit, nisi ex pueris excesserit, ut in plenæ pubertatis ætatem ingrediatur. Homo secundum leges civiles non est pupillus nisi ad certum usque tempus a legibus præscriptum in iis, quæ ad civilem pertinent vitam; sed in iis, quæ spectant ad Deum, æternamque vitam, infantia, & pupillaris ætas ad finem usque vitæ hujus mortalis extenditur: *Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Ideo Deus nobis Tutores dedit Angelos, tanquam pupillis, qui curam gererent personarum, & bonorum nostrorum, & nos in hac peregrinatione deducunt eo usque æternitatis bona possimus acquirere.

Ad Ephes 4.

Quænam sint nostra erga Custodes Angelos officia. *Serm 11. in Psalm. 90.*

Cum Angeli Custodes nobis inexplicabili cura, & ardenti charitate deserviant, operæ pretium est animadvertere quid illis debeamus pro tot beneficiis quibus ab illis afficimur. S. Bernardus explicans verba illa: *Angelis suis mandavit de te*, ait; *verbum hoc magnam debet nobis afferre devotionem, conferre fiduciam, inferre reverentiam. Devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia, reverentiam pro præsentia*. Unde hauriri possunt significationis animi grati argumenta. Devotionem quia Angeli Custodes nos diligunt, confidentiam quia nos protegunt, reverentiam quia nobis adsunt; Devotionem propter eorum zelum, fiduciam propter eorum curas; reverentiam propter puritatem. Devotio duo illi debet impendere, laudem, & invocationem, illam propter accepta bona, hanc propter ea, quæ expectamus. Ex devotione oritur fiducia in adeo validis præsidiis habendi, ut eorum ope visibiles & invisibiles inimicos superemus. Sed cum devotione, & confidentia comes accedere debet reverentia, ne coram illo nihil admittamus turpe in cogitationibus nostris, nihil impurum in nostris desideriis, nihil injustum in factis.

S. Michael potissimam colendus.

Inter Sanctos Angelos, quos generatim homines omnes colere debent, & præcipue singuli suum, operæ pretium est animadvertere, deberi honorem, amoremque singularem capiti, ac principi ex cælestibus hisce spiritibus, glorioso S. Michaeli, qui est tanquam Imperator in omni cælesti militia. Hic Custos est Ecclesiæ Catholicæ, uti olim erat Synagogæ. Hic ille est secundum S. Thomæ mentem flatus Spiritus Filii Dei, qui Antichristo inferet mortem. Hic ille, qui sub mundi finem dimicaturus est contra Luciferum pro Ecclesia tuenda, quemadmodum ab initio pugnavit pro gloria Dei, & Angelorum defensione. Hic clanget buccina, ut mortuos de sepulcrorum caligine excitet; hic Crucis vexillum in extremum deferet judicium; hic denique ille, a quo omnes terrarum plagæ magna recipiunt beneficia; Gallia vero præsertim, quæ illum tanquam peculiarem patronum colit, & vocat, a quo toties servata fuit inter turbas, quibus prope erat ut premeretur; & qui hoc regnum ab imminenti liberavit excidio, cum rerum summa Carolus VII. potiretur; in cujus rei testimonium victor iste Princeps cum triumphans Rotomagum ingrederetur, præferri sibi jussit Sancti hujus Archangeli simulacrum tanquam liberatoris sui in publicum animi grati monumentum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Licet impossibile sit fusius Angelorum naturam cognoscere, non ideo minus debemus testari illis nostrum grato animi sensum.

VUlgo dicitur, ut quis digne de Angelis loquatur, huic opus esse eorumdem Angelorum lingua, cum sublimes illæ tantum intelligentiæ explicare possint naturæ suæ dignitatem, ordinum, quos componunt differentiam, potestatem quam habent in hæc terrena, & beatitudinis, quam possident, plenitudinem; sed aliunde beneficia, quæ illis debemus, & quæ super omnia vitæ nostræ momenta se extendunt, hujusmodi naturæ sunt, ut sicut hominem esse sufficit, hoc est omnium miseriarum compendium, ut necessitatem eorum auxilii intelligamus, ita omnis exuenda sit humanitas, ne æquissimis animi grati sensibus afficiamur, & ut amplius dicam omnis etiam Christianus affectus abjiciendus sit, ut fiducia, devotione, ac reverentia respondere admitamur amori, vigilantiæ, & jugibus curis, quas nostræ salutis suscipiunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Eorum Ad festum cum summo affectu celebrare debemus.

Æquissimum est, ut omnes homines aliquid conferant ad Angelorum gloriam, & eorum diem festum cum omni affectu, & observantia concelebrent; & profecto non ferendum esset ingrati animi vitium huic officio deesse, quandoquidem beati Spiritus isti tanta cura in Cælo humanæ salutis negotia procurant, & incessanter suas apud Deum adhibent intercessiones, ut nos tandem aliquando faciant suæ felicitatis participes. Sed licet grati animi causa Sanctos Angelos revereri, naturæ eorum præstantia nostra postularet obsequia, quoniam tantum superant hominem animalem, ac materialem, quantum Cælum supra terram assurgit, & omnium rationalium animarum præstantissima Angelum infimi ordinis æquare non potest. Excepit illos Deus in cælesti Regno suo, illos in beatitudinis suæ partem vocavit, confirmavit illos in amore suo, & sanctitate, neque fas esse ratus illos honoribus in cælo cumulare, vult illos ab hominibus in terris coli, & nos prosequi reverentia, & cultu sublimes hos spiritus, quemadmodum illi repleti sunt pro nobis amore, & charitate. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Ratio propter quam custodis.

Mirum profecto est, quod Angeli cælum relinquant in terris permansuri, & hominibus regendis operam navaturi, qui ex terra, & luto effecti sunt, qui ut plurimum sunt impii, & flagitiosi, & qui in antecessum gerunt reprobationis suæ characterem; *Quid est homo, quod memor es ejus?* Sed hujus difficultatis solutionem, eorumque zeli causam reperimus in visione Dei ita volentis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Ut divinæ huic fatisfaciant voluntati, maximæ difficultates illis videntur facillimæ; ideoque causas nanciscuntur illas suscipiendi, & modos etiam eam exequendi. Neque arduum erit hanc assequi veritatem, si duo præmittere velitis fundamenta. Primum mediatorum officium, quod Angeli exercent pro nobis, est agere cum Deo de salutis nostræ negotiis. Agendum enim illis est cum Dei justitia ad illam mulcendam; agendum cum misericordia ad illam obtinendam, & promerendas gratias, quæ sunt ad hunc finem necessariæ. Alterum fundamentum est mediationem hanc, vel negotiationem fieri potissimum precibus, sive illis, quas ipsi faciunt pro nobis, sive illis, quas nos ipsi pro nobis facimus, & quas ipsi offerunt Deo. Offerunt Deo preces suas pro illis, qui curæ suæ demandati sunt eo majori diligentia, & efficientia, quo magis illud faciunt, ut munere suo perfungantur. Alii Sancti, & Angeli pro nobis Deum non precantur, nisi ex communi charitate, vel quatenus nos illos sollicitationibus nostris excitamus; sed singulorum Angelus Custos orat pro particulari necessitate, qua tenetur operari salutem illius, cujus curæ præpositus fuit. Ceterum hæc quoque observanda est circumstantia, quæ preces illius, servidiores, & efficientiores efficit; videlicet quod orat in conspectu Dei, quem videt, & coram homine, quem gubernat; tanquam alterius quidem mediator, positus vero ante Tribunal alterius. *Bireat.*

Matth. 18.

Non solum SS. Angeli norunt nostras necessitates, sed singulatem habent curam rerum omnium quæ ad nos pertinent.

Satis non est si Angeli tanta nos dilectione prosequuntur, nisi perfectam habeant nostrarum necessitatum omniumque negotiorum nostrorum cognitionem, ut Angelorum nostrorum qualitate fungantur coram Deo: Quomodo enim spartam hanc adornare possunt coram Dei majestate, suoque munere perfungi, nisi æque perfecte intellexerint cujusnam rei indigemus, ac proni, paratique sint ad vota nostra perferenda? Hic alter fructus est, quem percipimus ex hoc, quod Custodem habemus Angelum coram Deo: *Semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*. Incessanter Deum vident, & in Deo vident quid spectet ad nos per visionem omnium certissimam, & perfectissimam. Nam licet cogitationes, & desideria nostra, quæ sunt cordium nostrorum secreta, uni Deo pateant, tanquam jus divinitatis suæ, quod pissim creatis rebus non communicat: tamen cum Angeli nostri sint nostri Procuratores apud Deum, qui modo cum Deo negotiantur de perfectionis nostræ profectu, modo de pace, & reconciliatione, & denique curam gerunt eorum omnium, quæ ad salutem pertinent nostram: dubitari nequit, an Angelo cuique plena cognitio sit cogitationum illius, cujus custodiæ præpositus est, cognitio inquam non solum conjecturalis, qualem habere potest Diabolus, qui falli potest, judicans tantum ex signis, quæ videntur extrinsecus, sed per visionem claram, ac distinctam videns in magno illo, ac perspicuo essentiæ Dei speculo, ita ut si aciem oculorum satis validam habent ad sustinendos lucis radios, ex divina Majestate prodeuntes, & ad penetrandam abyssum judiciorum Dei, quemadmodum loquitur S. Bernardus; *Imperscrutatæ mentis acie divinorum judiciorum abyssum intuentur*: luminis hujus favore cordis, animæque nostræ sinus penitiores scrutantur, ut ibi videant bonum, & malum quod in nobis est, infirmitates nostras, miserias, animi propensiones: sciunt quæcunque facimus, quæcunque cogitamus, quascunque gratias acci-

Digitized by Google

accipimus, & eas quibus indigemus, & mox secundum has cognitiones operantur. Detegunt tandem minima etiam mala, quæ curarum suarum applicationem requirunt, ut illa quidem incessanter Deo repræsentent, & nobis faciant medicinam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Custodes Angeli tantam habent intelligendi perspicacitatem ut in cognitione eorum, quæ ad nos pertinent non fallantur.

Requiritur profecto plurimum prudentiæ, dexteritatis, & magnæ mentis extensio in Legato, ut norit eligere felicia momenta, & commoda tempora, a quibus pendet exitus demandatæ sibi Provinciæ. Magna opus est experientia, & prudentia, ut omnibus prospiciat; & sæpe etiam illius deficiunt consilia ex iis locis, quæ melius disposita videbantur; quoniam una tantum sufficit circumstantia ad hoc, ut optima quæque in irritum evanescant consilia; & nonnumquam multitudo consiliorum negotium facessit, atque confundit. Sed beati Spiritus curæ nostræ præpositi eo pollent mentis acumine, quod nihil fugere potest; habent lumina, quæ falli non possunt; quoniam hauriunt illa ex ipso fonte, qui est Dei facies, quod in causa est, ut in Apocalypsi repræsententur tanquam mystica animalia, undequaque oculis plena. Omnia sunt oculi, ut omnia cognoscant; cum nulla eos fallat naturalis causa: Omnia sunt oculi, ut simul Deum contemplentur; omnia oculi, ut aciem extendant in præteritum æque ac futurum: omnia tandem oculi, ut invigilent nobis, & omnibus, quæ pertinent ad nos: eousque ut quidam S. Pater illos appellet oculos Dei, ut olim Regum quorumdam ministri vocabantur oculi Imperii, quoniam cognitionem acquirere debebant eorum omnium, quæ accidebant, ut fideliter illa Regibus nuntiarent. Quænam igitur habenda nobis est fiducia in eorum vigilantia, æque ac benevolentia? Tanta procul dubio esse debet, quantum merentur illi, qui soli pro nobis faciunt in cælo, quod S. Paulus dicit diversos Ecclesiæ ordines facere pro salute fidelium. Alii sunt oculi, ut invigilent gregi; alii aures, ut illos audiant, alii lingua, ut pro illis loquantur, alii brachia & manus, ut illis opitulentur. Sed Angelus noster locum tenet omnium, & multo melius operatur; quoniam merus est spiritus, & unice se totum ad salutem nostram impendit. *Idem.*

Quænam sit nostra felicitas, qui habemus Angelos qui curam nostri gerunt.

Mirum non est, quod adeo humiles creaturæ, quales ipsi sumus in origine, & per conditionem suam adeo abjectæ, moribus vero vulgo pravis, taliter diligantur, & a divina majestate in honore habeantur, ut dignetur nobis regundis præponere creaturas adeo præstantes, quales sunt Angeli, qui indesinenter Dei præsentia lætantur, qui divinis concinendis laudibus occupati sunt, & ut hæ nobiles intelligentiæ naturæ adeo perfectæ, & ab omni materia expeditæ, Dei jussu nobis deserviant: *Angelis suis mandavit de te.* Quis ex nobis auderet, vel sibi promittere tantum honorem, nisi veritatis verbo doceremur; & nisi proprium illis testimonium, quem in cælo Angeli contemplantur, omnem nobis auferret dubitationem afferens, illos simul nobis assistere in terra, & simul videre illum, & nos respicere: illum possidere, & nostri curam gerere; & adhærere illi per fruitionem, ac nobis, per directionem, & dilectionem: & oculo eodem, quo illius gloriam contemplantur, vigilent, ut nostris necessitatibus, atque miseriis opem ferant? Nec satis. Sed hæc ipsa beatifica visio, quæ videretur illos abstractura ab aspectu, & cura nostræ infelicitatis, ratio est, qua ad id illos agit; & causa est, quæ illos zelo, & amore erga nos replet. Ex hac eadem beatifica visione hauriunt scientiam, ad cognoscendas necessitates nostras, hauriunt zelum, ut cum amore illis sublevandis vacent, & vim, ut illis prospiciant. Quinam igitur honor; & quæ reverentia a nobis deferendi est sanctis Angelis nostris; & quæ benevolentia, & fiducia nobis habenda est pro omnibus meritis sublimium horum spirituum, qui sine ulla utilitate sua nobis subservire gaudent, ut aliquando ejusdem beatitudinis qua perfruuntur participes efficiamur? *Recens auctor.*

Psalm. 90.

Rationes, quæ nos cogunt in honore habere Angelos Custodes nostros.

Assiduæ curæ, quas Sancti Angeli suscipiunt eorum omnium, quæ spectant ad nos, & amor, quo nos complectuntur, gravissimæ procul dubio sunt causæ, quæ in nobis perfectæ gratitudinis sensus ciere debent erga tanta illorum beneficia, & extremum esset ingrati animi vitium, tanto muneri deesse. Cum autem similitudo, & conjunctio lex est, & canon stabilis amicitiæ; diligamus hos nobiles spiritus tanquam similes nobis; præsertim vero cum tanta adsit inter nos ac illos naturæ, & gratiæ similitudo. Illos tanquam fratres diligamus, quandoquidem unum dumtaxat Patrem habemus; amemus illos tanquam ejusdem capitis membra, regni ejusdem hæredes, ejusdem gloriæ socios, quam quotidie tanta solertia, & charitate nobis procurare conantur, ut ex illis ne unus quidem sit, quicumque dignitate excellat, qui æquo non ferret animo, si nos supra illum attolleremur; sicut e contra omnes dæmones jugiter conantur, si valeant, nos nequiores & calamitosiores sibi ipsis efficere. Verum si volumus amorem nostrum solidum esse, conemur primum illum aliis etiam, quoad fieri poterit inspirare, & præterea illos cogitationi nostræ præsentes semper habeamus; frequens enim memoria certum est amoris argumentum. Debemus quoque spiritualiter cum illis conversari, ac maximam, intimamque cum illis familiaritatem consociare. Præcipue vero ita efficiendum est, ut amor noster sit cum profunda reverentia conjunctus, & cum celeri, submissaque obedientia omnibus eorum afflatibus, & mandatis, quæ placuerit Deo nobis eorum ministerio significare. *P. Nouet.*

Angeli plurimum possunt apud Deum & hac potestate utuntur, ut salutem nostra procurent.

Sancti Angeli semper Dei præsentia fruentes, & jugiter divinis laudibus concinendis intenti, dubitandi locus non est, quominus apud Divinam majestatem magnam auctoritatem, & potestatem obtineant; & hanc adhibent auctoritatem, & potestatem, ut nobis opem ferant in necessitatibus nostris. Hæc autem inde proficiscitur auctoritas, quod *semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est*, eadem Veritas dicit. Jugiter vident Deum, incessanter adstant coram illo, hi propius accedunt ad eum, cum illo, ut ita dicam, familiarius loquuntur; hi primi sunt ejus ministri, & ideo Principes in ejus aula, & qui aditum habent faciliorem ad Supremum hunc rerum omnium Monarcham. Hinc facilis conjectura patet de potestatis eorum magnitudine, qui in nostram utilitatem utuntur. Licet autem hoc illis sit cum omnibus Sanctis commune, qui apud Deum plurimum possunt quippe ejusdem amici: tamen hoc magis proprium esse videtur Beatorum horum Spirituum; quia isti recipiunt, & exequuntur ejusdem imperia, quia illos potestatis suæ participes facit, quemadmodum apud Reges possunt Ministri, qui pro illis, & in eorum nomine operantur. Quod si Principi arridet horum ministrorum sedulitas, qua publicæ rei maximam afferunt utilitatem, licet ambigere, utrum repulsam referemus earum rerum, quas tantis Auctoribus petierimus? Hoc pacto de beatis spiritibus ratiocinari possumus, qui adstant coram Deo, ut res agant nostras, nostramque salutem procurent; quandoquidem ministri sunt, quibus præcipua distribuit officia. Cæterum cum Deus tribuat illis amplissimam auctoritatem in extensione mandatorum suorum; simul & illius gloriam procurant, & pro nobis laborantes apud eum, salutem quoque nostram procurant viis omnibus, ita ut eorum auctoritas præter propter eadem sit, ac illa, qua pollere possunt apud Principem illi, quibus præ ceteris utitur ad ea obeunda, quæ gravissima sunt, & ad publicæ tranquillitatis rationem spectantia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Custodes Angeli nostras offerre preces, & lacrymas Deo ad justitiam illius leniendam & misericordiam promerendam.

Non minima pars est officii Angelorum tamquam mediatorum preces, & orationes recipere hominum, ut ad Deum illas deferant. Ita Angelus, qui vestri curam gerit, cum aliquid patimini, cum fundatis lacrymas, adest & vobis, & Deo, ut illas ad ejus thronum præsentet. Quamobrem dixit S. Bernardus, Angelos, qui neque sudare, neque flere possunt, nostros sudores, lacrymasque colligere Deo offerendas: *Angeli nostrum sudorem, non suum; nostras lacrymas, non suas, offerunt Deo.* Neque ideo dicendus est Deus non videre, neque cognoscere hominum preces, velut in eorum corde factas, & ex ore illorum egredientes: Sed Angeli ministerio suo funguntur, ut illas efficiant acceptiores Deo, & validiores ad illius justitiam flectendam, vel misericordiam nobis promerendam, *Biroat.*

Hoc nobilem tum debet inficere, ne quid iis inspectantibus committamus quod illis valeat displicere.

Fingite vobis Angelum vestrum adstantem vobis, qui summa captus oblectatione; quia intentos vos intuetur liberis vestris in Dei timore educandis, & libenter exercendis operibus misericordiæ corporalibus, ac spiritualibus erga pauperes; qui ingenti cum voluptate videns lacrymas, quas in hoc deplorabilis exilii loco effunditis, & eleemosynas, quas in pauperum sinu congeritis, vobis id dicat, quod eorum nescio quis Tobiæ dicebat. Quando relinquebas prandium tuum, ut fratres tuos humi mandares, quando ad evitandum furorem Sennacherib, abscondebas domi tuæ mortuorum exuvias, cum dividebas panem tuum egenis, quando agebas gratias Domino Deo tuo postquam oculorum aciem receperas: ego videbam te, licet a te non viderer, colligebam fudores, & lacrymas tuas, ut illas Domino offerrem, qui postea misit me, ut te consolarer, tibique mederer. Fingite vobis adstantes Angelos vestros, animæ Sanctæ, qui vobis hæc dicunt, vel his similia. Verum est; vos illos videre non potestis, neque ea, quæ vobis dicunt audire, sed in rationis subsidium fidem vestram revocate; & confiteri debebitis, si Deus vobis negat sensibiles hasce gratias, quas olim Sancto illi viro concessit, aliisque plurimis tum ex veteri lege, cum nova: interiores tamen vobis concedere, & testes istos fideles bonorum operum vestrorum connotare tempora, locos, modum, & generaliter omnes circumstantias. Vestri vos Angeli intuentur, vos observant, vos audiunt. Concremiscite peccatores, & si hactenus coram illis eam, quæ par erat, reverentiam non adhibuistis; vosmet coram illis humiliate: dies noctesque in reverentiali hoc timore permanete, & nunquam illis inspectantibus facite, quod illos a vobis valeat avertere. *Elogia Historica.*

Custodes Angeli procurant salutis nostræ negotia, flectunt judicis iram, pro nobis intercedit, justitiæ decreta suspendunt, & obtinent misericordiam.

Verum est, fateor, Regnum Cælorum ad nos pertinet eo jure, quod nobis adeptus est Salvator Sanguine suo: sed quot excutiendæ sunt lites, quot componenda negotia, antequam eodem frui valeamus! Quot obices nobis nostri obtrudunt inimici! Multæ sunt conditiones, quas Deus ipse proponit: nos quoque multas illi pacis propositiones reponimus; sed quibusnam tutius negotia nostra committere possumus, quam Custodibus Angelis,

Digitized by Google

Nuntiis istis Cœlestibus, fideli huic singulorum Procuratori, cui tanta est scientia, zelus, amor, potentia? Quoties initum fœdus inter Deum animamque nostram fœtum est? Heu! quis melius utriusque partis negotia sarcire potest; quam scitus hic minister, partis utriusque amicissimus? Hic Dominum mulcet nostris irritatum criminibus; hic nostram caussatur infirmitatem, amplificat technas, & dolos inimicorum nostrorum, & quidquid criminis magnitudinem potest imminuere. Quoties remoratus est decretum illud funestum, quod divina Justitia in nos erat latura? Quoties hoc ipsum accidit, quod arbori infrugiferæ Evangelicæ, quam Paterfamilias convellere de viridario suo cupiebat, nisi villicus precibus, ac promissionibus suis, ac jugibus curis in spem adduxisset alicujus proventus herum, ita ut adhuc patienter illam tulerit, & ad annum adhuc locum occupare permiserit. Heu! millies, & millies magnæ hujus Hæreditatis Universorum Dominus qui Deus est, abstuliisset nos de mundo hoc, & tamquam arbores bonorum operum steriles æternis ignibus adjudicasset: Si fidelis hic Custos, & potens Patronus pro nobis non fuisset locutus, ac promisisset se cura sua, & cœlesti rore gratiæ effecturum, ut Dei de nobis expectationi responderemus? *Auctor recens.*

Divina Providentia non solum hominum generatim curam gerit, sed singulis etiam tribuit unicuique Angelum Custodem.

Providentia Dei erga nos longissime distat ab humana; quandoquidem inter homines unus præest multis, & sæpe etiam integris nationibus. Eruditus Tostatus affert caussam: Regem, vel Magistratum, si vis, generalem dumtaxat habere curam ejus Communitatis, cujus est caput, quin de singulis laboret, quos sæpe objicit ad totius incolumitatem. Deus autem generalem simul, & singularem habet curam; curam totius, & partium; & singularis hujus providentiæ ministerium Angelis commissum fuit, qui nostri curam gerunt, qui nostris ingeniis se accommodant, qui affectionibus nostris student, & nostrarum infirmitatum habent rationem, ut per diversas vias, easque singulorum captui accommodatas deducant; quod egregie summam erga nos Dei bonitatem ostendit in omnem vitæ nostræ curriculum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Cum homines in hoc mundo sint tanquat viatores, Deus providentia illis Angelum ad evitanda longi & periculosi itineris mala,

Nemo unus ignorat, nos in hac via esse tanquam viatores procul a patria, quæ Cœlum est, quo tandem aliquando pertingere contendimus. Via difficilis est, insidiis, laqueisque plena, qui nobis ubique, & in singulos ferre gressus tenduntur. Plena est locis præruptis, ubi facile est deerrare, labi, interire. Nobis igitur ducibus, & ductoribus opus est, ut ad beatum hunc terminum perveniamus, qui esse debet spei nostræ, nostrorumque desideriorum objectum. Igitur inæstimabile illud officium est, quod nobis præstant Angeli Custodes nostri in vitæ hujus mortalis peregrinatione. Deus illos ad homines mittit, ut hos regant, quemadmodum Propheta testatur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Præcipit illis, ut nos quocunque comitentur, nobis invigilent, & nunquam a nobis recedant; ita ut videatur Deus se se nobiscum gerere eodem pacto, quo se gessit olim cum electo populo suo, in promissionis terram introducendo: cui promisit se daturum Angelum suum, qui illum præcederet: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.* Hoc unum tamen discrimen interest, nam magno huic populo maria, ac deserta traducturo unus tantum Angelus datur, qui palam illum deduceret per igneam columnam, quæ noctu interlucebat, & nubes interdiu videbatur. Verum cum in via, quæ ducit in Cœlum, plures sint obices, plura pericula; voluit singulis adesse proprium, & singularem Angelum huic ministerio unice destinatum: *Angelis suis mandavit de te*, idque a primo vitæ singulorum momento, quin a primo temporis puncto, quo magnum hoc iter ingredimur, sapienti egemus ductore. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Psalm. 90.

Homines semper parati esse debent, ut se tueantur ab hostibus visibilibus, & invisibilibus: S. Angeli illis suppeditant vires & arma ad hunc finem. *Job 7.*

Ad Ephes. 6.

Cum vita, quam ducimus super terram, in Scripturis vocetur militia, *Militia est vita hominis super terram*; noster Angelus custos nos protegere, tueri, & arma suppeditare curat contra perpetuos incursus inimicorum, qui nos circumundique obsident, ac nihil prætermittunt, ut in infinitos laqueos nos detrahant, quos nobis nectunt indesinenter. Nobis circumundique adstant inimici, cum quibus decertandum nobis est, intra nos, & extra; alieni, & domestici: omnia nobis sunt metuenda; & animæ nostræ vita simulac corporis ubicumque magna subit pericula; ibi enim semper nobis dimicandum est cum dæmonibus, hostibus apertissimis: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus spiritualia nequitiæ*; inquit Apostolus. Heu! Ubi essemus! si Deus nos propriis viribus dereliquisset; si per salutis nostræ curam non instituisset Angelum tutorem, & curatorem nostrum, qui in rebus omnibus nos tueretur, nos respicieus tamquam sodales suos, suæque felicitatis consortes? Deus hunc opposuit dæmoni, videlicet suo æque ac nostro inimico: ita ut sicut dæmon vim adhibet, atque versutiam, ut nos adoriatur, ita fidelis hic Propugnator eadem illi arma opponat, ejus versutias, artesque detegat, & insidias, quas nobis struit, ut tutius illas evitemus. *Idem.*

Amor, quo nos prosequuntur Custodes Angeli, cum illos semper intentos detineat, ut de nobis benemereantur; mutuum in nobis amorem flagitat; & æquum nonne est, ut primo frequenter memoria eorum in nos beneficia repetamus cum actione gratiarum; secundo ut magnam habeamus reverentiam, ac interius obsequium, nihil coram illis facientes eorum, quæ ipsi damnant, & quæ illis displicere possunt; tertio filialem confidentiam inde ortam, quia illis accepti sumus, & pretiosi, quippe qui a Deo illis commendati sumus; profectam etiam ex perfecta cognitione, quam illi de nobis habent, de rebus nostris, & ex potestate quam habent auxiliandi nobis? Præter hæc tria perfectam etiam erga illos habere debemus obedientiam, ut sequamur eorum afflatus, & præsertim virtutes illorum imitemur: & sicuti dæmones indesinenter nos urgent, ut per impudicitiam dedecore afficiamus corpus nostrum, & e contra Sancti Angeli singularem habent Charitatis amorem, nobis adnitendum est, ut virtutes has sartas tectas tueamur, & vivamus in hoc corpore, quasi non habentes corpus, & ita quantum in nobis erit imitabimur eorum naturam prorsus spiritualem, secundum illud Apostoli consilium: *Vos in carne non estis, sed in spiritu*; qua re apud beatos Custodes nostros magis singularem assequemur dilectionem cum videbunt, nos nihil intentatum relinquere ut illos imitemur, & cum illis arctiorem societatem, ac familiaritatem jungamus. Hinc Ecclesiæ Patres, & præ ceteris S. Bernardus docent, Virgines, & Angelos unam dumtaxat familiam constituere, *Virgines de Angelica familia deputantur*, & Tertullianus audet affirmare, carnem nostram Angelicam fieri: *Fit caro Angelizata. P. Texier.*

Angelis nostris custodibus, quatuor potissimum debemus, memoriam beneficiorum, reverentiæ, confidentiæ, & imitationem.

Ad Rom. 8.

Rationes propter quas Angelorum obsequio nobis curæ esse debet.

Ecclesiæ sensum assequi debemus, & omnes conatus exerere, ut Custodes Angelos in honore habeamus. Debemus illis, S. Bernardus ait, *reverentiam pro præsentia*; eorum præstantia, sanctitas, dignitas merentur, ut præsentes revereamur. Regum Majestas tantam imprimit reverentiam, ut eorum sola præsentia nos in officio contineat. Qui, Salvator ait, minimus in Cœlo est, major est iis omnibus, quæ in terris sunt maxima. Angelorum novissimus nobilior est nobilissimo terrarum Rege. Qua igitur cum reverentia stare debemus coram illo, cum cogitamus illum semper adesse Deo, simul & nobis? Cum nostræ cupiditates nobis indignum aliquod factu persuaserint, putemus, Sapiens quidam ajebat, nos esse coram aliquo insignis virtutis, & magnæ auctoritatis viro; hæc nos una continebit cogitatio. Optimum quidem consilium; sed majorem haberet efficientiam, si hæc mea cogitatio virum hunc vere mihi præsentem statueret. Custos Angelus meus, Spiritus hic adeo nobilis, & purus vere adest mihi, & quomodo audeam illo inspectante facere, quod coram mortalium omnium minimo facere non auderem? Credimusne illum tanto contemptu non affici, & ea, quæ inde sequi possunt, non reformidamus? Nostri hujus Custodis Angeli merita ex nobis jugem grati animi significationem exquirunt: *Devotionem pro benevolentia.* Quam curam nostri non gerit? Quæ nobis optima non præstat officia? Cœlum relinquit, nobiscum futurus in hoc exilii loco, in hoc carcere, qui illi fit ædes voluptatis, & magnifica domus, quia ibi occasionem nanciscitur serviendi nobis, & magis magisque placendi Deo. Ille nos a sexcentis præservat periculis, a sexcentis liberat malis, omnjumque bonorum genera procurat. Offert Deo preces nostras, & inde ad nos gratias refert; tuetur nos contra visibiles hostes, & invisibiles; gestat nos, ut ita dicam, in manibus suis, & si nobis accidit ut labamur, ille fert opem ut a lapsibus resurgimus. Quos grati animi sensus nos fovere par est, pro tot, tantisque beneficiis? Nonne tantum illi debemus, quantum Raphaeli Angelo Tobias, quandoquidem non debemus illi minora? Ad hæc omnimodam debemus omnibus ejusdem mandatis obedientiam, monitis docilitatem, & magnam in illius patrocinio fiduciam: *Fiduciam pro custodia.* Si nobis esset amicus potens, fidelis, sapiens, & nostræ utilitatis amator, numquid in ærumnis ad eum non confugeremus? In dubitationibus non consuleremus? Ejus consilia, nonne nobis essent leges, nonne illa summa cum oblectatione animi sequeremur? Noster Angelus est hic fidelis amicus, qui locupletissime possidet has easdem qualitates: nonne cum hoc rationem eamdem nos sequi oportet: Cum in nobis bonum aliquem motum experimur, quo ad bonum impellimur, vel a malo revocamur: hæc inspiratio est, quam nobis procurat, hoc consilium est, quod suggerit nobis. Nonne timendum est ne, si restiterimus, ab eo tradamur potestati dæmonis, quem illi præferimus? *Auctor Recens.*

S. Michaelis elogium.

Præcipue vero glorioſum Archangelum S. Michaelem revereri debemus, illi gloriam suam gratulari, triumphos celebrare, & prælia, victoriasque de dæmone, omnibusque angelis ejus relatas extollere. Nam præter quam quod primus est ex Cœlestibus Spiritibus, qui generosam fidelitatem suam commendaverit; quod primus est, qui ex creatis omnibus Creatoris gloriam sustinuerit: est etiam patronus, ac tutelaris Angelus Ecclesiæ. Sub illius vexillo pugnamus, & sicuti pugnamus adversus hostem quem ipse delevit; ab illius ope victoriam nobis

pro-

Digitized by Google

promittimus, ita ut cum negotii ejus, & nostra communia sint, teneatur ille nobis afferre subsidium, nos vero illum laudibus celebrare, & singulari cultu eum prosequi debeamus. Verum quidem est illi facilius esse nobis ferre opem, quam nobis eum laudibus dignis exornare; quia ille potentior est, quam nos diserti, & melius ille nostras cognoscit necessitates, quam ipsi illius magnalia intelligamus.

Neque solum generalis est Ecclesiæ patronus, sed etiam unius cujusque particularitèr.

Si Gloriosus hic Archangelus tot mirabilia operatus est in gratiam Synagogæ tutelæ illius demandatæ; quis dubitare potest, quominus Ecclesia, cujus figura tantum erat Synagoga, & ipsi S. Michaelem habet Patronum, non insignia percipiat subsidia in omnibus necessitatibus? Frequentes illius Apparitiones, & insignia miracula, quæ celebritatem fecere tot locis, in quibus apparuit, publica sunt, atque authentica testimonia curæ illius, quam gerit Christianitatis totius, quam Deus ejusdem tutelæ commisit. Certissimum quoque est glorioso huic Archangelo non solum demanditam fuisse generalem provinciam protegendi, & defendendi universalem Ecclesiam, sed etiam quemlibet fidelium singillatim, quemadmodum in ejus Officio testatur Ecclesia: & licet hæc certa sit veritas, & de fide, omnes Angelos pro nobis orare, nobisque apud divinam Majestatem obtinere plures gratias; non minus certum est, Ecclesiam S. Michaelis precibus majorem efficientiam tribuere, quam illis aliorum Angelorum, ad nobis gratiam, & gloriam obtinendam; quandoquidem de illo dicit, quod non dicit de aliis: *Cujus oratio perducit ad regna cælorum*. Verba, quæ rite perspecta, in nobis magnam ciere debent fiduciam in glorioli hujus Archangeli precibus, & in nobis excitare piam, teneramque devotionem erga illum, ut in omnibus spiritualibus necessitatibus invocemus illum. Accedit his, quod Deus *tradidit ei animas Sanctorum ut perducat eas in paradisum exultationis*; quod ipsum in Officio testatur Ecclesia. *P. Senault Oratorii, & recens Auctor.*

Præstantia gratiæ tam actualis, quã habitualis, quam in hoc creationis momento accepit Ecclesia, & fidelitas qua eidem respondit sustinendo gloriam Creatoris sui.

Si veri sunt, quæ S. Thomas ait, Angelos gratiam recepisse pro naturæ suæ dignitate; si verum est S. Michaelem hoc in ordine eminenter continere omnes omnium inferiorum Angelorum perfectiones, quos ille gratiæ thesauros accepit; oportet sane illum plus recepisse, quam ceteri simul; atque ita se Deo subdidit, illum adoravit, amavit, ei gratias egit secundum omnem gratiæ abundantiam, quæ erat in illo, secundum omnem plenitudinem, atque extensionem illius. Nihil vacui reliquit in gratia; perfecte respondit secundum captum mentis suæ, secundum omnem cordis sui auctoritatem omnesque suæ voluntatis conatus. Ita cum plurimorum Angelorum esset Princeps, sese Deo subjecit, & illos pertraxit, ut sese submitterent Deo tanquam Creatori suo, eique omnia præstarent obsequia, & cultum, qui debetur. Ille omnium primus omnes hos actus elicuit; ille prima est ex Cælestibus, terrenisque creaturis, quæ pro Creatore suo ad sustinendam nominis illius gloriam decertaverit. Exinanivit se ipsum coram illo, ac se ita subjiciens subjecit quoque omnes inferiores Angelos, & alias creaturas, quarum essentiam, ac perfectiones possidet eminenter; sicuti videmus, cum homo semet subjicit Deo, simul eidem subjicere omnia animantia, plantas, & elementa, quorum est Rex, & quoddam quasi compendium. Hoc pacto videmus acta omnia a Superiore facta, quæ communitas, vel particularis societas sequitur, sub omnium nomine circumferri, licet non omnes subscripserint, sed simplicem verbalem consensum præstiterint; & hoc pacto S. Michael, tanquam Princeps Cælestium Hierarchiarum, quæ sese submiserunt Deo, illius exemplum secutæ habet universam gloriam hujus submissionis creatori: quia primus est, qui zelo gloriæ Dei succensus adversatus est rebellibus angelis, sociis vero suis tantam insudit vim, ut & ipsi tantum, quantum ille, operarentur. *P. le Jeune Oratorii.*

S. Michael bonis Angelis persuasit, ut Deo fideles permanerent. & se opposuit rebellioni angelorum.

S. Archangelus Michael neque in ordine gratiæ, neque in ordine naturæ primus fuit. Non acceperat ille tot gratias, quot Lucifer; sed ita fidelis fuit Deo, ut generose sese objecerit illius, & conjuratorum ejus rebellioni; eorum conatus sustinuerit, improbis impressionibus restiterit, & bonis Angelis persuaserit, ut permanerent in fide. Illis fortitudinem afflavit, tanquam strenuus Imperator, qui generositate sua exercitum acuit, qui alioquin fortasse fugam arripuisset. Quas igitur laudes Sanctus hic meretur Archangelus? quæ præmia, quas coronas a Dei magnificentia recepit, eo quod causam illius tuendam susceperit, quod ultus fuerit injurias, quas rebelles ejus gloriæ inferebant, & bonos Angelos excitaverit contra execrabiles adversarios, qui e regione Creatori suo adversabantur? *Idem.*

Zelus, quem Archangelus hic testatus est in enuntiandis magnalibus Dei, & quomodo uno tantum verbo domuerit rebelles.

Liquet eundem amorem Dei, zelum eundem, easdemque linguas igneas, quæ fecerunt, ut loquerentur Apostoli Dei gloriam prædicaturi in extremis usque terrarum plagis, effeciſſe, ut S. quoque Michael ad illam in cælo tuendam loqueretur. Hoc protulit verbum, unde illius extitit nomen, ac stemma, *Quis ut Deus?* Sed sicuti Deus per verbum suum, quod unum est tantum intellectus ejusdem verbum, se ipsum perfectissime expressit, & fecit imaginem omnium perfectionum suarum, & plenitudinis gloriæ suæ: simili ratione S. Michiel uno tantum verbo integrum absolvit gloriæ ejusdem Panegyricum, quo in oculis dæmonum exprimuntur perfectiones omnes, quas oppugnant: *Quis ut Deus?* Quasi diceret, quis ex vobis adeo insolens est, ut injuriam velit inferre Deo, coram quo omne genu flecti debet? Miseri! Numquid tam cito obliti estis vel nihili, ex quo recens fuimus educti, vel gratiæ quam nobis largitus est? *Quis ut Deus?* Num tantum vobis est meritorum, ut illius celsitudinem exæquare velitis, vel virium, ut illius potentiæ resistere valeatis? Fulminis ictus in terram ab irato Cælo contortus nequaquam tanto fragore, aut impetu proceras Libani cedros quatit, quam hoc Sancti Archangeli verbum prolatum in rebelles prostravit Luciferi, aliorumque dæmonum superbiam majestate Dei, cujus gerebat imaginem; & sicuti Salvator temporum decursu alio verbo, quod protulit militibus venientibus, ut illum caperent pridie quam pateretur, in terram evertit dicens, *Ego sum*, ita S. Michael, qui tunc illius referebat imaginem, sermone suo omnes rebellium angelorum copias disjecit, illos confusione, ac pudore suffudit, & eorum furorem compescuit. Quanam Sancto huic Archangelo gloria fuit, primam Dei vocem fuisse, primum Oratorem, qui illius causam susceperit, eandemque peroraverit? humanæ voces, quæ pro divina Majestate loqui possent, silebant adhuc. Nullus adhuc erat propheta, qui gloriam ejus annuntiaret, nullus Apostolus, qui prædicaret, nullus Martyr, qui divinitati ejusdem perhiberet testimonium. Sed S. Archangelus pro omnibus loquitur: in antecessum reddit Deo omnia hæc diversa officia ac testimonia, divinæ majestatis causam perorans contra dæmones, videlicet contra infestissimos divinæ gloriæ inimicos. Illos tuetur eo tempore, ubi de honore ipsius maxime agebatur; videlicet prima vice, qua lacessebatur, in ipsis fundationis exterioris Imperii sui primordiis, in ipsis, ut ita dicam, Monarchiæ suæ incunabulis. *Bivar.*

S. Michael futurus est protector noster, cum prodibimus ad Tribunal Dei: quare efficere debet, ut ejus imploremus auxilium, & sancta devotione illius patrocinia mereamur.

Illud autem augere debet devotionem, ac fiduciam fidelium omnium erga S. Michaelem, quod ille præpositus est adducendis animabus ad terribile Dei tribunal, ut in vitæ hujus exitu judicentur. Nihil nostra refert magis, quam peculiarem habere patronum apud Supremum judicem, illum, cui demandata provincia est, sistendi nos coram Domino eo momento de æterna salute nostra decretorio; illum, ut ita dicam, in cujus manu animam efflamus. Hic est, inquit Ecclesia in officio ejus dici, qui magno hujus Sancto facer est: Hic est *Archangelus Michael, Princeps militiæ Angelorum, cujus honor præstat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna Cælorum*. Hic est S. Michael, addit eadem Ecclesia, *cui tradidit Deus animas Sanctorum; ut perducat eas in paradisum exultationis*. Tempore illo tentationis, & calamitatis, dicit Angelus, qui nuntiabat Danieli ea, quæ sæculorum decursu erant eventura, consurget Michael protector populi tui, & omnium fidelium, ut illos contra salutis inimicos tueatur: *In tempore illo consurget Michael, qui stat pro filiis vestris, Michael Archangelus venit in adjutorium populo Dei; stetit in auxilium pro animabus justis*, inquit Scriptura. Mirum igitur non est, si quovis tempore viguit in Ecclesia singularis devotio, & veneratio erga Sanctum hunc Archangelum. *P. Croiset, in Asceticis Exercitiis.*

Daniel. 12.

Rationes quæ nos urgeant, ut S. Michaelem singulari devotione prosequamur.

Sancta Ecclesia peculiari cultu distinguente glorioſum S. Michaelem Archangelum ab omnibus cælestibus Spiritibus, tanquam Caput cælestis militiæ, & peculiarem fidelium protectorem, æquum est, ut illi singularem adhibeamus devotionem, cultum particularem, integramque in eo habeamus fiduciam. Ipse caput est Angelorum: *Princeps Angelorum*. Fidelitas illius in generali rebellium Angelorum defectione Omnipotentis favorem promeruit: *Quis ut Deus?* & dum lucifer, ille primi Ordinis Angelus per superbiam factus est dæmonum caput, & infestissimus humanæ salutis inimicus, factus omnium calamitosissimus; glorioſus noster Archangelus factus est singularis Protector Electorum Dei, ejus Amicus, & fidelium animarum Patronus. Hic præsidet, ut ita dicam, decretorio æternitatis nostræ momento. Ipse introducit animas ad divinum Tribunal, ut a Supremo Judice æternæ sortis definitivam sententiam recipiant. Quot nobis adsunt causæ devotionis erga hunc Altissimo gratioſissimum Principem? Nobis propitium conciliemus hunc Sanctum Archangelum, cujus tanta apud Deum auctoritas est, & qui tantim habet salutis nostræ curam. Quinam esse debent doloris, & indignationis sensus in anima, ubi cogitat modicam devotionem, & oblivionem suam erga Cælestem hunc Principem tam dilectum Deo, cui ex hoc mundo egrediens committitur ante Tribunal sistenda! Quænam vero illius consolatio, quæ illum sua pietate coluerit? Vera erga Sanctum hunc Archangelum devotio est illius imitari humilitatem, fidelitatem, Religionem. Si Deus adeo severe animadvertit in superbiam, & inobedientiam Angelorum; nunquid eam in hominibus impunem abire patietur? Consideremus fidelitatem, & submissionem S. Michaelis, zelumque ejus in Dei gloria tuenda, & felicitatem, quæ victoriam ejusdem est consecuta. Imitemur submissionem illius, pareamus Deo, pro gloria illius dimicemus, & in partem accedemus beatitudinis Sancti hujus

Digitized by Google

Archangeli. In tentationibus, ac turbis, quæ intus, & extra nobis possunt ingruere, dicamus: *Quis ut Deus?* Ullusne est qui cum Deo certare velit? Ullus, qui æque amorem; obsequiumque nostrum mereatur, ac divina ejus Majestas? Ullus, cujus remunerationes magis desiderandæ sint, vel minæ magis reformidandæ? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.* Ad Ephes. 4

Qua in re gloriosum hunc Archangelum imitari possimus.

Si ex me quæsieritis, quid in Sancto Archangelo imitari valeamus; dicam ex ea, quam retulit victoria nobis discendum esse zelum, ac fidelitatem debitam Deo, gloriam ejusdem sustinendo contra dæmonum nequitiam, & in nobismet ipsis, & in aliis, cum se illius efficiunt participes. Bellum non amplius in Cælo gerendum est, sed in cordibus nostris: ibi dæmones conantur suum imperium instaurare, quod amiserunt in Cælo. Nostrum est imitari S. Michaelis zelum, non secus ac aliorum Angelorum; & nonne miseri sane essemus, si vinci sineremus cum illi in hoc omnes suas curas impendunt, ut nobis opitulentur? *Nolite locum dare diabolo*, inquit Apostolus; videlicet, opus est, ut corda nostra ita repleta sint zelo gloriæ Dei, ut diabolus ibi nullum inveniat locum. His tentationibus eadem verba respondeamus, quæ gloriosus Archangelus protulit; *Quis ut Deus?* Quis audet se æqualem facere Deo? Tu mihi polliceris, spiritus nequam, voluptates, honores, divitias; sed quid horum cum Deo potest conferri? *Quis ut Deus?* Ita noster quoque zelus, sese extrinsecus proferre debet, ut in fratrum nostrorum persona Dei causam sustineamus, avertentes illos a malo, illos e peccati abysso eripientes; omnem scandali occasionem, quantum pro virili parte possumus, auferentes. Et quoniam in mundo tot sunt dæmonis vicarii, per quos majorem, quam per se infert perniciem, objiciamus zelum nostrum tanquam vallum contra scandala, & in oblatis occasionibus dicamus: *Quis ut Deus?* Hoc pacto imitabimur S. Michaelem, & extollemus trophæum gloriæ, & magnificentiæ divinæ Majestatis. *Bivort.*

PRO S. CAROLI BORROMÆI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS PANEGYRICO.

MONITUM.

Præstantissimo Mediolanensi Archiepiscopo, S. Carolo Borromæo honor deferri non potest, quominus deferatur simul Sacerdotio, Episcopali dignitati, Cardinalitiæ purpuræ, ipsi etiam martyrio, omnibusque virtutibus, quibus ornantur diversi status illi, quos ipse sanctificavit, & in quibus esse potest exemplo iis omnibus, qui ad eos temporum decursu divina Providentia evocabuntur.

Quamvis autem magna, quæ dignissime obiit munera, heroice facta, eminentes illius virtutes, & insignia illius erga Ecclesiam promerita in reformatione ordinum omnium, ex quibus coalescit; quamvis fructus inæstimabilis, quem fecit, & ad hanc usque diem perseverat per sapientissimas illius pro disciplina Ecclesiastica constitutiones, & ut verbo me expediam, quamvis Christiana Religio tot hæresibus lacessita, & morum corruptione quasi deleta, cura & laboribus ejus cœperit reflorescere; quamvis inquam hæc omnia satis uberem suppeditent rerum copiam ad instruendum Elogium æque Sancto viro gloriosum, & Auditoribus utile, videns in illius laudem tot in locis Panegyricam Orationem haberi, non prætermisi ea congerere, quæ hoc in argumento ampliora, ac illustriora mihi contigit invenire. Reor tamen operæ pretium esse ad hoc, ut æquissimus magni hujus Præsulis character instituatur, insistere peculiariter in sancto usu bonorum suorum, & Ecclesiæ suæ in gratiam pauperum, in zelo pro reformatione Ecclesiasticorum, in vigilantia, qua gregem suum rexit, in constantia, magnisque laboribus pro tuenda adversus hæreticos, & in omnem licentiam solutos Religione. Difficile erit in unam Orationis corpus colligere actiones, virtutesque adeo diversas; sed spero fore ut structura, quas delineavimus, & collegimus pagina subsequenti, viam nobis sternant faciliorem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Structura.

Suscitabo super oves meas Pastorem unum, qui pascat eas. Ezechielis 34.

I. Omnis Pontifex, inquit Apostolus, assumptus ab hominibus constituitur inter homines, ut illos ad Deum deducat illis ostendens actionibus viam salutis, si unquam ab illa recesserint, docens eos ipsorum officia, si hæc ignoraverint, eosque excitans ad fratribus suis opem ferendam, si eos dereliquerint. 1. In Evangelico igitur Pastore tria requiruntur, quæ ad Ministerium suum exercendum omnino sunt necessaria. Vita pura, doctrina sana, fervens charitas. Quis autem virtutes has perfectius obtinuit, quam S. Carolus? Ille in dignitate sua se ipsum respexit tanquam aliorum exemplar. Ille in munere suo tanquam Doctorem, & Magistrum rudium, atque ignorantium cogitavit. Ille in divitiis suis se pauperum patrem arbitratus est: atque ut sermonis mei argumentum, integrumque S. Caroli characterem paucis colligam,

1. Ædificavit populum exemplis.
2. Reformavit doctrinis.
3. Aluit Eleemosynis. En totius Orationis Synopsis, & quidquid aptius dici potest ut ad vivum magni sancti hujus vita repræsentetur. *Flechier.*

II. *Dedit illi Deus legem vitæ, & disciplinæ.* Eccli. 45. Mens fert hodierna die vobis exhibere S. Carolum Borromæum, tanquam unum ex præstantissimis Ecclesiæ luminibus ævi sui, quoniam sanctitas sua par est dignitati, ad quam suis meritis evectus est; cum minimum illud, quod in tanto viro celebrandum videatur, sit gloria, & decus illustris familiæ, unde in lucem prodiit; quamobrem non vereor de eodem affirmare verba illa: *Dedit illi Deus legem vitæ, & disciplinæ.* Deus dedit illi

1. Legem vitæ prorsus sanctæ, ac perfectæ, quam absolutissime servavit.

2. Legem disciplinæ, quam effecit sedulo, ut alii ad unguem servarent. Priore quidem præbuit exemplum virtutum omnium, quæ Præsulis dignitatem commendant; Posteriore tantam attulit vigilantiam & curam in Ecclesia regenda, ut ubique collabentem Ecclesiasticam disciplinam reparaverit. Hi duo sunt characteres, quibus Sanctus hic Archiepiscopus ab aliis secernitur; & qui Elogii ipsius divisionem constituent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

III. *Charitas Christi urget nos.* Ad Cor. 2. 5. Ita loquitur S. Paulus nomine omnium Episcoporum, qui sibi in ministerium suum erant successuri; ut innuat, Charitatem Jesu Christi esse debere fontem omnium officiorum suorum, & gloriæ ipsorum principium. Est autem fons omnium officiorum Episcopatus; Episcopi quippe gregem suum amare debent propter amorem Jesu Christi, & propter tradita ipsis ab eodem exempla. Principium est, & materia gloriæ ipsorum; quia in charitatis hujus praxi consistit perfectio, sanctitas, & etiam nominis eorum nobilitas. In hodierna hac celebritate sub hoc conceptu Sanctum Carolum intueri volo; verum ut ex ordine omnia proficiscantur, animadvertendum est in Episcoporum charitate requiri tria, vigilantiam, liberalitatem, atque fortitudinem; Vigilans esse debet, ut illos erudiat, eosque doceat sanam doctrinam in Ecclesia receptam, & illos amoveat a novarum rerum studio, ubi agitur de Religione. Esse debet liberalis, ut cum summa benevolentia omnibus terrenis etiam necessitatibus ferat opem. Fortis, ac strenuus esse debet, ut perferat labores omnes huic inhærentes muneri, & vitam ipsam objiciat pro grege. Ad id tenentur omnes Antistites propter Jesu Christi Charitatem, qui primus extitit Episcopus. Urget illos divinis exemplis, ut tres has suæ charitatis qualitates induant, quandoquidem humanæ saluti invigilavit tanta cura, illis gratiam suam tanta liberalitate largitus est, & pro illis mortuus est cum

tanta

Digitized by Google

tanta charitate: *Charitas Christi urget nos*. Verum si unquam hæc Salvatoris charitas efficientius operata est in corde, si inventa est in Episcoporum vita, si præ se tulit magnifice tres hos characteres; id sane contigit in S. Carolo Borromæo, quem Dei Filius novissimis hisce temporibus Ecclesiæ dedit, ut ostenderet, quo usque procedere posset charitas Episcopalis, quæ in animarum regimine omnino est necessaria; nam

1. Sanctus iste Episcopus vigilantem exercuit charitatem, adhibens curas omnes, vigilias, scientiam ad eruendas animas, ad illas sana doctrina faginandas, & ab omnibus rebus novis in fidei materia amovendas.

2. Charitatem liberalem exercuit, temporalibus populi sui necessitatibus ferens opem, ac in iis omnia sua bona lubentissime exhauriens.

3. Strenuam exercuit Charitatem, subeundis libenter populi sui angustiis paratus, ut, si opus esset, pro populo vitam etiam impenderet. *Bivar.*

IV. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, Regibus Juda, ... & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt adversum te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Jerem. cap. 1. Jeremiæ Deus olim hæc dixit, in quem oculos conjecerat, ut illius operâ uteretur ad inhibendum impietatis cursum, qui rapidi torrentis instar se se in Judæam effuderat. Necesse non est, ut alibi quam in allatis verbis inquiram verum characterem fidelis Pastoris gregis dominici, & firmi hujus Ecclesiæ præsidii inter sævissimas procellas, quibus unquam agitata fuit; indefessi Patroni veritatis contra omnes errorum incursus; verbo Magni Cardinalis, illustris, & admirabilis Mediolanensis Archiepiscopi, S. Caroli Borromæi, cujus memoria hac die ab Ecclesia recolitur. Profecto res, personæ, eventus sunt utrobique ita similes, ut Deus, secundum cujus mentem, ut Apostolus ait, quidquid sub lege Moysi factum est, erat figura eorum omnium, quæ erant sub nova lege facienda, oblectatus fuisse videatur delineare in Propheta, qui non minimum extitit veteris Testamenti ornamentum, fidelem imaginem Sancti Præsulis nostri, qui futurus erat nitidissimum novi sydus. Denique S. Carolus æque ac Jeremias sustinere debuerunt quidquid in mundo maxime formidandum est, & sicut ille fuit arx, quæ perfugium præbuit veritati, alibi ubilibet exagitatæ; fuit columna ferrea, cui vehementissimæ concussiones nihil rectitudinis ademerunt, & quæ ad alios dirigendos quam maxime contulit; fuit murus æreus, sub cujus præsidium fides aufugit de manibus eorum, a quibus oppugnabatur. Denique Dominus cum Carolo se gessit, quemadmodum se gesserat cum Jeremia.

1. Fuit cum illo per virtutem, quam illi contulit, ut eum præservaret a corruptione, quæ late populos in errorem pertrahebat.

2. Fuit cum illo per scientiam, quam illi tradidit, ut confunderet Hæreticos, qui errorem tueri, & confirmare decreverant.

3. Fuit cum illo per fortitudinem, quam illi largitus est, ut resisteret omnibus Principum conatibus, qui nihil intuisum, vel intentatum relinquebant, ut errorem munirent, & solidarent: *Posui te in civitatem munitam, & in murum æreum, Principibus, & Sacerdotibus, & Populis; & bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego sum tecum, dicit Dominus, ut liberem te,*

V. *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum faciet ... & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* 1. Reg. Hoc olim promisit Deus populo suo, se reformaturum ministros altarium, & instauraturum honorem; & gloriam Sanctuarii. Propter hanc promissionem, quæ adhuc in novo fœdere subsistit, novissimis hisce temporibus, ubi ignorantia, avaritia, ambitio, otium Domum Domini depopulabantur, ubi Ministri de his gloriari videbantur; ad instaurandum Episcopatus honorem suscitavit Deus Magnum Carolum Borromæum, qui curis, vigiliis, laboribusque suis instauraturus erat Sanctuarium, & primævæ Ecclesiæ veterem disciplinam revocaturus. Misit igitur Deus in hæreditatem suam fidelem hunc pastorem duplici ex causa,

1. Ut fervore pietatis, & zeli sui semiextinctum Sanctuarii ignem rursus accenderet.

2. Ut restitueret Legem, ac instauraret fœdus cum populo suo, Arcamque reponeret, quæ jamjam inclinaverat, & videbatur prolapsura. Tunc in Sancti hujus Viri persona visum est quidquid amplissimum est in Ecclesiæ. Dignitas Archiepiscopalis, purpuræ nitor, generis Splendor, maximorum negotiorum procuratio, denique quidquid est in Ecclesia Sanctitatis, ardoris, pietatis, humilitatis, zeli, austeritatis. *Ex Specimine orationum Panegyricarum.*

VI. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Isaiæ 61. Profana, & Ecclesiastica Historia plura nobis suppeditant exempla triplicis generis personarum, quæ purpura erant amictæ. Prima erant Cæsares, qui nascebantur in purpura, eaque induebantur, unde nimen illi factum Porphyrogenetarum. Secundi erant Martyres, qui cum effuderint cruorem suum pro Evangelii fide, in Ecclesia coluntur tamquam prima ejusdem præsidia. Tertii erant Cardinales, qui induti fuerunt purpura, ut recordarentur, se paratos esse debere ad sanguinem suum propter fidem effundendum. Sed ut paucis vobis exhibeam tria hæc personarum genera, satis erit ostendere, vobis S. Carolum Borromæum, qui indutus fuit,

1. Purpura Imperatorum & Regum, quippe qui ex præclarissima familia natus est Principibus affluenti, quorum merita sunt celeberrima.

2. Purpura Martyrum, quia se ipsum Martyrem fecit cilicii, austeritatibus, & mortificationibus corporis sui.

3. Purpura Cardinalium, cum dignus inventus fuerit, qui in sacrum Collegium cooptaretur, quippe ardens ex charitate, quæ hujus status est propria. Et affirmari potest ipsum triplicis hujus status munera repleviſſe, primum cum nullum fuerit alicujus momenti negotium in Christianitate sive in temporalibus sive in spiritualibus, quo ille summa cum prudentia defunctus non fuerit. Secundo cum in obeundo munere Archiepiscopi Mediolanensis, Principum virorum contradictiones, infirmorum insultus pertulerit, & pluries etiam in discrimen fuerit adductus vitam amittendi. Tertio cum suum ministerium obierit tali charitate, ut nihil esset vel in ejus persona, vel in bonis, quod pro populo suo non sacrificasset. *Auctor recens.*

VII. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.* Isaiæ 63. Hic proculdubio est S. Carolus Borromæus, in cujus honorem congregati sumus.

1. Nonne venit de Edom, terra secundum Scripturæ stylum reprobata; quandoquidem adeo generose abrenuntiavit sæculi pompis, aulæ deliciis, & fortunæ, quæ a deliciis, ac pompa videtur separari non posse?

2. Vestes illius nonne sunt tinctæ de Bosra? nonne purpureæ sunt non solum propter dignitatem, quam in Ecclesia obtinuit, sed multo magis propter decorem, quem zelus, & Charitas ardens illis afflavit?

3. Tandem nonne est *formosus in stola sua*? Nonne pulcherrimam habet speciem veneratione, & majestate plenam in Sacerdotalibus indumentis: quia Sacerdotio decorem reddidit, Sanctuarium reformavit, & instauravit pastoralia munera, quæ plerumque ab Ecclesiasticis sæculi sui erant neglecti?

Equidem scio locum hunc primum, & præcipue intelligi de Filio Dei, qui venit de Edom, videlicet de medio peccatorum: verum licet nobis, quin officiamus reverentiæ Domino debitæ, hæc eadem verba ad famulum transferre, quandoquidem huic ad unguem conveniunt, saltem per imitationem, & per similitudinem, quam habet cum Salvatore. Audacter ergo de Sancto nostro dicamus: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua*; eumque hodierna luce consideremus in splendore hujus dignitatis, quæ cedit in honorem personæ illius, vel potius in nitorem virtutum ejus, quæ illius dignitatem commendant; & efficere adnitamur, ut tanta lucis magnitudo imprimat in mente nostra, & tantæ dignitatis reverentiam, & virtutem adeo insignem imitandi desiderium. *Ogier in Actionibus publicis.*

VIII. *Inveni virum secundum cor meum.* 2. Reg. 14. Hæc dicta fuerunt de David, qui revera fuit vir secundum cor Dei, & Salvatoris figura; nihilominus S. Carolo conveniunt, qui fuit illius veriſima imago. Salvator triplici sensu agebatur sensu miserationis erga peccatores, cum omnes vitæ suæ dies impenderit; ut illis prodesset, & cum tandem mortem ipsam subierit, ut illis æternam vitam donaret: sensu Religionis erga Patrem suum, cujus justitiæ se obtulit tamquam victimam salutarem mundi totius salutem procuraturus; sensu amoris erga Ecclesiam suam, cum tot curas, vigilias, sudores, labores atque adeo mortem ipsam fuerit perpessus, ut illam institueret. Dicere autem possumus Magnum Carolum Borromæum perfecte imitatum fuisse Dei Filium in hisce tribus; nam

1. Actus fuit sensu teneræ, & amantissimæ commiserationis erga homines & pauperes & peccatores; cum ab ipsa inceperit adolescentia exercere opera misericordiæ, ætatem vero provectiorem traduxerit in peccatoribus convertendis, & ovibus, quæ deerraverant, in Ecclesiæ sinum revocandis,

2. Actus fuit Religionis sensu erga Deum, cum omnino abrenuntiaverit pompis sæculi, & magnis honoribus, quos genus suum illi promittere poterat, ut se se totum devoveret Deo; hac de re implicans se Sacerdotio.

3. Actus fuit sensu amoris erga Sanctam Ecclesiam usus zelo suo ad reformandos abusus, qui in illius sinum obreperant per improbos mores Ecclesiasticorum ævi sui, per omnimodam pravitatem omnium ordinum Cleri, & propinquitatem Hæreticorum, qui ubique omni conatu, & ea, quæ maxima erat, calliditate doctrinam veneno infectam serebant. *Auctor recens.*

Digitized by Google

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia potest ad propositas Sermonum structuras exornandas, & Auctores de hoc agentes Argumento.

scriptores Vitæ S. Caroli.

SAncti Caroli Borromæi vita scripta fuit a variis Auctoribus, variis linguis.

Primus qui eam latinè scripserit, est Carolus a Basilica Petri Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli, quos Barnabitas vocant. Auctor fuerat Discipulus, & S. Caroli familiaris.

Augustinus Valerius Cardinalis Veronensis Episcopus, qui pariter S. Caroli Discipulus fuerat, & amicus, vitam ejus conscripsit.

Joannes Baptista Jussanus e Congregatione Oblatorum S. Ambrosii a Sancto nostro instituta Italice vitam ejus multis auctam circumstantiis edidit, quæ in Gallicum sermonem a quodam Oratorii Presbytero translata fuit.

Qui actiones, & virtutes Magni hujus Præsulis præter hos scripsere, ab hisce tribus mutuati sunt, cumque nihil novi ferant, inutile est illorum texere nomenclaturam.

Qui variis linguis elogium illius scripsere.

Celeberrimus Panigarola funebrem illius Orationem habuit cum prolixo elogio.

Jussanus Auctor Italus in Sermone ad id elaborato illum summis laudibus effert.

Petius Joannes Perpinianus in latinis Orationibus unam habet differtissimam hujus Argumenti,

Godeau in tomo, qui continet Præsulum elogia, unum habet de S. Carolo præstantissimum.

Concionatores.

Biroat tomo 3. Panegyricorum.

Flechier in Panegyricis.

Ogier in actionibus publicis præclarum habet S. Caroli Panegyricum.

In Specimine Panegyricorum tres sunt Synopses, vel Compendia Sermonum hujus Argumenti.

In Christianis Sermonibus in præcipuas anni festivitates tomo tertio.

P. Duneau tomo 3. Panegyricorum.

In Sermonibus Abbatis Fromentier unum invenies hujus argumenti.

P. Senault Oratorii in Panegyricis tomo 3.

P. Novet in Vita Jesu Christi in Sanctis suis Meditationem habet pro die festo Sancti hujus.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui huic argumento possunt congruere.

PRævenisti eum in benedictionibus. Psalm. 20.

Dedit illi Dominus legem vitæ, & disciplinæ. Eccli. 45.

Suscitabo mihi Sacerdotem, qui juxta cor meum faciat, & ambulabit coram Christo cunctis diebus. 1. Reg. cap. 35.

Suscitabo super oves meas Pastorem, qui pascat eas. Ezechiel. 34.

Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi Pastor gregem suum. Eccli. 18.

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & greges tuos considera. Proverb. 27.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem. Psalmo 36.

Justus cor suum crudet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Eccli. 39.

Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adjutor. Psalm. 10.

Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Eccli. 32.

Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligenter investigabam. Job 29.

Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Ibidem.

Oculus fui cæco, & pes claudo. Ibidem.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Matth. 5.

Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10.

Talis decebat ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus. Ad Hebr. 5.

Qui intrat per ostium Pastor est ovium, & oves vocem ejus audiunt.... ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Joan. 10.

Charitas Christi urget nos. 2. Cor. c. 5.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? 2. Cor. c. 1.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Eccli. 31.

Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non turpis lucri, cupidum. Ad Tit. c. 1.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ecclesia ex Eccli.

Vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum. Judith. 8.

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei. 1. Petri.

Cum placuit ei, qui me vocavit, continuo non acquievi carni, & sanguini. Ad Galat. 1.

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. ad Timoth. 3.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Psal. 142.

Convertimini Filii revertentes, dabo vobis Pastores juxta cor meum. Jerem. 3.

Non quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Ad Hebr. 5.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Psal. 25.

Evangelizare pauperibus misit me. Luc. 4.

Memento te præpositorum tuorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei. Ad Hebr. 13.

Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. 2. ad Timoth. 4.

Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne Consilium Dei vobis. Act. 20.

Væ mihi est si non Evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit. 1. ad Cor. 9.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Isaiæ 58.

Doctrina viri per patientiam noscitur. Prov. 19.

Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi unus ex illis. Eccli. 32.

Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Thren. 4.

Constitui te hodie super gentes, ut evellas, & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Jerem. 1.

Væ pastoribus Israel, erraverunt greges mei in cunctis montibus, & non erat qui requireret. Ezech. 14.

Pleni dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterum monere. Ad Rom. 15.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. Ad Titum 2.

Exempla, & Figuræ Biblicæ in hoc argumento.

Qua in re S. Carolus possit cum Moyse comparari.

SAnctus Carolus similis fuit Moysi, qui legem, quam a Deo acceperat, tunc tandem Israelitis irrogavit, cum post proposita exempla Abrahæ, & aliorum Patriarcharum, ut illis suavius, & similiarius inspiraret legis hujus praxim, secundum verbum S. Petri se præbuit formam gregis; atque jis tunc Dei Sanctæque Ecclesiæ leges prædicavit, cum exemplis suis omnes stravit difficultates. Ratus non secus ac antiquus ille legislator Pastoris, qui bonus est, ac irreprehensibilis munus esse, orare, obtestari, admonere, increpare, animos addere inertibus, in viam revocare aberrantes. & confundere eos qui in vitiis suis volutari volunt. Clero, populoque suo in vitæ domusque suæ disciplina quamdam proposuit Commentariorum speciem in eas Leges, quarum praxim reparare adnitebatur. Hujus exempli vi, qui impuram alebant consuetudinem sua abdicabant flagitia; furentes, & iracundi lenitatem addiscebant; inimici in gratiam revertebantur, avari liberales, maledici fiebant verecundi; ultionum cupidi mites, & cælum omnes illius labores benedictionibus suis prosequebatur.

Zelus S. Caroli similis zelo Eliæ, Phinees & Matathiæ, & illi etiam præferendus.

Si qui unquam zeli laude inclaruerunt, hi sane fuerunt Phinees, & Matathias. Dei legem violari videntes in re gravis momenti, id æquo ferre non potuerunt animo, & gladio præcincti irruerunt in legis prævaricatores. Moyses ipse, qui deleri cupit de libro, quem scripserat Deus, pro fratrum suorum salute viginti tria millia ad idololatriam eorum expiandam jussit occidi. Hi zeli sui ardorem peccatorum sanguine extinguunt. Sed S. Carolus ipse sanguinem, vitamque suam offert ob eorum salutem. Zelus suus agit solum contra se ipsum, contabescit, absumitur, devoratur, ut animæ, sanguini, & vitæ sui gregis parcatur. Sævissimæ quælibet persecutiones charitatis ejusdem ardorem temperare non valuerunt. Impii, vel invidentes gloriæ ejus, vel ejusdem virtute irritati illum deculerunt, tanquam regiam sibi usurparet auctoritatem; fidelitatem ejus apud Regem in suspicionem vocaverunt, illius apud Summum Pontificem famam violarunt; insidias illi struxerunt, & sicarios comparavunt, qui eidem necem inferrent. Hæc omnia tamen charitatem ejus extinguere non valuerunt, immo neque ad breve spatium remorari. Semper inter manifesta pericula, non cessavit oves deerrantes perquirere. Salvatori similis illis mortem suam condonavit, ac tetendit manus ad eos crudeles, qui tanti Pastoris voci utrinque obstruebant aurem.

Zelus ejus zelo S. Pauli similis. Ad Cor. 11.

De se ipso dicebat S. Paulus, *in labore, & ærumna, & vigiliis multis &c.* Hæc proculdubio locuples est laborum præstantissimi Apostoli, egregiique Archiepiscopi hypotiposis, & solum discrimen quod inter utrumque inveniri potest, hoc est, quod S. Paulus quadam quasi necessitate compulsus omnes hosce labores pertulit eo tempore quo Christiana Religio contemnebatur, inter popu-

Digitized by Google

populos inimicos, in orientis Ecclesiæ persecutionibus, & ærumnis. Sed Archiepiscopus noster passus est frigus, & nuditatem sub Cardinalitia purpura; fame & siti in rerum omnium copia laboravit; omnes sustinuit paupertatis ærumnas in propriarum divitiarum contemptu. Sed in exiguo hoc discrimine ecce absolutissimam similitudinem: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et profecto ne unam quidem prætermisit, ubi non reliquerit præclara suæ vigilantiæ, & charitatis pastoralis monumenta. Nulla fuit in Diœcesi illius Parœcia, (& Diœcesis illius omnium Italiæ una longissime, latissimeque patebat) quam ipse per se pluries non visitaverit, quam ipse non catechizaverit, quam bonis exemplis suis non erudierit, & misericordi charitate sua non recreaverit. Nulla sunt adeo remota, ac devia loca, quo non penetraverit, nulla adeo profunda vallis, quo non descenderit, nullus adeo sublimis, præruptusve mons quo pedibus non ascenderit sudore manans; & hæc omnia, quin omitteret unquam sibi vulgaria exercitia meditationum, jejunii, aliarumque mortificationum corporalium, & spiritualium.

Ex mortificata illius vita similis illi S. Joannis Baptistæ. Matth. 2.

S. Joannes Baptista prædicationem suam exorsus est a pœnitentia: *Pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum Cœlorum*; & vita illius licet esset integerrima, tamen exemplo magis, quam verbo prædicavit pœnitentiam. Salvator quoque mundi prædicationis suæ duxit exordium a pœnitentia, præcepitque, ut idem facerent Apostoli. Sed divina Providentia suscitasse videtur S. Carolum, *ut daret gentibus Pœnitentiam*, ut populis in persona sua, suaque vivendi ratione verum pœnitentiæ præberet exemplum. Vitam puram, ac sine labe ducens non admodum egebat pœnitentia, sed ut hanc aliis suaderet, austeritatem mirum in modum exercebat; ita ut incredibile videatur ipsum vitam ad septimum supra quadragesimum ætatis annum producere potuisse tot inter labores, atque mortificationes; quandoquidem posterioribus vitæ suæ annis arcto pane, & aqua brevi victitabat, & per Quadragesimam pane etiam abstinebat, & alebatur caricis, & leguminibus aqua dilutis. Per annum semel tantum in die vescebatur; quem morem servabat etiam cum diœcesis visitationem obiret, & itinera sua perageret.

S. Carolus exemplis potius, quæ auctoritate, non secus ac Osias populum ad præceptorum observantiam perduxit. 2. Mach. 3.

Scriptura nobis Machabæorum tempus describens tanquam sæculum aureum pro populo Dei, nobis perfectam ostendit tranquillitatem, qui ille perfruebatur, & libertatem quæ illi erat observandi in Templo Jerusalem omnes cæremonias, & Religionis solemnitates, quæ factæ fuerant ipsis etiam alienigenis populis venerabiles. Sed universa hæc bona summo Sacerdoti Oniæ, penes quem tunc summa rerum erat, referuntur accepta: *Propter Oniæ Pontificis pietatem*. Hoc nobis satis palam innuit quantam bonorum copiam afferat semper Ecclesiæ bonum eorum exemplum, qui illius sunt capita. Hoc, & longe plurima, quæ in hoc argumento dici possent, palam probant arctam obligationem, quam Pastoribus injiciunt lex naturalis, atque divina præeundi populo in via salutis; eique bonis exemplis prælucendi, cum Mundi Salvator explicite dicat: *Bonus Pastor, cum propria oves emiserit, ante eas vadit*. Si hæc verba perpendamus, *ante eas*, illa nequaquam mysterio vacua inveniemus. Pastor gregem suum ducere potest ambulans post ipsum; sed hoc non est tam illum ducere, quam cogere, qui character est Pastoris rigidi, & severi; sed cum ipse præit, facile post se gregem trahit ultro subsequentem; qui amantissimi Pastoris character est; & hoc ex Ecclesiæ suæ Pastoribus Jesus Christus exquirit. Hoc præstantissime S. Carolus præstitit; non reprehensionibus, non severis, aut durisculis verbis usus est, ut in Evangelii viam populum suum cogeret; leniter attraxit oves suas, bonisque exemplis effecit, ut se præeuntem in pœnitentiæ viam sequerentur. Non ideo putes minus auctoritatis inesse Pastori, sed bonum exemplum in Pastore magis valere debet, quam auctoritas.

Jo. 10. 4.

S. Caroli zelus hæreticos a diœcesi sua prohibens comparatur Cherubim a tenendis Paradisi aditu homines semoventis.

Magnus hic Sanctus Dei verbo tanquam gladio, sanctoque ejusdem amore armatus, quo cor illius æstuabat, semovit errores, & profanas novitates, quæ in diœcesim ipsius obrepere conabantur, similis Angelo præ foribus Paradisi Terrestris posito, qualem Spiritus Sanctus nobis describit in Genesi, cum flammeo, & versatili gladio prohibiturus, ne noxium genus in sanctitatis, & innocentiæ locum ingrederetur, ubi primi parentes nostri nacti fuerant felicitatem, & ubi Deus eorum delicias constituebat. Talis pro finibus Diœcesis suæ stare visus est S. Carolus; habebat in ore gladium ignitum (ita enim illum appellat scriptura) in utramque partem versabat illum, cum hoc armorum genere pugnabat adversus hæresim, quæ late Galliam, Germaniamque depopulabatur, & quæ omnes exerebat conatus suos, ut Alpes superaret. Deprompsit ille totum zeli sui ardorem, & incredibili constantia, atque vigilantia omnes provinciæ suæ aditus tutatus est. Modo summovet inimicum hominem, qui noctu accesserat, ut in agro Dei superseminaret zizania; modo jaculatur anathema in corruptorem, qui laxitatem morum palam profiteri non audet, atque errorem, vivendique licentiam invehere. Modo confundit vanitatem, quæ omnibus Sophistarum acuminibus utitur ad pravam doctrinam sustinendam.

Applicationes aliquot Scripturæ locorum huic argumento.

S. Carolus se Episcopali dignitati omnium virtutum praxi.

Suscitabo super oves meas Pastorem unum, qui pascat eas. Ezech. 34. Non immerito S. Paulus Apostolus in Episcopis ad Ecclesiæ Dei regimen evocatis tanquam præcipuam & maxime necessariam qualitatem requirit, ut sint irreprehensibiles; & jure Sancti canones vetabant, ne quis ad hanc dignitatem assumeretur, qui publico quopiam scelere, aut vitæ anteactæ fama laborans scandalum attulisset fratribus suis, licet maxime cuperent aliorum saluti, & aliorum conversioni prodesse. Volebant innocentiam gradum esse ad Episcopatum. Verebantur, ne memoria, & cognitio infirmitatis Superiorum imminueret reverentiam, quæ & dignitati, & personæ debetur. Non credebant, his plenam futuram libertatem eos corripiendi, qui in similia scelera incidissent iis, quæ ipsi patraverant: & illis erat persuasum, Deum nequaquam passurum esse circum altaria vel impuritatem, vel malam famam, & opus esse, ad hoc ut aliquis digne serviret Ecclesiæ, quod antea quilibet pro modulo suo illam ædificasset. Hoc S. Carolum perfecte observasse, certissime asserere possumus, & tantum abest, quod labes aliqua in fama illius inveniri potuerit, ut a pueritia sua vitam duxerit angelicam potius quam humanam.

Exemplum Sancti hujus fuit norma aliis Pastoribus, & probavit legem ab ipso constitutam pro gregis regimine.

Dedit illi legem vitæ, & disciplinæ. Eccli. 45. Hæc verba sunt, quibus Sapiens concludit magni Legislatoris Moysi elogium, qui electus a Deo, ut educeret populum suum de Ægyptia servitute, & ut illum in terram promissam adduceret, ad id legem accepit, complectentem præcepta vitæ, & omnem disciplinam a populo servandam, cujus ipse futurus erat Caput, & Dux. Omnes isti tituli nequaquam excedunt Sacerdotum, atque Pastorum dignitatem; quandoquidem his demandatur provincia regendarum animarum, & eorum ministerium, & munus est illis cæli viam ostendere, moribus eorum invigilare, vitæ leges illis præscribere, & adhibere auctoritatem, quam illis suus tribuit character, ut illæ religiose observentur ab aliis. Sed status ad quem illos extulit Deus simul eos cogit ut sese exhibeant viventem regulam, ac formam iis, qui eorum subjecti sunt regimini, ut illos efficientius eruditi exemplo vitæ, & lumine actionum suarum, ut loquitur Evangelium, quam sanctissimis sanctionibus, quas valeant inferre. Si quis autem diligenter hæc munia obiit, & adeo gloriosis officiis defunctus fuit, ut ille fuit insignis Mediolani Archiepiscopus S. Carolus Borromæus, quem videtur Deus novissimis his sæculis dedisse, ut esset Antistitum exemplar, ut rursus Sanctuarii ignem accenderet, ut veterem Ecclesiæ disciplinam revocaret, & admirabili cum fructu ad generalem morum reformationem incumberet, ita ut ratus sum me non posse absolutiorem virtutum, & meritorum Patris hujus imaginem proponere, quam id dicendo, quod per os Sapientis Moyses testatus est: *Dedit illi legem vitæ, & disciplinæ*. Legem, inquam, secundum quam vitam, actionesque suas composuit: ita ut se præbuerit exemplar, secundum quod Præsules omnes, omnesque fideles se ipsos formare possunt; & legem disciplinæ, qua ita Ecclesiam, clerumque suum rexit, & populum suum adeo feliciter conformavit, ut jure illi gloriæ vertatur, quod per ipsum Sacerdotii sanctitas resplenderit, quod ipse Clerum reformaverit, quod Ecclesiasticorum fervorem accenderit, Pastorum zelum excitaverit, pietatem inter populos restituerit, & universam Ecclesiæ faciem mutaverit: *Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam*. Ezech. 34.

S. Archiepiscopus in discrimen vitam adduxit ut gregē suum in viam bonam revocaret.

Dolentibus gravissimis conficior, ubi instaurare cogor memoriam flagitiorum omnium, quæ partem decimi quinti, & rursus partem decimi sexti sæculi pulcherrimam gregis Jesu Christi partem, Archiepiscopatum Mediolanensem afflictarunt, quem ignorantia, vel infirmitas, aut Pastorum absentia in prædam vitiis omnibus derelinquerat, & me pudet in lucem proferre infinita propemodum mala, quæ æterna oblivione fuissent obruenda. Verum quomodo missa facienda sunt, & involvenda silentio ea mala, quæ Sancti nostri Archiepiscopi zelum excitarunt? hæreses ex quibus tot nobiles triumphos reportavit? Hæc tanta fuere, ut Deus misertus malis præstantissimæ illius partis Italiæ, suscitaverit fidelem hunc Pastorem, qui illam in Ecclesiæ sinum revocaret, eam verbi pane pasceret, ne æterna fame interiret. His temporibus, quæ tot malis diffluebant, S. Carolus, Episcopatum ingressus omnes labores, curas, & vigilias impendit ad abusus reformandos, ad hæreseos faces extinguendas, ut dici possit, si grex ille extra omnem aleam periculi positus fuit, ejusdem exemplis, & verbis, magno huic Pastori acceptum hoc esse referendum; quandoquidem non curis, neque propriæ vitæ pepercit ut adeo optatum finem consequeretur.

Cura de necessitatibus gregis sui ab hoc pastore suscepta.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Psalm. 10. Ubinam providentia, & divina Salvatoris charitas majorem obedientiam ac fidem invenerunt, quam in Sancto Carolo, qui semper tam quam curarum suarum objecti respexit patiperes, & miseros diœcesis suæ? Hoc genus charitatis tria mihi videtur complecti, oculos ad necessitates detegendas, cor ad compatiendum, & ma-

Digitized by Google

& manus ad ferendam laborantibus opem. Hæc vigilans cura ad cognoscendos eos, qui in necessitate erant positi, effecit, ut semper in Diœcesi sua resideret, licet plurima essent, quæ illum in summi Pontificis aula, omnino totum requirebant, vel saltem quæ privilegii loco esse poterant, ut sæpe a ministerii sui muneribus se dispensaret, quæ aliis Episcopis videri potuissent inferiora communibus Ecclesiæ negotiis. Hæc autem cura, & vigilantia non solum theoretica fuit. & Sanctus Pastor nullam sibi elabi passus est occasionem illius in praxim redigendæ, ubilibet inveniret aliquem, in quem suam opem conferret. Neque solum misertus est malorum, ac necessitatibus populi sui, sed omnes curas, labores, & bona sua impendit, ut frugalem copiam procuraret iis, qui laborabant inedia, & solatium iis, qui in afflictione versabantur.

S. Carolo non sufficit cura sui, ut alii legem observaret, sed ut ipse primus omnium observaret illam.

Dedit illi legem vitæ, & disciplinæ. Eccli. 45. Nemo, credo, difficebitur, statuta, sanctiones, & leges longe facilius fieri, quam observari, & eos, a quibus irrogantur, sæpe illos esse, qui primum eis perstringunt. Sed tantum abest, quod hæc de Archiepiscopo nostro dici possint, ut universo orbi Christiano persuasum sit, huic potissimum acceptum referendum esse, quod ille primus observaverit, & effecerit, ut omnia sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta observarentur, ante illos etiam, qui eadem decreverant, & constituerant. Et profecto quamvis illud Concilium inceptum, atque perfectum fuerit inter incredibiles obices, & insuperabiles fere difficultates, quamvis Cæsarum, Regum, immo etiam Summorum Pontificum utilitas sæpe illius progressum retardaverit, quamvis Politicorum consilia, hæreseos astus, & dæmonis insidiæ sanctis illius sanctionibus fuerint adversatæ, cum tandem absolutum fuit contra sæcularium conatus, dicere possumus Sanctum Cardinalem nostrum immortalem gloriam adeptum fuisse, efficiendo, ut summa, qua fieri potuit, diligentia ea servarentur decreta, quæ tot in Ecclesia difficultates sustinuere.

Cum S. Caroli ævo multa esset messis, magnum operariorum numerum cōparavit.

Messis multa, operarii autem pauci. Matth. 9. Dei Filius respiciens exiguam suorum discipulorum manum, quos ad tot populorum conversionem destinaverat, clamabat; *Messis multa, operarii autem pauci*, & nihilominus parvus hic operariorum numerus adeo feliciter operati sunt, ut brevi infinitos fere populos converterint. Modo vero magnus hic Paterfamilias miseratione ductus, & precibus, lacrymisque bonorum virorum, præsertim vero S. Caroli, commotus, per hujus ministerium tantam bonorum operariorum multitudinem in messem suam misit, ut Sancti hujus Cardinalis ævo dici posset, *Messis pauca, operarii vero multi.*: Exquisitum semen projecerunt, sed partim incidit in spinas, in mentes mundanis negotiis impeditas, quæ illud suffocavérunt, partim secus viam, ubi prætereuntium pedibus conculcatum est, videlicet neglectum, atque contemptum ab iis, qui in viis sæculi ambulabant; partim super terram lapidosam ubi modicum tulit fructum; qui cum nullo humore aleretur, ad primos Solis radios exaruit; hoc est omnis spes quæ de plurimorum conversione habebatur ad primos mundanæ fortunæ radios exaruit. Quomodocumque res se habuerit; magnus iste Sanctus tantam adhibuit assiduitatem, ut ingentem fructum fecerit in Ecclesia omnibus annis Episcopatus sui.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum quæ huic Argumento convenire possunt.

Zelo domus Dei comeditur, qui omnia perversa quæ videt, cupit emendare, & si emendare non potest, tolerat, & gemit. S. Augustinus in caput 3. Joann.

Quo zelus fervidior, ac vehementior Spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, qua zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. S. Ambros. in Psal. 118.

Zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingent nimirum, atque resiliens. S. Bernard. Serm. 4. de verbis Isaiæ.

Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia, sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Idem in Cant.

Planta, riga, hæc curam, tuas explevisti partes: fere, incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu, ubi forte noluerit; tibi deperit nihil. Idem l. 4. de consideral.

Noli diffidere, curam exigerit, non curationem. Sic Paulus loquitur, plus omnibus laboravi, non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi. Idem ibidem.

Habe primo zelum super te ipsum, & tunc juste zelare poteris proximum tuum. Lib. 1. de imit. Christ. c. 5.

Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Canon. in Sacerd. dist. 61.

Ubi populus sui Pastoris incuria spiritualem famem cælestis doctrinæ patitur; ibi est omnis pietatis, & Religionis exterminium. S. Chrysost. hom. 54. in Genes.

Dispensatio cælestis seminis nobis credita est: væ si non sparserimus, væ si tacuerimus, væ nobis qui ministerii opus susceperimus, si Domini veritatem, quam Apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Nicolaus Papa in Epist. ad Mich. Imperat.

Sacerdos cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi Sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. S. Prosper.

Hoc est maximum periculum hominum de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. S. Thom. in Ep. ad Hebr. 3.

Ex se, non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulci virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. S. Gregor. in Pastor. lib. 1. cap. 2.

Onus Angelicis humeris formidandum. Nempe Episcopi Munus. Concil. Trident.

Cum Pastor per abrupta graditur, fit ut ad precipitium grex sequatur. S. Gregor. in Past. lib. 1. cap. 2.

Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Distinct. 8. c. consuetudo.

Ad hoc speculatores, hoc est populorum præpositi constituti sunt in Ecclesia, ut non parcant objurgando peccata. S. August. lib. 1. de civit. c. 9.

Tantum debet actionem populi transcendere actio præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. S. Gregorius in Past.

Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat. Idem ibidem, l. 1. c. 9.

Revera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed quantum voluit habere contemnit. S. August. Ep. 34. ad Paulinum.

Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere. S. Hieron. Ep. ad Demetriadem de custod. Virgin.

Aurum habet Ecclesia ut eroget, non ut servet. S. Ambrosius.

Facultates Ecclesiæ patrimonia sunt pauperum. S. Bernardus.

Dispensatores nos Deus, non hæredes reliquit; nam hæreditas successori quæritur, dispensatio pauperibus. S. Ambros. de obitu fratris.

Gloria Episcopi est pauperum necessitati providere. S. Hieronymus.

Quidquid nobis Deus plusquam opus est, dederit, nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum. S. August. serm. de Eleemosyna.

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris mensura placet modus pietatis. S. Leo de apparit. Domini.

Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Idem ibidem.

Loci desumpti ex vita Sancti.

Castitatem adeo coluit, ut impudicas etiam mulieres ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immissas, invicta constantia fugaverit. Ex lect. 2. Nocturni Officii illius.

In sacrum collegium cooptatus, insigni pietatis, & virtutum omnium splendore coluxit. Ibidem.

Mediolanensis Archiepiscopus creatus se ipsum eximia sanctitatis præbuit exemplar. Ibidem.

In profligandis Hæreticis, quorum plurimos ad Christianam fidem convertit, maxime laboravit. Ibidem.

Quo tempore pestis Mediolani grassabatur, domesticam supellectilem, ne relicto sibi lecticulo, in alendos egenos contulit. Ibidem.

Ecclesiasticæ libertatis fuit acerrimus propugnator. Ibid.

Disciplinæ restituendæ sollicitus a seditiosis igneo globulo percussus divina virtute servatur illæsus. Ibidem.

Nocturnis vigiliis, asperrimo cilicio, assiduis flagellis corpus suum domabat, Ibidem.

Humilitatis, ac mansuetudinis studiosissimus fuit. Ibidem.

Multas Ecclesias, Monasteria, Collegia ædificavit. Ibidem.

Cinere ac cilicio coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis migravit in cælum. Ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hauriri valeat in hoc argumento.

S. Carolus sciens Ecclesiasticum statum majorem posse recipere perfectionē, quo magis affurgit, ab adolescentia præbuit se virtutum omnium exemplar.

Nulla est conditio nobilior, elatior, & quæ ideo majorem flagitet præparationem, quam illa Sacerdotum, Pastorum, & ut verbo me expediam, ministrorum Altaris. Per peculiarem devotionem pertinent ad Deum; huic igitur inservire debent, eique adhærere perfectione eo majori, quo magis supra exteros attolluntur. Ad aras propius accedunt; vitam ergo ducere debent puriorem, magisque sanctis mysteriis, quæ celebrant, conformem. Orant pro populis, eorum sunt intercessores apud Deum; hunc ergo sibi magis propitium reddere debent. Corrigunt alios; opus est ergo illos esse irreprehensibiles. Illorum ductores sunt in via vitæ spiritualis; opus est ergo, ut illi priores in hanc ingrediantur. Sed hæ omnes necessariæ qualitates Sacerdotibus, & Pastoribus generatim, eo magis necessariæ sunt Episcopis, quia sublimiorem tenent locum in Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia, & quia non solum sunt mundi lux, sed quia cum hoc lumen in altiori Ecclesiæ loco situm sit, nunquam debet esse nube aliqua involutum. Hæ meditationes ita percullerunt mentem S. Caroli ab adolescentia, ut jugi progressu in perfectione ambulans de virtute in virtutem acquisiverit meritum, ac pietatem, qua honori fuit purpuræ Ecclesiasticæ ea in ætate, qua cæteri vix ad primos Ecclesiæ ordines admittuntur.

Se devovit Episcopatui officiis credens hunc non esse titulum inanem, & laboris vacuum. 2. ad Tim. 4.

Episcopatus non est titulus sine re; sed ministerium negotiosum, ac laboriosum, continens multitudinem officiorum essentialium, quæ non ita facile repleri valent. Hinc S. Paulus scribens ad Timotheum discipulum suum, ostendit illi incessanter vigilandum, & laborandum esse: *Tu vero vigila, in omnibus labora*, adhortans illum, ut Jesu Christi gratia se sustineat in hac sancta vocatione, modo tanquam miles adscriptus in militia filiorum Dei, ut resistat operibus carnis, & potestatibus tenebrarum, *labora sicut bonus miles Christi*; modo tanquam Evangelista, qui laboribus, actibusque suis Ecclesiam debet confirmare; modo tanquam sequester mysteriorum Jesu Christi, *bonum depositum custodi*; modo tanquam fidelis minister, qui omnia munera sua debet obire, *ministerium tuum imple*; modo tanquam vas honoris, quod consecrandum est, & futurum utile ad plures sanctos usus in Templo Domini; *Vas in honorem sanctificatum, & utile Domino*: Denique tanquam homo Dei in rebus omnibus perfectus, & in omni bonorum operum genere formatus: *Homo Dei ad omnes opus bonum instructus*. In hac perfecti Episcopi imagine facile est invenire fidelem S. Caroli tabulam, qui ab avunculo suo electus, repente vidit se Cardinalem, Archiepiscopum Mediolanensem, Primum sanctæ Sedis ministrum, & orbe Christiano secundum.

1. ad Tim. 1. Ibidem. 2. ad Timoth. 2. Ibidem.

Novit S. Carolus distinguere dignitatem & charitatem, quæ secum pugnare videntur in summis dignitatibus. In Ecclesia vero præsertim.

Temporales opes Præsulibus sunt necessariæ ad tuendam dignitatem suam, ad conciliandam sibi in populis venerabilem auctoritatem, & faciendum, ut spiritualis jurisdictionis suæ mandatis obediatur. Hac de causa illas largitur Ecclesia; & hic difficilis fit Præsulibus usus ad illis efficiendus in pauperum solatium; quia eas sibi necessarias putant, non sine quadam specie justitiæ. Nihil in morum disciplina periculosius est, quam ubi duæ secum confligunt virtutes, quarum altera amori proprio suffragatur, alia vero nostris studiis adversatur; fidei enim consonum est hujusmodi in occasionibus amorem proprium illi adhæsurum, quæ affectionibus illius velificabitur. Se dispensat ab oneribus essentialibus, quæ ipsi incommodant, licet urgeant magis, sibique persuadet se legitime facere posse injustam hanc prælationem. Hoc accidit principibus viris mundi hujus, & illis etiam, qui Principes sunt in Ecclesia. Cum agitur de erogandæ eleemosynæ, duæ simul pugnant virtutes; charitas postulat, ut bona sua largiantur; justitia putat illos ea statui suo debere, eaque tanquam necessaria sibi retinere. Quid interea amor proprius? Callide in justitiæ hujus assertæ partes concedit, & sub colore tuendæ dignitatis Episcopatus, renuit eleemosynam pauperibus opem in necessitate petentibus. Color infelix! Periculosa illusio, quæ tamen nunquam valuit prohibere S. Caroli liberalitatem. Prætulit semper pauperum necessitates suis, neque dubitavit unquam uti divitiis ad dignitatem suam tuendam necessariis in sublevandis egentium temporalibus, ratus Episcopum nunquam melius defungi officiis ministerii sui, & officii sui muneribus.

Episcopus duo hæc præstare tenetur, sanctificare seipsum & alios.

In Episcopo electo, & vocato a Deo, ut præsit gregi Summi Pastoris, quo titulo Apostolus mundi Salvatorem appellat, duo requiruntur. Primum Episcopus ad eminentem dignitatem in Ecclesia elevatur, quæ adducit illum in sublimem gradum, & confert illi potestatem jurisdictionis in eos, qui illi subjecti sunt. Secundo hic idem gradus imponit illi onera, & officia inevitabilia dignitati ipsi inhærentia; quod ipsum duo obligationum genera constituit, quorum alia unice afficiunt ejus Personam, quæ ex S. Paulo tanto magis clarescere debet virtutibus, quanto eminet gradus quem tenet. Alia vero respiciunt munera, quæ exercet, & quæ illum obligant Ecclesiæ, & populo suo eo modo, qui longissime differt ab eo, quo ceteri fideles vulgo obligantur. Hac de causa secundum Doctorum sententiam Episcopatus est status perfectionis, quem adeptus fuisse supponitur, ita ut quicumque Sanctus, & perfectus non est, hic desit præcipuo officio, & primæ status sui conditioni. Hoc semper in causa fuit ut hæc dignitas sanctis omnibus semper terrorem incusserit, qui nequaquam se satis perfectos esse credebant, ut essent aliis exemplo, ideoque cane pejus, & angue evitabant honorem, quem hodierna die tanta sollicitudine tot mortales ambiunt, quin revocent ad examen vel merita propria, vel susceptí muneris officia. Si enim hic status tantam in eorum persona perfectionem requirit; ad hæc injicit illis necessitatem sanctificandi eos, quorum regimen Deus illis commisit, ita ut neque curis, neque laboribus parcant, ut finem hunc assequantur; quæ res efficit, hoc munus non minus formidandum sit, ubi ratio Deo reddenda est, & propter se, & propter gregem, cujus cura commissa est. Verum quantum dignitatis huic inest statui, tantum dicere possumus eos qui illius munera satis digne exequuntur, supra reliquos Sanctos elevari, quandoquidem locum tenent Apostolorum, quorum sunt successores; & Spiritus Sanctus pollicetur eos, qui alios docuerint, & in justitiæ viam adduxerint, similes futuros esse syderibus duplici luce coruscantibus: *Fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*. S. Carolo adeo persuasum erat de ineluctabili duarum rerum harum necessitate, ut satis nequaquam duxerit ab ineunte pueritia operam navasse; ut perfectionem adipisceretur, sed ad Episcopatum evectus omne tempus suum, atque industriam collocavit non solum ut se sanctiorem in dies præberet, sed ut gregem suum in dies ad sublimiores perfectionis gradus attolleret.

Daniel. 12.

Quousque evadat obligatio Pastorum erga gregem suum hæc mortis objectendi quod præstitit S. Carolus. Joann. 11.

Charitas eo magis Episcopis est necessaria, quo sæpius accidit occasio, in qua fortitudine indigent, vel ad aggredienda ea, quæ nonnisi cum difficultate efficiuntur, vel ad gravissimos labores sustinendos. Opus necesse est aliquando, ut Pastor pugnet adversus lupos, ut gregem suum tueatur, idque etiam cum vitæ suæ periculo; & nonne patet inter boni Pastoris qualitates illam quoque a Salvatore adnumeratam fuisse, vitam ipsam pro grege impendendi? *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Hoc docuit ille in Evangelio, hoc exercuit in cruce, & inde charitas ejus prædicat omnibus illis, qui sunt eorumdem officiorum participes, illis persuasura, ut si fuerit opus, vitam suam pro gregibus suis objiciant. Molestissimo hoc in stadio inventa fuit teneri Pastoris hujus Charitas, cum tetra lue Mediolani urbem, & non modicam Diœcesis suæ partem late depopulante, teneri Pastoris charitate adactus fuit, ut se objiceret, & ægrotantium curam assumeret. Non est loci hujus disceptare, quousque Pastorum obligatio procedat, sese objiciendi, grassante lue, ut gregi suo ferant opem: sed Patres, atque Theologi gravem illam, urgentemque esse consentiunt, idque triplici ex causa. Prior desumitur ex statu, in quo tunc populi inveniuntur, qui duplex periculosarum necessitatum genus complectitur, alterum quidem ratione corporis, quia morbus hic per se lethalis est, alterum vero ratione animæ, quia in morte præsertim, quippe ex eo momento hominum salus pendet, auxilio indigent ægrotantes. Ratio altera desumitur ex gravibus circumstantiis, quæ hoc morbi genus comitantur, videlicet ex solitudine, & omnium fuga. Cum enim hic morbus facile communicetur, quilibet sibi consulit societatem viventium, & morientium fugiens consortia; ideoque destituuntur spiritualibus, ac temporalibus subsidiis, quæ sunt illis maxime necessaria. Tertia ratio innititur ipsi Pastorum officio, quale est curam gerere salutis, & vitæ populorum, quos credidit Deus illis, & quorum sunt rationem reddituri; quod officium nunquam magis urget, quam cum populi ad hæc extrema redacti sunt, quod obligat Pastores ex charitate, quam gregi suo debent, & quod ex quorumdam Theologorum sententia illos obligat etiam ex justitia, quia alluntur bonis, & eleemosynis ovium suarum sub onerosa hac obligatione gravi illis quidem qui nonnisi ingratiis suis defunguntur officiis, sed jucunda bonis Pastoribus, qui deservient, & omnem præstabunt opem temporibus adeo calamitosis atque funestis iis, qui insanabili hoc morbo laborant.

S. Carolus ratus est se esse debere legé viventem populo suo potius exemplis quam sermonibus.

Hoc placitum est a nemine in dubium revocandum, exemplum legem esse viventem, multo plus roboris, atque auctoritatis habentem, quam leges omnes, quæ in libris tantum scriptæ sunt; ita ut vita pura, & irreprehensibilis publica sit doctrina, quam omnes audiunt, & quam unusquisque intelligere potest. Sed non minus constans est veritas illius, qui hoc præbet exemplum, cum sibi auctoritatem comparavit per magistratum suum, dignitatem, genus, locum, quem super alios tenet, vel solam impressionem, quam efficit in mentes & corda ipsum intuentium, trahere non solum omnes, qui ab illo pendent, verum etiam illos ipsos, qui licet eidem subjecti non sint, tamen secundum illius formam sese componunt. Itaque hæc prima qualitas est, quæ in præsule quæritur; sublatus quippe ad illum Ecclesiæ apicem, quem S. Chrysostomus Consulatum appellat, vita, & actiones illius plerumque legis, normæ, & exempli loco sunt illis, qui eidem subjiciuntur; & huic inniti fundamento videtur obligatio, qua perfecti esse tenentur secundum status sui rationem: cum enim teneantur alios ad sanctitatem formare, tenentur necessaria illatione ea media consectari, quæ sunt necessaria, & ex his illud quod validissimum, & certissimum est, & sine quo cætera sunt inutilia, proprium videlicet exemplum, & vitæ sanctitatem. Hac de causa S. Carolus, cui persuasum erat se teneri, ut alios regeret, atque deduceret, lex erat illis exemplo vitæ sanctæ, frugi, ac regularis, quam ducebat, & quam secutus est, quoad vixit, secundum formam, quam S. Paulus Apostolus præscribit Timotheo discipulo suo, ut eum parem efficiat ferendo pondus tantæ dignitatis, ad quam S. Carolus deinceps evocatus fuit.

Non satis est S. Carolo leges & edicta proponere ipse illa exigebatur.

Facere leges, easque primum exequi, duo sunt quæ inter se longissime distant. Nihil hoc tempore usitatius est, quam videre homines minime frugi, & sæpe etiam abnormes magis severos esse ad alios in officium cogendos, & exigendam observantiam legum, quas illis præscribunt, qui suæ sunt auctoritati subjecti. Verum accidit quo-

quoque justo Dei judicio neminem esse, cui minus benevertant cœpta sua, cui minus libenter subditi se se subjiciant, cujus leges magis impune violentur, & cujus imperium, & auctoritas majori cum impatientia toleretur. Experientia quoque docemur, illorum edicta, functiones, mandata illis confiare contemptum, censuras, & hominum irrisiones promereri, qui gestiunt improbe vitam eorum cum legibus, & facta cum præceptis conferre; & indigniti zelum adeo abnormem, & enorme illud discrimen, quod deprehendunt inter ea quæ ipsi faciunt, & quæ præcipiunt; per summam indignationem ac stomachum illis infringunt, licet pœna maneat infringentes, ut affectata inobedientia ostendant illos dignos non esse, qui præcipiant. Tale est hominum ingenium, qui rationem habentes pro prima lege, adeo iniquum facinus sustinere non possunt. Sed dici quoque potest exemplum imperantis probare, confirmare, robur addere legibus irrogatis; & cum justæ sunt, & urbes, reipublicæ, familiæ, vel societati, quæcumque tandem illa sit, nihil adversari quo minus hilariter excipiantur, & ubi legislatoris exemplo fuerint roboratæ, neminem eas detrectare: *Nulli gravis est jussio, quæ consistingit & Principem*, ut Pater quidam ait. Quod Princeps ipse facit, hoc jure præcipere potest, & nemo justam habere potest causam se se dispensandi. Hac de causa Sanctus Præsul noster a Deo vocatus ad Ecclesiasticam disciplinam reparandam, & Clerum in primum disciplinæ fervorem revocandum, semper præbuit se ipsum prototypum gregis sui vitæ suæ exemplo: quemadmodum inquit S. Petrus Apostolus: *Forma facti gregis.*

S. Carolus Salvatorem imitatus offert se ipsum Deo tamquam victimam, ut ab æterna morte eripiat populum sum lapsum in hæresim.

Licet Episcopi sint homines, sunt tamen meditores inter homines & Deum, quia Dei ipsius sustinent auctoritatem, ejusque personam in Ecclesia repræsentant. Verum sicuti Deus ex salute nostra gloriam suam haurit; & quod nobis est utile, illi gloriosum est; permittit, ut Episcopi hominum causam suscipiant, contra suam, & pro peccatoribus ante suum tribunal perorent. Sane videtur præcipuum eorum munus esse, sese Divinæ objicere iracundiæ, cui si nequeunt satisfacere, orare saltem, ut Deus in se ipsos pro noxiis animadvertat. Hoc egit Salvator in Cruce, sciens enim hominum peccata non expiari nisi per mortem posse, hanc subire non abnuit, ut illos liberaret, & rogavit Patrem suum, ut illis parceret. Hac in re Archiepiscopus noster generose illum imitatus est, & licet tanto flagraret zelo pro Dei gloria, tantum præsetulit amorem erga populum suum, ut quotiescumque Deus manus extulit, ut illum perderet, se ipsum obtulerit morti, ut nocentissimum quemlibet a morte liberaret. Cum hæresis omnes Rhætos infecit, eorumque valles depopulata est, ac Deus teterrimus est iram suam justo supplicio tradens in reprobum sensum ipsorum eos, qui derelinquebant Ecclesiam; noster Sanctus mediator prodiit coram Deo cilicio indutus, & cineribus aspersus, ut pro virili parte quod Dei Filius fecerat, a morte animas totius populi sui vindicaret.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti Spiritualium librorum, ac recentium Concionatorum loci hujus argumenti.

Sancti Caroli Borromæi eloquium.

SAnctus Carolus Borromæus, Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis fuit compendium omnium Sanctorum Episcoporum; quos Deus Ecclesiæ suæ dedit sæculis, quæ illum præcesserunt, & in eo collegit omnes Episcopales virtutes, quas in illis diviserat. Natus est tempore tenebrarum, ut lumen esset. Hæresis Lutheri, & Calvini furentem exciverant tempestatem contra S. Petri Naviculam, eaque in eos præsertim detonabat, qui erant navarchi. Horum negligentia illis vires augebat: Horum ignorantia illis audaciam afferebat: Horum infirmitas efficiebat, ut illi triumphum referrent. Juges declamationes ministrorum recentium earum sectarum; populorum querelæ de horum flagitioso vivendi genere, illos non excitabant. In Germania, omnibusque borealibus plagis exules erant, ejiciebantur, contemnebantur, exagitabantur; neque bonorum jactura, aut contumelia, aut persecutiones efficiebant, ut ad se reverterentur. Gallia plurimis in Provinciis eorum jugum excusserat, & auctoritatis suæ diminutio scandalum eorum non minuebat. Hæc paulo integrior erat in Italia, licet ibi locorum corruptio maxime inter Ecclesiasticos grassabatur; & si peccatum non ita audacter, ut antea jactabat sese, tamen semper ibi dominabatur. Ea Christianismi pars, quam sanctissimam esse oportebat, erat una omnium maxime polluta. Duces magis erant cæci, quam qui ab illis ducendi erant. Nihil pastoribus erat, unde a grege secernerentur; nisi quod exercebant in illos dominationem ab Evangelici Sacerdotii spiritu prorsus alienam. Calamitoso hoc tempore dedit Deus Ecclesiæ suæ Sanctum Carolum, qui illius faciem mutaret, & esset exemplar vivens, & animatum eorum qui veri esse debent Pastores. Nunquam visa sunt natalia feliciora, & proniora ad virtutem, nunquam cor rectius, cui plura ineissent probitatis principia, major naturalis bonitatis fundus, nobiliores animi affectiones, pulchrior dispositio ad quæcumque magna suscipienda: quippe omnia in ipso ostendebant animi ejus magnitudinem, & indigitabant adesse quamdam spiritus nobilitatem, gloriosiorem, quam generis, & futurum ut enitescaret, ubi educatio excoluisset fundum adeo locupletem, & institutio perfeciset id quod natura adeo feliciter inceperat. Hoc ipsum prænotare voluit Deus ab ejus incunabulis, per insuetam lucem, quæ emicuit statim ac prodiit in lucem. Ab infantia nihil habuit puerile præter innocentiam, & docilitatem, quas in reliquum vitæ spatium servavit, & animadvertunt illam totam traductam fuisse in pietatis operibus, & functionibus Episcopalibus non sine manifesto Dei numine, unde ex eo temporis puncto palam factum est, ad quodnam officium destinaretur a Deo, quasi Deus ipse curam illius erudiendi sibi popoſciſſet. *Ex Godeau, & Auctore Sermonum in omnia argumenta.*

S. Carolus natus est cum affectionibus in virtutem proclivis.

S. Carolus felicem naturam sortitus est, quippe ab incunabulis secum gessit admirabiles ad omnium virtutum genera affectiones, & affirmari potest, ingenita hæc studia minimam reliquisse curam illis, quibus institutionis ejus provincia demandata fuit. Procul abfuit a vitiis, quæ fœdare potuissent hunc statum, & hanc adeo eminentem dignitatem, ad quam illum destinabat Deus; quod quidem satis non est, ut quis cum perfectionis gradum assequatur, in quo illum esse vult Deus; sed sine hoc nemo perfectus esse potest, & id adeo rarum videtur in sæculi corruptione, in illustri genere, & ampla fortuna, ut satis esse posset pro argumento insignis elogii, neque enim Spiritus Sanctus aliquid ultra requirit: *Quis est hic, & laudabimus eum?* Hæc tamen nonnisi prima sunt lineamenta, & prima veluti deformatio hujus prototypi perfectionis, quem cælum suis prævenerat benedictionibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* *Eccli. 31.*

Pueritia S. Caroli abhorrens ab omnibus vitiis, quibus ætas illa foret esse addicta.

Nulla unquam pueritia sapientius instituta fuit, quam illa Sancti nostri, & ea ætate, quæ neque legem, neque disciplinam ferre potest, quæ libertatem coerceat, unam sibi proposuit ex Evangelii placitis, & veritatibus Religionis collectam. Dei timor, periculosarum societatum fuga, præsertim vero horror impudicitiæ, atque turpis licentiæ, qui quidem primus scopulus est, qui in ipso mundi hujus aditu reperitur, statim ac aliquis in illum ingreditur; quoniam adeo strenue restitit illecebris, & lenociniis, quibus illum pellicere conati sunt, clanculum immissis in ejus cubiculum scortis, quæ data opera illum in scelus impellerent. Mox fuga aleæ, luxus, & crapulæ aliorumque vitiorum, quæ solent in primo juventutis æstu timeri, & improbari, in sancto adolescente nostro fuit admirabilior; quod patris obitus juris sui fecit, illum ac arbitrum vitæ suæ antequam studiorum suorum curriculum absolveret. Quidquid illi circum erat, eum corrumpere poterat. Fortunæ insignis illecebræ, illum in vitium impellere debere videbantur, opulenta beneficia quibus cumulatus erat, & possessio omnium reddituum suorum illi viam aperiebant ad vitam mollem, omnibusque deliciis affluentem; & ardens ingenium effeciset, ut omnia timerentur a virtute, quæ minus consolidata fuisset, sed omnes obstupuerunt, cum viderunt virtutem suam, quin corrueret, vel laxaretur, cum ætate recentibus augeri incrementis; illum, qui Patri suo religionem injecerat, si beneficiorum suorum redditus commisceret cum sumptibus, quæ ad familiam alendam sunt necessarii, sibi religioni vertit, si illos in alios usus, quam in cibos pauperum converteret. Luxus procul aberat ab illius supellectili, & comitatu; nullum vel magnificentiæ, aut deliciarum signum erat in illius mensa; atque tunc visus est Sanctus hic Abbas, neque enim alio titulo decorabatur adhuc, vere jam a Deo destinatus in Præsulem; quippe tam procul aberat ab omni labe, quam S. Paulus enumerat, quasi ob oculos ejus versaretur Sanctus noster, ut illius nobis ad vivum referret imaginem, vel quasi hic sanctus se se composuisset juxta exemplar illud, quod magnus hic Apostolus nobis delineavit: *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, sed sua domui bene præpositum, non turpis lucri cupidum, sed pudicum, justum, continentem.* Sciebat enim hominem huic vitio, vel cuipiam inordinatæ cupiditati obnoxium secum afferre ingenium suum, & crimina in quemcunque statum aggrediatur, & mox his statibus omnibus dedecori esse, & contumeliæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* *Ad Philip. c. 1.*

Progressus in virtute S. Caroli, & fructus optimæ institutionis.

Talis fuit S. Carolus; si enim cogito generis ejusdem privilegia, non nisi fulgorem intueor, sed humilitas ejus effecit, ut quantum potuit omnibus hisce honoris insignibus abrenuntiaret, quæ humana invexit superbia, ut familiarum decora secernerentur. Reliquit domus antiquæ stemmata, ut Ecclesiastica assumeret: in locum inanium titulorum sumpsit imagines S. Ambrosii, Sanctorumque Gervasii, atque Protasii, & sub potentium horum Patronorum præsidium confugit. Quanam vi restitit suavissimis voluptatum illecebris, ea in ætate, qua cupiditates approbare videntur, quid illæ suadent? Deus, cujus consilia scrutari non licet, illum omni objecit periculo, quod virtutem minus constantem labefactare

Digitized by Google

factare potuisset. Ne tibi fingas aliquam hic fortunæ vicissitudinem; adeo fortiter adhæret Deo, ut nihil eum inde valeat dimovere. *Idem.*

Actiones pietatis faciat præteritæ ejus solatia, & Sanctorum Mysteriorū ineuntis ejusdem fuerunt delitiæ.

Sapientia, Modestia, Religio Sancto Abbati nostro videbantur ingenitæ. Ædiculas fingere, Aras exornare, Domini cantica psallere, Sancti Sacrificii cæremonias imitari, hæc erant pueritiæ ejus solatia, ac futuræ pietatis præsagia. Prima illius consilia fuerunt ordinis, & disciplinæ, atque inter adolescentiæ suæ oblectamenta dicere audiebatur; *rego, instituo, in ordinem mundum redigo.* Quam verum est, quod Sapiens docet, hominis progressus ex studiis infantiæ ipsius cognosci; & facile fuisse conjectando assequi in illo nobilem efformari spiritum, qui deinceps par futurus esset reformando clero, cohibendæ licentiæ, & iniquitati, statuendis jurisdictioni finibus, legibus rogandis, & ubique restituendæ justitiæ, atque disciplinæ. Ipse Altarium ministerio se destinat, atque eidem se præparat per Sacramenta, quæ sunt fontes salubres consolationum animæ suæ, per orationem, in qua veritatis lumina recipit, per puritatem omnibus juventutis suæ tentationibus, & primis sanguinis sui fervoribus probatam, per intemerabilem Ecclesiasticis legibus adhæsionem, per liberalem erga pauperes charitatem. Vix e pueris excesserat, cum per pravam sæculi consuetudinem se Abbatiæ pondere gravatum vidit, mox futurus bonorum Ecclesiasticorum administrator. Qua gravitate patrem suum coarguit, dicens, opes Ecclesiæ in familiæ patrimonium non esse inferendas, neque ex Sanctuarii detrimentis domum esse locupletandam, neque pauperum spoliis filios esse saginandos? *Flechier.*

Exemplum hoc docere debet parentes, qui filiis suis beneficia procurant & ad alendam familiam Crucifixi divitias abutuntur.

Quid objicere potestis huic exemplo, ambitiosi, & avari parentes, qui filiis vestris beneficia comparare studetis, qui illa domesticam fortunam esse arbitramini, qui ex sacro hoc fonte existimatis licere vobis haurire, unde familiæ luxum alatis, & forsasse etiam in vitia, & scelera impendatis? Sed qua Sapientia noster adolescens administrat primum hoc, quo fruitur, bonum? Non vult illud patrimonio immiscere; animum inducere nequit, ut illud aliis, licet fidelibus, committat; & sicuti ipsi de illo ratio est reddenda, vult ipse etiam illius œconomus esse, ac dispensator. Diligentia ipsius procedit adhuc; sua perpendit officia, neque illis se defungi putat eo quod in vestibus gestet aliquod suæ professionis indicium: vel quod assitanter aliquot preces recitet, & in omnibus mundi negotiis se immiscet; vel quod singulis annis beneficii sui uberes reditus exigat; sed se ipsum in virtutibus, & ordinis sui functionibus exercet, & exempto suo cogit suos, ut se reforment. Virtus sua, ætate deficiente omnem illi confert ad alios erudiendos auctoritatem, & licet puer docet seniores vitæ Monasticæ perfectionem. *Flechier.*

S. Caroli constantia labefactari non potuit a promotione avunculi sui ad summam dignitatem.

S. Carolus Ecclesiasticum statum ingressus se ipsum exercebat in praxi omnium virtutum, quæ statum illum maxime decent, utque viveret magis expeditus a mundi tumultu, delicias suas putabat; clam, atque latenter vivere; quod tamen vitæ genus illi relinquendum fuit per eam occasionem, quæ alterum quempiam summo gaudio affecisset. Cardinalis Medicis, avunculus ejus post obitum Pauli IV. in Summum Pontificem electus fuit; quo audito tota Civitas Mediolanensis ad Caroli ædes gratulabunda confluxit. Hoc sane erat repente Principem fieri, ac super mortale genus attolli, nepotem esse, eumque dilectum Summi Pontificis. Illi non nisi honores, & opes pro se, familiaque sua erant sperandi. Virtus hominis senio confecti, qui insignis pietatis radices jam posuisset, in tanto fortunæ cumulo labefieri, & naufragium facere potuisset; sed Sancti nostri constantia nihilum commota est. Immo substristis visus sunt, neque aut in verbis, aut in factis gaudii species alia eluxit; prævidebat enim, recentem avunculi dignitatem certissime finem allaturam esse tranquillitati, qua perfruebatur in privata vita, quam sibi delegerat. *Godeau.*

Ejusdem argumenti.

Cum Abbati nostro nuntiatur apex dignitatis Avunculi sui, numquid inanis, nimiæque lætitiæ præbuit argumenta? Numquid confectatur populi plausus, & multitudinis lætabundæ acclamationes? Num intumescit tantæ felicitatis magnitudine? Romam ne pergit gradum occupaturus & aditurus possessionem ejus auctoritatis, qua ibi erat perfruiturus? Se se colligit, ad Sacramenta confugit, ac se prosternit ad pedes Jesu Christi in Eucharistia exinaniti. Ibi communit spiritum suum contra tentationes superbiæ, & vanitatem acclamationum, & laudum mundi. Ibi vires haurit, ut resistat torrenti consuetudinis; ibi mutuatur gratias necessarias, ne fallaci honorum luce decipiatur, ne fallatur lenociniis gloriæ, quæ illum seducere potuissent. Summus Pontifex statim eum honoribus cumulat; inter Cardinales cooptat, participantem signaturæ utriusque facit, ad primi Ministri dignitatem attollit, eique totius orbis Christiani negotia omnia committit. Verum ne putetis, Carolum hinc intumescere, immo in tanta dignitatis luce intra altissimæ humiliatis cancellos subsilit, se ipsum contemnit, & inter eorum multitudinem, qui fortunæ illius thus adolebant, & flectebant genu, modum servat inter tot scopulos, qui plerumque sunt adeo funesti. *Flechier, & Sermone Christiani.*

S. Carolus ea tantum munera suscipere, in quibus Deo perfectius servire posset.

S. Carolus renuere non potest avunculi Summi Pontificis beneficia, qui neminem agnoscit omnibus his muneribus obeundis aptiorem, & qui hac in re minus spectabat carnem, & sanguinem, quam meritum, atque virtutem. Sed Sanctus noster periculum cognoscens, quod instat, illi qui se tot bonis, & beneficiis auctos intuentur, rationem est nactus, qua & Pontifici faceret satis, & proximum ædificaret. Etenim ex oblatis dignitatibus illas tantum recepit, quarum minimi erant reditus, oneris vero maximi & sibi laboris, & proximo utilitatis. Nunquam flecti potuit, ut Quæstoris, quod in Romana Aula secundum officium est, ingentisque lucri, dignitatem assumeret. Sed Magni Pœnitentiarii locum acceptavit, ubi pro Dei gloria & animarum salute, atque cum minori proprii salutis periculo laboratur. Hæc unica fuit causa, propter quam ecclesiasticum statum fuerat amplexus, non autem illa ingentes opes congerendi, quod in obitu fratris sui natu majoris offendit, qui, cum nullum bonorum suorum successorem reliquisset, in amplissimis familiæ bonis, effecerat, ut omnium oculi in Carolum converterentur, qui unus generis decus, & nomen poterat sustinere. Pontifex ipse, qui eidem primos Ecclesiæ gradus detulerat, illum hortatus est, ut iterum sæcularem statum amplecteretur, eique nuptias satis nobiles conquisivit, ut hoc pacto recentium principatuum, ac ditionum illis, quas possidebat, fieret accessio. Quænam hæc fuisset illis tentatio, quos fortunæ suæ ratio unica in Ecclesiam intrudit! Sed vinci hac Carolus passus non est. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cum Sanctus urgeretur, ut in sæculum rediret, magis, magisque in statu confirmatur.

Cum Magnus hic Sanctus Ecclesiasticum statum jam fuisset ingressus ex mera Deo inserviendi cupiditate, ubi illum cogere adnisi sunt, ut Ecclesiæ magistratibus se abdiceret futurus familiæ suæ caput, sensit se validius, quam antea ad Ecclesiam vocari; licet aliter illum suaderet Summus Pontifex, & consanguinei illum urgerent undequaque, quibus ut omnem præcideret spem; sacris ordinibus voluit initiari. Magnum fidelitatis exemplum in vocatione Dei, quod aliquando rubore suffundet tot mortales, qui intra paucos dies de uno ad alium statum gradum facere videntur; & talarem abjicere tunicam, ut sagum induant; qui subinde in clerum, mox in forum ingrediuntur, & pro vicissitudine familiarum suarum alterum cum altero miscent; quasi Dei vocatio se se accommodaret variis fortunæ vicibus, vel quasi vellent servire Deo, donec fortuna illis aditum aperiat in mundum, ubi eum tenent locum, qui eorum conditionem maxime decet. Itaque cum Ecclesiæ scandalo, & Religionis opprobrio mutantur vestes, status; & mox etiam vivendi ratio; quasi Dei servitus, ut omnia pessime cadant, non aliud sit, quam natu minoris portio, & familiæ in sequiorem statum ruentis refurrectio. Carolus noster longe aliter sentit de vocatione sua: Romæ sedet, quatenus illic eum Christianitatis utilitas retinet; & vix obiit Pontifex, cum in Diœcesim suam se recepit, ubi sæculum jam excesserat, ex quo nullus Episcopus ibi sedem suam constituerat. *Idem.*

Factum Archiepiscopi Mediolanensis, omnia distrahit, ut aleret pauperes.

Cum Sanctus noster ad provectiorem jam pervenisset ætatem, & fratrum mors illum omnium paternorum bonorum reliquisset hæredem, tot opes in pauperum sinum effudit, ut illis sæculum obstupesceret. Vendidit enim prædia uberrima, & locupletissima, quorum pretium pauperibus distribuit, & primorum Fidelium pietatem inflaurans una eademque die quadraginta, vel quinquaginta argenteorum effudit millia, quin paterentur, illa prius domum suam inferri. Ubi vero fuit Mediolanensis Antistes ratus est, reditus suos esse reditus pauperum omnium, se nihil habere quod non esset illorum; & se non charitati solum, sed & justitiæ injuriam inferre, si egentissimo quolibet melius, vel aleretur, vel cubaret. Luxum ex domo sua exterminavit; mensa usus est simplici, & parca, modestiam in suis præsetulit indumentis; & mortales omnes docuit, Episcopos sese existimare debere tanquam Ecclesiasticorum bonorum dispensatores. Cum fames in diœcesi sua late grassaretur, ea conatus est, quæ non nisi ex extrema charitate poterant proficisci. Mutuas accepit pecunias, vendidit, largitus est quidquid potuit, ut pauperibus ferret auxilium. Argentea vasa pignori dedit; supellectilem omnem distraxit, sibi straminem reservavit culcitram, ac se eo redactum vidit, ubi omnia illi ad suum, familiæque suæ victum defecerant. Denique se ipsum pauperem fecerat, ut pauperibus omnibus opitularetur. *P. Senault, Oratorii.*

S. Archiepiscopus ordinat reformationem diœcesis suæ, reformatione domus, & familiæ suæ.

S. Carolus ad Archiepiscopatum Mediolanensem evectus, vix adiit dignitatis hujus possessionem, cum Diœcesim suam reformaturus duxit initium a domus suæ reformatione, magnam servans modestiam in supellectilium simplicitate, in mensæ frugalitate, in domesticorum verecundia, quos ad omnia pietatis exercuit officia. Hæc vitæ ratio jugis prædicatio poterat appellari populo utilior, quam prædicatio verbi, quia virtus in populi cor faciliorem aditum habet per oculos, quam per aures, & quod eorum fides magis pendet ab intuitu, quam ab auditu. Familia ejus fuit, optimorum Sacerdotum, Sanctorumque Episcoporum Seminarium, & statim ac per Italiam fama pererebuit ordinis, quem domi suæ constituerat, plures illuc admitti petierunt, ut ad pietatem

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiasticam formarentur. Cum nihil sit pulchrius, vel admirabilius ordine, qui rebus universis decorem affat, Sanctus noster primum curas suas collocavit in regimine domus suæ, ædes suas in Ecclesiam convertens, ubi domesticis, atque ministris omnibus statuta erant tempora pro orationibus, aliisque omnibus pietatis exercitationibus, & sicuti aderat Procurator, qui omnibus temporalibus curis præerat, ita non deerat alter spiritualis, qui singulorum moribus, ac vitæ invigilabat; & ex famulorum modestia innotuit, quam frugi dominus esset, & quam pronum esset illius cor, non secus ac Prophetæ ad legem Dei servandam. *Godeau, & Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Diligenter ad examen revocat omnia officia sua, & ejecerit eam veram omnium malarum.

Ex quo Deus Sanctum nostrum ad Mediolanensis Ecclesiæ regimen evocavit, scrutatus est officia sua, eaque replere decrevit. Dignitatem accepit, neque illa se perstringi passus est. Vidit laborem, neque deterritus fuit. Hoc Italiæ pars erat jampridem theatrum belli cruenti, ac pertinacis inter duos Principes æque viribus valentes, & ambitiosos, qui in partes suas Europam universam trahebant; qui modo victores, modo victi totam illam provinciam late vastaverant, quæ non solum perpessa fuerat omnia mala, quæ bellum gignit, sed hauserat etiam omnia vitia earum gentium, quæ illic bella gerebant. Quidquid injustitiæ, crudelitatis, impotentiæ inventur in armis, ibi sese effuderat, & prava militum exempla in civium mores transierant. Ibi nulla erat amplius æquitas in judiciis, nulla in commercio fides, nulla in conjugiis fidelitas, nulla inter oppidanos concordia, nulla inter consanguineos amicitia, quorum plerique diversas causas fuerant secuti, nulla erat legis reverentia, nulla Religionis cognitio, & nulla ferme praxis pietatis. Ut tot malis medicina fieret, requirebatur vir spectatæ virtutis, animi invicti, eminentis dignitatis, qui animas ad virtutem pertraheret lenitate correptionum, censuræ severitate, & vi exempli. S. Carolus procul dubio fuit iste vir, quem Deus hunc in finem educaverat; ut virtus illius majorem haberet lucem, & efficientiam ad peccatorum conversionem, & reformationem fidelium. Respexit se tamquam operarium a patrefamilias missum ad agrum hunc excolendum, ad destruendum, & ædificandum, & vias conquisivit, quibus tot malis mederetur. *Flechier.*

S. Archiepiscopus in his Diœcesi ut plurimum reformanda conatur ea reparare mala, quæ prædecessorum incuria introduxerat.

Fatendum est, licet mala omnia, quæ in S. Caroli Diœcesi inoleverant, pleraque ex pravis exemplis, & militum licentia fuissent profecta; tamen Ecclesiasticorum vitia plurimum malis iisdem contulisse. Qualis Sacerdos, talis est populus, inquit Propheta; & verum est, eorum temporum Sacerdotes ignorantiæ portenta extitisse; sed Princeps, Sacerdotum antesignanus, videlicet Archiepiscopus, vel potius Archiepiscopi, qui per annos octoginta Mediolani non sederant, omnium erant nocentissimi. Necesse non est in eorum vitam inquirere, aut diligenti indagine eorum nomina investigare: quamvis alioquin bonis, vel malis qualitatibus præditi essent, unica tamen eorum absentia eos tot malorum consortes efficiebat. Hæc itaque causa S. Carolum impulit, ut nunquam a Diœcesi sua recederet, & ibi suam jugiter sedem figeret; ut quemadmodum paterfamilias, non solum prohibere posset dissidii, quæ inter filios propter varii illorum ingenii suboriri poterant, verum etiam illos illuminare doctrina, & verbi pabulo nutrire. *Ogier.*

Quantum erat Mediolani consilio cura S. Caroli ei tegendæ præpositus fuit.

Numquid vobis ob oculos statuam deplorabilem statum, in quo civitas Mediolanensis sita erat, cum Dei Providentia curæ & zelo Sancti Caroli eam provinciam demandavit? Late vitium illud grassari videbatur, de quo loquitur Salvianus, cum virtutes omnes deferuntur, quasi illis interdictum esset, & palam peccata patrantur, quasi essent præcepta. Sacerdotium contemptum erat, sacrificium pollutum, Templa deserta, neglecta Sacramenta, Dei Ministri, qui ut olim Samaritanus, oleum infundere vulneribus debuissent, pluribus ulceribus diffluebant. Verbo, adimpletum erat Prophetæ vaticinium; Sacerdos erat, sicut populus, & torrens iniquitatis undique exundantis universam terræ faciem tegebat. Quid S. Carolus ad tanti hujus spectaculi intuitum! poterat ille quidem cum Propheta dicere: *Psalm. 118.* *Tabescere me fecit zelus meus*, vel *defectio tenuit me pro peccatoribus*. Sed cum illi persuasum esset, zelum gemitus tantum habentem, & verba ignem esse sine ardore, securim adhibet, eamque ad arboris radices impingit. Primum Sacerdotes reformare contendit, quorum flagitiosum vivendi genus erat tot malorum principium. Quoties ab Altari subduxit eos, qui pollutis manibus, & animabus illuc accedebant! Quoties pœnam Angelorum negavit immundis animantibus, a quibus conculcabatur! Quoties invectus contra simoniam, instauravit S. Petri zelum contra eos, qui donum Dei pecunia sibi comparare studebant! *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Videns generalem & inveteratam corruptionem omne exerit zeli sui ardorem ut eam aliquem medicinam.

Magnus Archiepiscopus noster gregi adeo nequam, corruptoque præpositus, arbitratus est se messorem esse a Patrefamilias in vineam missum ad colligendam uberem messem, quæ oculis suis sese offerebat. Se ipsum respexit tamquam Prophetam in medio terræ illius infidelis positum, ad diruendum, dissipandum, evertendum, ad ferendum, plantandum, ædificandum. Initium fecit ab Ordine Ecclesiastico. Quanam indignatione considerabat plerosque ævi sui sacerdotes, qui divina misericordia educti ex amaris mundi hujus aquis, ut terræ sal essent, iterum submergebant se in impedimentis, & cupiditatibus sæculi, & qui postquam instar aquilarum ad sublimiorem aeris regionem conscenderant, descendebant ut in corruptionem, ac tabum se rursum immergerent! Quanam sapientia illis ostendit, in Ecclesiam ingrediendum esse per vocationem Dei, non propter varias animi cupiditates; illos irrito labore contendere, ut characteri suo venerationem conciliarent in populis, quem neque illi ipsi reverebantur; & ut se dignos præberent, qui mortales cum Deo conciliarent, oportere ut juxta Salvatoris, cujus locum tenebant, exemplum, offerrent se ipsos tanquam victimas mortificationibus suis, & vitæ austeritate! Quoties post adhibitas adhortationes, conciones, collationes, & synodales cœtus sese convertit ad censurarum Ecclesiasticarum severitatem, ut rebelles, & indociles ad officium revocaret! Quoties Dei Filium imitatus flagellum corripuit, ut de templo ejiceret illos, qui domum Dei in latronum, mercatorum, ac meretricium speluncam converterant! Gemebat ille dolens, cum sibi videbat amputandos esse putrescentes arboris ramos; ferrumque, & ignem adhibendum artubus tabescentibus, atque corruptis, ut parceret corpori; sed illi persuasum erat, lenitatem esse tunc funestam, cum malum nonnisi extremis violentisque remediis curari poterat. *Ibidem.*

Ab Ecclesiasticis incipit ab ecclesiæ reformationem.

Archiepiscopus noster, ut mederetur corruptioni, quæ late omnem Diœcesim fuerat depopulata, a Cleri institutione, ac reformatione duxit exordium. Ut gregem corrigeret, corrigendos esse censuit Pastores, & Sacerdotalem dignitatem, ac officia restituenda. Nemo unus ignorat, fidelium mores plerumque pendere a moribus Ecclesiasticorum, qui præsunt illis; & verum esse, quod Propheta dicebat: *Et erit, sicut populus, sic Sacerdos.* *Isai. 24.* Cum ipsa natura in vitium proni simus, facile excusamus malum, quod facimus, illud rejicientes in exemplum illorum, qui aliis prælucere debent. Non timemus ab illis corripi, cum illi a quibus corripiendi sumus in eadem ruunt scelera; & nullis putamus officiis Religionis teneri, cum hæc negliguntur, & his fides abrogatur ab illis, a quibus effemus docendi. Juxta hos canones facile patet judicium de populorum corruptione, ac cleri disciplina. Pro Pastoribus, nonnisi mercenarii aderant. Sacerdotium in summis mundana dignitas erat, in imis ars. Avaritia laudabilis illis prævidentia videbatur; assiduus ludus, solatium omni culpa vacuum: inertia quies professioni eorum debita: concubinatus remedium contra adulterium. Illorum crassa ignorantia eo evaserat, ut crederent, se nequaquam teneri ad peccata sua confitenda, quandoquidem aliorum confessiones excipiebant. Dei legem neque scire, neque exercere volebant; & bonos, qui de tot malis conquerebantur, incertos relinquebant, utrum magis in illis damnanda esset morum licentia, an officiorum insscitia. Illud vero magis erat deplorandum, quod hæc vitia erant inveterata, & si illa perferenda non erant, vix tamen, & ne vix quidem esse corrigenda. Hic gravissimus erat Sancti Caroli dolor, nam ubi devoti Deo mortales, semel officia sua conculcarunt; eorum pœnitentia, & correctio vix est speranda. Et sane passim videntur sæculares, & mundi sectatores emergere ex criminibus suis; sed omnipotentis Dei manu opus est, ut pravi Religiosi, & Sacerdotes nequam redeant ad officium. *Flechier.*

S. Carolus postquam domui suæ reformavit, ad diœcesis suæ reformationem animum transtulit.

Sanctus noster Archiepiscopus ex quo domum suam ad divinæ legis normam composuit, animum appulit ad Diœcesim suam componendam. Duxit initium ab ipsa Mediolani civitate; per visitationem Cathedralis suæ, Capitulorum, Parœciarum, & Monasteriorum Sanctimonialium disciplinam instauravit. Restituit in Ecclesia sua divinum Officium in eum splendorem adducens, qui par erat, Præbendarum parte in communibus distributionibus conversa, ut Canonici Choro interesse tenerentur; cujus rei se ipsum proposuit exemplum, sæpius, quam fieri poterat, ad horas recitandas conveniens. Illis persuadere conatus est ut in communi viverent, & in commune omnes reditus suos, se quoque collaturum recepit. Assensere nonnulli, sed dissentientibus plerisque, consilium hoc in irritum cessit. Sui ergo Ecclesiam magnificentia statim prodit; illi quippe largitus est supellectilem suam, quæ erat maxime pretiosa, cumque illam collibentem nactus esset, reliquit marmoream. Civitatem distinxit in partes, in quarum singulis constituit, quibus cura erat invigilandi moribus incolentium, & pudibundorum pauperum necessitatibus, ut his & quoad animam, & quoad corpus opitularetur. Veteres restituit Confraternitates, quæ variis pietatis operibus vacabant, easque in pristinum earum spiritum, & morem revocavit. Novas erexit, ut multis subveniret necessitatibus; sed potissimum illius cura fuit in diœcesi universa scholas Christianis instituere, quo facto ignorantiam exterminavit. *Godeau.*

Publicas instituit scholas ad juventutem instituendam.

S. Carolus ut diœcesim suam universam in bonum statum adduceret, ab adolescentiæ institutione exorsus est. Pueri doctiores circa Christianæ Religionis veritates

evaso-

evaſerunt, quam antea iidem eſſent Paſtores. A maximo ad minimum omnes Dominum agnoſcebant, & ore infantium & lactentium Deus laudabatur. Mediolanenſes tunc temporis vere per Archiepiſcopi ſui labores facti ſunt Gens ſancta, regale Sacerdotium, populus acquiſitionis.

Reformat. Sanctimonialium monaſteria.

Sanctimonialium Monaſteria, quæ antea profanæ domus erant, facta ſunt vera Aſceteria, domus Virginum filio Dei devotarum. Propter tanti Præſulis curas facta ſunt horti concluſi, fontes ſignati, quo laicis pedem inferre non licebat, ne flores ibi germinantes flaccefcerent, optimumque odorem amitterent. Verum eſt, plure æquo licentiores, qui ad convellendas unguibus ſuis caſtas haſce columbas acceſſerunt, ingentem edidiſſe ſtrepitum, verum eſt nonnullas ex illis virginibus re adhuc integra, ſub multiplici colore muſſitaſſe: ſed Sanctus noſter in ea reformatione tanta ſe geſſit prudentia, ac lenitate, ut omnes & ſingulas ſibi conciliaverit, illas Salvatori redditurus. Licentiam, qua antea fuerant gaviſæ, horruerunt; ſæcularia ſolatia, quibus citra aliquam religionem oblectabantur, gemitus ex earum oculis elicuerunt. Clauſura illis viſa eſt non durus, ut antea, carcer, ſed honeſtiſſima a mundanis ſeceſſio. Crates ferreæ, quæ laicos arcebant, ac prohibebant, ne ab illis viderentur, ſuaſerunt ipſis ſe pretioſas eſſe, & mundanos indignos eſſe, a quibus aſpicerentur. Perfecta communitas illis commodior fuit, quam vetus proprietas, in qua aliquid ſuum habentes, rebus omnibus deficiebant, & tunc vere rerum omnium affluentia lætabantur. Charitas ſucceſſit in locum ſimultatum aliquarum, propter quas diſſidebant; cumque unum illis ærarium fuit, fuit etiam cor unum, & anima una. *Godeau.*

Multum ei laborandum fuit ut Religioſorum domos reformaret.

Sed in reformandis virorum cœnobiis eandem facilitatem expertus non eſt Sanctus noſter. Vitia enim ita inoleverant; & adeo altas radices jecerant, ut nullam invenerit docilitatem. Canonici Collegialis neſcio cujus Eccleſiæ, exemptiones ſuas, & immunitates prætexentes, ſexcentis illum affecere contumeliis, quas ea tulit patientia, quæ mortalibus omnibus ſtuporem injecit. Verum ſicuti injurias perſonæ illatas condonavit, in eas, quæ dignitati factæ fuerant, canonicarum pœnarum ſeveritate animadvertit. Tandem rebelles jugum ſubire coacti ſunt, quod illis impoſiturus erat eo tantum conſilio, ut in eorum Eccleſia bonus ordo refloreſceret. Furor Monachorum quorundam, quos Humiliatos dicunt, longius proceſſit. Cum Ordinis Superiores ferre non poſſent reformationem, quam in eorum cœnobia ſtudebat invehere, conſilium inierunt reformatorem tollendi; ſuaſeruntque ſceleſto cuipiam viro, ut execrabile hoc parricidium exequeretur. Furens hic ſicarius Sacellum ingreſſus, ubi Sanctus veſpertinis vacabat precibus cum domeſticis ſuis, laxata bellici tormenti rota ignitum globum explosit, qui a ſpiritu nequam ad illius uſque carnem perductus, ab Angelo diœceſis illius patrono extinctus fuit. Perforavit quidem illius humerale, ſupparumque, & veſtes omnes, ſed lædere non potuit ſanctum illud corpus, quod caſtitas ejus fecerat invulnerabile. Non ſe commovit Archiepiſcopus, & neminem moveri juſſit, donec orationis tempus abſolveretur; quo abſoluto ſe veſtibus exuit, & non niſi levem deprehendit contuſionem. Parricidii hujus rumor late per omnem urbem percrebuit, ita ut omnes undique confluerent, ut de Præſulis valetudine cognoſcerent. Ipſe urbis præfectus, quocum magnæ lites Sancto erant, illi obtulit quidquid erat in ipſius poteſtate. Sed Archiepiſcopus illi gratias egit, ac palam profeſſus eſt, ſe ſe ſicario illo nullas expetere pœnas velle. *Godeau.*

Plura abdicat beneficia ut ſervet edictum quod ipſe fecerat.

Unum ex graviſſimis abuſibus, quos S. Carolus in Provinciali Concilio, quod ipſe coegerat, damnavit, fuit pluralitas beneficiorum; cujus edicti obſervandi ipſe prior aliis præbuit exemplum. Cum enim plures poſſideret Abbatias; omnes dimiſit, & facto hoc repente jacturam fecit ſexaginta argenteorum millia, quæ inde ipſi redibant. Hoc adeo rarum fuit Sacrificium, ut mundus vix illud crediderit, & quod viri boni admirati ſunt, & multi etiam conqueſti. Cum enim in adeo pios uſus ab illo impenderentur, illos retinere debebat, non autem aliis derelinquere, qui forte illis vel non ita bene uterentur, vel prorſus abuterentur. Sed Sanctus Epiſcopus noſter, qui Sancti Spiritus Oraculum reverebatur per Epiſcoporum ora loquentis, ſe teneri arbitratus eſt, ut omnium primus ſe ſuis edictis ſubmitteret. Sciebat ille magnos redditus bonis Præſulibus eſſe neceſſarios, ut in diœceſibus ſuis multa bona operentur, ſed ille metuit; ne ſibi fierent occaſiones luxus, cum Apoſtolicum vitæ genus ducere ſtatuiſſet. *Godeau.*

A modum a inſtus eſt ut Concilium Tridentinum abſolveretur.

Magnum opus, in quod S. Archiepiſcopus ſedulo incubuit, & quod majori cura perſecutus eſt, illud fuit, a quo generatim Eccleſiæ reformatio pendebat; videlicet Tridentinum Concilium jam pridem inceptum, translatum, ac toties interpellatum, & pro quo tot Summi Pontifices, ac Reges ſeſe exercuerant, quin unquam optatum finem conſequerentur. Concilium quod debebat Chriſtianis Principibus afferre pacem, hæreſes confundere, fidem, moreſque fidelium ſtatuere, & definire quid credendum, agendumque eſſet, ut quis vitam vere Chriſtianam viveret: Concilium hoc quod tot Regna, & Provinciæ popoſcerant tanta feſtinatione, quod tandiu Ordines omnes expectaverant, & quod Eccleſia univerſa tantopere concupierat; hoc inquam Concilium tandem curis, urgentibuſque S. Caroli ſollicitationibus abſolutum fuit; & dici poteſt hoc tantum opus illius extitiſſe, quantum Pontificum, Principumque, qui ad id omnem ſuam impenderunt auctoritatem. Profecto ſi hac una in re de Eccleſia bene fuiſſet meritus, gloriam mereretur Reparatoris Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum tantam ille habuerit partem in hoc Concilio, quod complectitur, quidquid ad eum finem optari potuit; idque eo magis quod primus fuit, qui illius Decreta juſſit obſervari, & qui Diœceſim ſuam moderatus eſt, ſecundum illius canones, atque ſanctiones, & quod illo auctore Summus Pontifex inſtituit Sacram Concilii Congregationem; in qua ad hodiernam uſque diem diſceptantur omnia dubia ac difficultates, quæ ſuboriuntur in explicatione Canonum, & decretorum illius, utpote quod taliter inſtituit quidquid ad fidem, bonos mores, & Eccleſiaſticam pertinet diſciplinam, ut hoc unum Concilium cæteris quibuſcunque ſupplere poſſit. Jure de Sancto Carolo dici poteſt, quod primum incubuerit ad ſui, ſuorumque reformationem, ipſumque præ alio quovis plus contuliſſe ad generalem Eccleſiæ reformationem. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta &c.*

Innumeræ oppoſitiones quæ illi fuerunt ſuperandæ.

Satis dici vix poteſt quæ pœnæ, laboreſque illi perferendi fuerunt, ut obtineret, Sancti Concilii decreta obſervari, & retineri illum Ordinis, & diſciplinæ ſpiritum, qui in illo fuerat conſtitutus. Ut id conſequeretur; omni fuit opus firmitate, & conſtantia: etenim niſi habuiſſet ille cor adeo rectum, atque imperterritum, omnino illi benevertere non potuiſſet opus, quod mille populi contradictiones, obices mille, & mille Eccleſiaſticarum, & Sæcularium poteſtatum contradictiones irritum videbantur effecturæ. Huic adverſati ſunt Proreges & Gubernatores, qui has morum reformationes, tanquam publicæ libertati contumelioſas putabant. Suſtinendus illi fuit ſeditioſæ plebeculæ furor, mordicus antiquis conſuetudinibus inhærere volentis, quantumvis eſſent pravæ, eaſque tanquam privilegia, & immunitates propugnare cupientis, quarum poſſeſſionem ab immemorabili adierat, & quas pati non poterat, vel minimum labefactari. Perferendi illi fuerunt implorum impetus, qui non ſemel vitæ illius poſuerunt inſidias. Illum ad Aram divina operantem myſteria occidere conati ſunt, & non niſi divino factum eſt conſilio, ut ad pedes illius plumbea glans inveniretur, quam ſicarius ad trium tantummodo paſſuum diſtantiam exploſerat; quod accidit cum flexis genibus una cum domeſticis ſuis in ædibus ſuis orationi vacaret. Sed hæc omnia illius conſtantiam labefactare non potuerunt, neque zelum ejus imminuere. Summorum virorum preces, atque interceſſiones, illum prohibere non potuerunt, quominus auctoritate, quam ſuus ipſi character conferebat, ut crimina inhiberet, & faceret, ut edicta obſervarentur. Nunquam nocentium dignitas, atque nobilitas eum flexit; nunquam aures præbuit importunis familiarium ſuorum precibus, cum de Dei gloria, & Eccleſiæ utilitate agebatur; ſemper conſtans in promovenda executione mandatorum, quæ poſt abſolutiſſimæ prudentiæ deliberationem conſtituerat; & aſſerere poſſumus hunc illam extitiſſe ferream columnam, & murum æreum, de quo loquitur Scriptura, ut poſſet tot tantiſque vitiis obniti, quæ poſſeſſio temporis vetuſtate confuſa pridem invexerat. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Ne putetis Archiepiſcopum noſtrum poſt reſtitutum ordinem, ac diſciplinam in urbe Metropoli, cogitaſſe omnibus ſe defunctum muneribus fuiſſe. Vigilans charitas ſua illum traduxit ab uno ad alterum diœceſis ſuæ finem, ut ejuſdem neceſſitates omnes cognoſceret. Hinc ille adeo ſedulas, & frequentes obiit viſitationes in remotiſſimis etiam ignotiſque ſpeluncis, ac locis inter devia, & avia lacentibus, ut oculis propriis omnes populi ſui neceſſitates cognoſceret. Nunquam alienis oculis uſus eſt; non ſatis illi fuit publicas cognoſcere miſerias, quæ in Noſocomiis cernuntur, & ſub oculis mortalium omnium verſantur; omni, qua fieri poteſt, cura luſtratur neceſſitates maxime latentes, ſeu locorum longinquitate, ſeu pauperum vilitate, ſeu pudore illas conſulto celantium? Aſcendit montes per glacies, niveſque objecta paternæ, ac teneræ charitati ſuæ reperturus. Ingreditur Paſtorum mapalia, penitiores receſſus penetrat, & de charitatis ipſius igne dici poteſt, quod de Solis calore dictum eſt a Propheta, *Nec eſt qui ſe abſcondat a calore ejus.* Verum enim eſt, zelum, & charitatem Sancti hujus Paſtoris adeo ardentes fuiſſe, ut ſicuti nemo eſt, quem ſui cordis affectus non complectitur, ita nulla ſit tam abſcondita neceſſitas, nulla paupertatis verecundia, quæ oculorum ejus fallat vigilantiam. *Biroat.*

Millies vitæ ſuam periculo objecit, ut improbos revocaret & hæreticos converteret.

S. Carolus quin præcipuos Mediolani ſuggeſtus eligat, ubi tutius ſuam præferat eloquentiam, cum exigua Miſſionariorum, & domeſticorum manu luſtrat rura, ſuæ diœceſis: de pagis in pagos ſeſe conferebat, ubique catechizans, & ſerens fidei principia in mentibus pauperum, æque libenter ac divitum. Quin ſibi præcaveret, ſuæque valetudini, ſæviente lue, ipſe populis Sacramenta adminiſtrabat. Viſus eſt rupes tranſilire, torrentes in Alpibus transvadere, & Rheticorum obire juga, ut adverſaretur hæreſi, & ut a diœceſi ſua procul impietatem ex-

terminaret; & dicere possumus illum Charitatis Martyrem fuisse eo tempore, quo Ecclesia ita erat tranquilla, ut Tyrannorum sævitiam non timeret. Mihi videre videor Sanctum hunc, zelotemque Archiepiscopum soleas ferreis cupiditatibus armatas gerentem per rupes illas repere, ubique ferme sine pane, & commeatu, inaccessos recessus conquirere sicubi audit aliquam animam in vitiis immersam delitescere. Modo solaribus percussus radiis in ima valle æstuat; modo alget nivibus fere immersus, & obrutus; iniquitatem inter validissima propugnacula oppugnat. Ibi sudore manans, duos digitos a vitæ periculo dillans, apostatas revocat, veneficos, magosque iucratur, & in Sanctuarium convertit loca illa, quæ ante fuerunt impietatis, & abominationis perfugia. *Sermones Christiani.*

6. Carolus summa diligentia obvit suæ diœcesi visitationem.

Cum S. Carolo persuasum esset præcipuam ex Episcopi curis esse Diœcesis suæ visitationem, hanc tanta cura, zelo, & labore sibi censuit obeundam esse; ut mirum non sit, si illam omnino instauraverit. Visitatio vallium Helveticarum fuit prorsus Apostolica. Eas pedibus lustravit, ibi fame, ac siti laboravit, & aeris intemperiem passus est. Per eorum montium juga cucurrit, ut deerrantes oves sequeretur; magis misertus est exercitatis eorum, quam iratus fuerit contra illorum injurias; nullibi suam utilitatem quæsivit, & semper alienæ studuit saluti. Denique plurimos lucratus est; pertulit lumen, & vitam in regionem tenebrarum, & mortis. Ejecit dæmonem de terra, ubi pacifice dominabatur cum per mores, tum per hæresim. Excoluit agros qui non nisi tribulos, spinasque ferebant, effecitque ut optimos fructus ferrent. Inde expulit serpentes, & feras, quæ terram illam depopulabantur; ibique constituit colonos, qui rigarent, quod ipse plantaverat; Deus vero quamprimum incrementum dedit labori ejus; sed mirum est quomodo corpus ejus tot laborum, cujusmque pondere victum non succubuerit.

5. Carolus animis quærit in desertis, & supinis Alpium.

Dignum Angelorum hominunque oculis spectaculum fuit videre magnum hunc Præsulem aliquibus Sacerdotibus, ac Religiosis viris præeuntem, inaccessos Alpium recessus penetrare, ut in animos maxime rusticos, ac efferatos pietatem infundat. Expeditio hæc sane gloriosior est illa inimicorum publicæ tranquillitatis, & pacis, quos mundus perperam *Conquerans* vocat. Eorum memoria deleta est in hominibus; sed nostri Archiepiscopi gloria nunquam ex animo eorum delebitur; quandoquidem tot in locis reliquit magnifica amoris erga populum suum monumenta. Nullibi castra posuit, quin locum celeberrimo quopiam facto insignem reddiderit. Hic convertit hæreticum; ibi mortuum excitavit. Hic Seminarium erexit, alibi reparavit collabentem Ecclesiam. Hic oves cum Pastore reconciliavit; illic gregi, qui propter hæreticorum propinquitatem in periculo versabatur, ut in errorem pertraheretur, strenuum, & minime oscitantem pastorem collocavit. Verbo; ubique æterna pietatis, ac zeli charitatis suæ monumenta reliquit. Munus exercuit suum tanta cum Ecclesiæ dignitate ac fidelium utilitate, ut dici possit instauraße Religionem in cordibus, restituisse Sacerdotibus dignitatem, honorem Sacerdotio; & exemplum ejus tot præclaros ævo suo Præsules, & Seminaria instituisse, ex quibus tot Sacerdotes egressi sunt, qui indefesso zelo animarum conversionem procurarent. *Ogier.*

6. Caroli jugibus curis, & laboribus hæresim a diœcesis suæ finibus arcet.

Hæresis Galliam, & Germaniam depopulata, conatur tandem duplici ex via Alpes ascendere. Inaccessi montes cursus ejusdem vim retardare non valuerunt. Omnia illius favent conatui; Sacerdotum ignorantia, populorum rusticitas, temporum nequitia, Valdensium vestigia, quæ reperit in itinere, præsertim vero mores pravi, quæ ingentia sunt ad prava dogmata amplectenda, excitamenta. Per viarum angustias irrepit, pervenit tandem in rupium earum juga, ut inde in felices hos subjectos agros descendat, ubi Barnabarum, & Ambrosiorum fides erat integerrima: & si fieri possit irrumpat ad populandam sanctam illam civitatem, ubi Dei Filius religionis suæ centrum, Ecclesiæque suæ thronum constituit. Quid inter hæc S. Carolus? Præcingit se ardore zeli sui, & incredibili vigilantia, Diœcesi suæ aditus omnes tuetur. Modo exterminat inimicum hominem, qui nocte concubia accedit, ut seminet zizania in agro, quem Deus illi excolendum crediderat; Modo fulmen contorquet in corruptorem, qui palam venit laxitates persuasurus, & cum errore licentiam illaturus. Modo vanitatem confundit, quæ acumen suum ostentare conatur in asserenda nefaria doctrina: modo tollit curiositatem, quæ periculosis persuasionibus adhibet aures. Scribit ut hos refellat; concionatur, ut alios confirmet. Fides triumphat, hæresis frendit, ac murmurans finem facit victoriis suis secus extremos limites Diœceseos Archiepiscopi nostri.

6. Carolus facilis ostendit, se perfecte cognovisse munus Episcopi.

Quamvis Episcopatus sit eminens dignitas in Ecclesia, S. Gregorius jure asseruit, nomen ejus nomen potius esse laboris quam honoris, & eum, qui hoc nomine appellatur, laborem potius manere quam quietem. Nam præter quamquod Episcopus se ipsum sacrificare debet pro grege suo, & præire ovibus suis, ut illas deducat, atque tueatur; opus est, ut illas tanto amore prosequatur, ut non superstit illi nisi odium in semetipsum. Opus est, ut ad illas servandas perdat se ipsum; & vitam suam periculo objicit, ut vitam earum in tuto ponat, atque se exponat perferendo famem, sitimque, ut eas his liberet malis. Neque enim sumus amplius in lege veteri, ubi Pastores alebantur ovium suarum lacte, earumque vellere induebantur: sumus in lege charitatis, ubi ad supremi Pastoris exemplum Episcopi pro ovium suarum salute, ac alimonia sanguinem suum debent effundere. Ut hunc imitentur, sese debent objicere omnibus periculis, quæ illis impendent, & propriis morientes utilitatibus illas tantum subditorum populorum inquirant. Hoc, sicuti videmus, Sanctus noster præstitit mirum in modum. Extrema ipsi erat erga populum suum lenitas, & magna in se ipsum severitas; toties se objecit periculo amittendi pro ovibus vitam suam, ut facile innotesceat, omnem illius curam in eo positam fuisse, ut hac in re vitam Summi Pastoris animarum imitaretur. *P. Senault Oratorii.*

5. Carolus mittit idoneos operarios in vineam suam, eosque sequitur.

Antequam S. Carolus ad Dei servitutem evocaretur, quonam in statu illius erat Diœceſis? Nonne videbantur omnes sylvarum apri hanc Domini hæreditatem fuisse depasti? Populi nec habebant a quo erudirentur, nec qui illos consolaretur. Grex errabat ad arbitrium votorum suorum inter rerum copiam, atque divitias. Omnia videbantur germinare vitia tanquam in sinu, monstris, & corruptione fecundo. S. Carolus poterat sese, ut videtur, dispensare, ne ibi resideret, quia disciplina in sua diœcesi corrupta multa illi negotia faceſsebat, Romæ sollicitanda. Opus erat ibi suæ pietatis, & modestiæ exemplo, tempore correctionis, & reformationis. Sed sciens ille ineluctabilem necessitatem in Cathedrali Sede, & in diœceſis suæ umbilico permanendi, ubi illum posuerat Deus; non ignorans, Episcopale munus requirere jugem sollicitudinem Præsulis, quin in aliorum quiescat ministerio; tenens ab ovibus libenter audiri Pastoris vocem, non alieni; idoneos sibi delegit operarios, quos misit in vineam suam, & quos subsecutus est quocunque deferens corporales simul, & spirituales benedictiones. Quæ diœceſis suæ loca non invisit? Ullane tam inculta, & deserta, ac invia fuerunt, quo non pervaserit, ut ipse per se populos edoceret? Ulline fuerunt adeo prærupti montes, qui ad vocis illius sonitum non personuerint? Nives illis in regionibus adeo frequentes, torrentes, inaccesa loca illius zelum retardare non valuerunt, sed e contra videntur hæ difficultates, quæ insuperabiles videbantur, illius fervorem magis, magisque excitasse. Quid illum in perpetuis hisce laboribus sustinebit? Quid inter tot pericula illum confirmabat? Solus proculdubio amor divinæ gloriæ, & salus proximorum. Cogitans S. Antistes animæ illæ quonam pretio fuissent redemptæ, cupiditate flagrabat sese tanquam victimam devovendi, ut ex ore dæmonis prædam exculperet, qua jam pridem pacifice fruebatur. Sed ex altera parte urgebant illum suæ dignitatis officia, & desiderium recipiendi immarcescibilem coronam, quam Deus Evangelicis operariis reservavit. *Auctor recens.*

De illius erga populum suum charitate.

Ex quo Sanctus Vir Episcopale solium ascendit, omnes cogitationes, omniaque ipsius vota eo tendebant, ut se pro ovibus suis sacrificaret. Dies noctesque spiritualibus, atque corporeis eorum necessitatibus vacabat, totus in eo, ut quæcunque ipsi deesent commoda procuraret. De pago sese conferebat in pagum, ut rudes erudiret; domos ingrediebatur, ut pauperes pudibundos inquireret; gratiam farciebat inter illos, quos habendi studium fejunxerat: dæmoni subtrahebat eos, quos error perverterat, & tanquam bonus Pastor montes, valleſque lustrabat, quæsiturus oves, quæ vel pericrant, vel deerraverant. *P. Senault Oratorii.*

Quinam illius charitatis ardor fuit erga populum.

Ad Præsulis charitatem pertinet habere curas activas, & operativam miserationem, & jugiter intentus esse debet detegendis, ac sublevandis populi sui necessitatibus. Passim procurat ovibus suis temporalia solatia, ut simul facilius, consulat spiritualibus necessitatibus, & paupertati medetur, ut innocentiam tueatur. Qua in re curas suas & auctoritatem impendit S. Carolus. Readhuc integra consultum voluit necessitatibus Ecclesiasticorum, qui destinati, ut aliis opem ferrent, cum iis, quæ ad corpus, cum in iis, quæ ad spiritum spectant, nisi priores alieno indigebant auxilio. Quid igitur? Instituit Seminaria, ubi eorum paupertati solatium ferens, efficit quoque ut simul de muneribus suis erudiantur. Vult opem ferre necessitatibus vagorum pauperum; hos in Xenodochiis alit; ut corporum miseriis ferens opem, profit quoque saluti animarum. *Bivar.*

Excessus constantiæ & charitatis illius.

Ad assequendum excessum charitatis Sancti Archiepiscopi nostri, & constantiæ ejusdem magnitudinem, considerare satis est labores, quos sustinuit grassante lue, quæ Metropolim illam percussit. Se se in singula objecit momenta periculo terribilis illius flagelli; sed mors charitati illius jucunda videbatur, ac beatum se duxit vitam suam objicíens, non secus ac Salvator, dummodo salvaret vitam ovium suarum, quarum cura ipsi credita fuerat. Videntur Præsules secum dispensare posse duris illis, molestisque temporibus, cum satis multos habent ministros, qui eorum vicibus possint satisfacere, & verum est, Sancto nostro non defuisse optimos Sacerdotes, ac Religiosos, qui tunc se offerebant, ut lue laborantibus ferrent opem. Sed Sanctus Præsul noster his sibi cavendi rationes novit: frustra illius objicitur

chari-

charitati, cum ipse populo suo sit necessarius, sed abunde illi adsit ministrorum copia, ad populi mala sublevanda, debere ipsum vitæ suæ rationem habere, simulque Diœcesis suæ incolumitati succurrere; extrema enim illa benevolentia, qua oves suas complectitur, his se lædi putat rationibus, quas inanes, futilesque censet, & se vere Pastorem non esse putat, nisi, ut Dei Filius, pro grege suo vitam effundat. *Idem.*

Idem argumentum aliter elatum.

Fingite vobis tempus illud funestum, quo Mediolani civitas terribili hoc flagello est perculsa, quod repente frequentissima regna in horrentes convertit solitudines, ubi non est amplius mentio consanguineorum, amicorum, & ubi videtur interdictum esse sibimet ultro citroque auxiliari. Laborabat Mediolanum terribili hoc morbo, & hoc divinæ justitiæ flagellum brevi eripuit illi viginti animarum millia. Divites in remotissimos recessus confugiebant, ut essent in tuto; pauperes, qui permanebant vel fame confecti absumebantur, vel lue tetra rapiebantur, & insignis illa civitas non erat amplius nisi mortuis quidem cœmeterium, viventibus autem Nosocomium. Mortis timor Pastores disperserat, & plurimi neque ad salutem suam procurandam excitati, neque de officiis suis eruditi sinu suo duas pestes complectebantur, & duplici morte enecabantur. Hac in occasione Sanctus Archiepiscopus noster zelum, & amorem erga populum suum ostendit. Commota sunt omnia viscera ejus. Si quis illi suadere conabatur, vitam ipsius publicæ utilitati esse necessariam, respondebat, salutem animæ magis adhuc Deo charam esse. Cur nequeo illum exhibere vobis omnia obeuntem loca contagione infecta, ut languentibus ovibus ferret opem, per vias, quibus tristis solitudo afflabat horrorem, ingredientem domos sepulcretis ipsis luctuosiores; medium prætervolantem per lethiferos odores quos undique exhalant cumulus mortuorum simul atque morientium; sacris gestantem manibus animarum, & corporum pharmaca; excipientem Confessiones, Sanctam Unctionem ministrantem, distribuentem Corpus, & Sanguinem Salvatoris: minimos cæsus aliis, sibi vero nullos metuentem, pro ovibus suis amore, ac miseratione ductum, durum & omni sensu carentem pro vitæ suæ conservatione. Cur nequeo illum exhibere vobis semet divinæ justitiæ offerentem, tanquam viventem hostiam, tanquam publicam victimam pro sceleribus Mediolanensium, quorum ipse pœnas subire cupiebat? *Flechier.*

Sanctus Carolus quia confideret periculum objicit se morti, ut populum suum ab eadem liberet. 2. Cor. 12.

Nonne videre vobis videmini bonum hunc Pastorem, qui tanquam Paulus alter se ipsum tradidit pro ovibus suis; *Ego libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Jam omnia bona mea dedi, ut populo meo subvenirem in corporeis necessitatibus, tradam quoque me ipsum pro salute animarum earum: *Libentissime impendam, & superimpendar.* Ille quin sui rationem haberet, huic se periculo objecit, & dicere possumus ipsum toties sese objecisse martyrio: quandoquidem Ecclesia ipsa pro veris martyribus agnoscit eos, qui in hac exercitatione charitatis mortem inveniunt, & licet per singularem Cæli protectionem a manifesto præservatus fuerit periculo, non minor tamen illius erit in Cælo gloria, & corona; quia tota, & integra non defuit voluntas; cum Cardinalitiam purpuram ipse spectaret tanquam martyrii pignus, & signum semper præsens, quod ob oculos illius versabatur, vitam suam sibi esse impendendam, cum sese eidem offerret occasio. Occasionem hanc millies conquisivit inter hæreticos; ex eadem non semel evasit: sed si Religionis inimici vitam illi non abstulerunt; eandem ipse breviorem fecit pœnitentiis, jejuniis, vigiliis, assiduisque laboribus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Carolus non solam cogitavit de populi salutifera actione, sed de sua etiam.

Si minus noster Antistes martyrii coronam adeptus est, objiciens vitam suam pro populo in terribili morbo, quo insignis eorum numerus sublatus fuit, saltem Martyr fuit pœnitentiæ; quia nullum fuit genus austeritatis, quod in corpus suum non exercuit. Modice vescebatur, quamvis plurimos perferret labores; adjiciebat abstinentiæ vigilias, & noctes quieti, somnoque destinatas in oratione traducebat. Denique tantum severitatis in suum corpus adhibuit, ut intelligi nequaquam posset, quomodo homo viribus destitutus tot res aggredi posset, & quomodo Episcopus austeritatibus attritus posset tam sæpe prædicare, toties suam Diœcesim invisere, tot synodos cogere, atque tot litibus finem imponere. *P. Sénault Oratorii.*

Spiritus quinque participes erat mortificationum illius. 2. Cor. 11.

Præter quam quod Sanctus hic pastor omnibus distinebatur curis, quas secum affert magnæ diœcesis regimen; præterquamquod, ut S. Paulus ardebat zelo pro peccatorum conversione, ipse omnes experiebatur miserorum ærumnas, atque dolores: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Suis ille desideriis tabescebat; ac tota ejus substantia, ut ita dicam, diffluebat in lacrymas; evanescebat in suspiria, & per preces immolabatur. Nemo enim hominum tantum egit, nemo tantum oravit; nullus Præsul adeo bene actionem, & contemplationem conjunxit, & nullus Sanctus tantum habuit cum Sanctis, & Angelis commercium. Statim ac se negotiis subducere poterat, ad preces confugiebat, & a Deo recipiebat, quod daturus erat populo suo. Illi persuasum erat, duo præcipua Archiepiscopi munera prædicationem esse, & orationem;

quarum altera Deus consulitur, altera populi ædificantur, rudes erudiuntur, mœrentibus solatium affertur, & peccatores converteruntur. Duplici hoc munere obeundo immolabat animam suam Deo, simulque fungebatur officiis Sacerdotis, & victimæ; Sacerdotis quidem pro virili parte mulcendo iram Dei contra populum irritati, fervore precum suarum: victimæ autem sese in sacrificium offerendo, ut a populo suo Dei ultionem, & justitiæ ejusdem effecta deflecteret. *Idem.*

Austeritates ejus extremæ erant prorsus Anachoretarum austeritatibus comparandæ.

Vix crederemus rigorem pœnitentiæ Sancti nostri, si illorum temporum historici in hoc saltem admodum fideles nos scriptis suis non edocuissent. Vita illius cum austerissimorum pœnitentium vita potest conferri. Vulgo tabulis incubabat; carnibus non vescebatur; cum truculentior sæviebat hyems, igne abstinebat, ferreis catenis, cruentisque flagellis corpus suum laniabat, & fere modico pane, & aqua brevi jejunabat. Hoc nobis testati sunt ejus domestici, & Ecclesia universa testabitur semper illum absolutissimum Sanctorum Antistitum exemplar fuisse, eo quod talem se præbuerit, qualem requirit Apostolus; quod heroicarum virtutum exempla præbuerit, quod irreprehensibilis fuerit, quod omnibus status illius muneribus perfunctus fuerit, ad quem Deus illum vocaverat, & qui altissimam requirit perfectionem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta. &c.*

Magna illius erga pauperes Charitas.

Exhibeam ne vobis hoc in loco Præsulem nostrum in egentium turba verbi Dei panem cum esca corporali distribuentem, eorum angustias charitate sua sublevantem, verbisque suis illis patientiam fundentem? Exhibeam ne illum coram pauperibus humiliatum, servientem illis in eorum necessitatibus, eos in malis suis consolantem, attrectantem eorum vulnera, & se se ad abjectissima christianæ misericordiæ officia submittentem, quin suarum habeat rationem infirmitatum, & quin reformidet pauperum pedibus submittere hanc purpuram, quæ vix coram capitibus corona redimitis se inclinat? Exhibeam ne vobis illum omnes Diœcesis suæ partes peragrantem, & quacunque transit, relinquentem monumenta suæ miserationis, & beneficiorum suorum, aliis erogantem, unde annorum sterilitati suppleant, & aliis unde labentis fortunæ sarciant detrimenta; puellæ huic vocationi, & illius nuptiis providentem? Apage homines hos cautos, & cupidos, qui multum receperunt, & inferunt parum, qui cum Deo, & cum hominibus rationes subtrahunt, & qui in diem crastinum contra Evangelicos canones solliciti, ac metuentes, ne incidant in paupertatem, de divina providentia diffidunt, & nonnisi ingratiis exercent misericordiam. Neque de illis verba faciamus, qui in ordine communis justitiæ honestam servant proportionem inter bona sua, & eleemosynas; qui pauperibus erogant quidquid sibi rationabili causa subducere possunt; & qui legem implere volentes, sed ad Evangelicam perfectionem non aspirantes, se saltem respiciunt tanquam primos pauperes, sibi reservant ea, quæ jure ad se pertinere arbitrantur, & effundunt in eleemosynas non quidem partem aliquam commoditatum, vel affectatum suarum particularium necessitatum; sed earum, quibus facile carere possunt. Sanctus Archiepiscopus noster longius promovet charitatem suam: largitur manibus plenis, secundum Evangelii præceptum; Nesciat sinistra tua, quod facit dextera. *Flechier.*

Magna illius in pauperes Charitas.

S. Carolus fuit unus ex illis misericordiæ viris, de quibus loquitur Scriptura, & quorum pietas fuit inexhausta. Dixisses illum a Deo fuisse locupletatum, ut palam fieret quo usque Christiana liberalitas progredi valeat. Avorum ejus fortuna, hæreditas patrum, Pontificis gratia, successiones, dignitates, beneficia, principatus, sæculares opes, & Ecclesiasticæ omnia collecta in illius persona inveniuntur; & nihilominus in quem usum sua bona convertit? Non in aliud, nisi ut calamitosis subveniat. Esurientium stomachus thesaurus est, ubi omnes concludit opes suas; suamque felicitatem constituit in ædificandis templis viventibus Spiritus Sancti. *Flechier.*

Ejusdem argumenti.

Noster Sanctus Præsul veritus, ne pinguia beneficia essent illi luxus occasio, sibi reservaverat solum redditus Ecclesiæ suæ, & pensiones aliquot, & universa hæc bona, summque patrimonium in pauperum alimenta impendebat. In vicibus duabus sexaginta aureorum millia illis distribuit, conflata ex venditione insignium duorum prædiorum. Hujusmodi profusiones illi minutæ videbantur; magnus enim erat amor, quo fiebant. Aurum, & argentum non erant satis pretiosa vincula ad inhibendum cor, quod uno tantum Deo poterat esse contentum. Sanctus hic Antistes vir cælestis erat, non vir divitiarum: ideoque in morte inventus est manus habens bonis operibus plenas, & inventus est fidelis servus ab eo, in quo omnem fiduciam suam collocaverat. *Godeau.*

Eadem argumenta aliter tractata.

Quænam fuit Præsuli nostro gloria spirituales cum corporalibus eleemosynas conjunxisse, & hac de causa illas potentiores, & validiores effecisse; & profecto eleemosynæ illæ habitæ sunt tanquam profusiones, quæ omnibus fluporem injecerunt. Fratrum suorum mors illum solum reliquerat ampli, & opulenti patrimonii hæredem, quod sibi reservare poterat ad sustinendam dignita-

ſuitatem ſuam; cum interim reditibus beneficiorum ſuorum quam plurimos pauperes recreabat; ſed cum utrumque ſimul vix ſufficere potuiſſet plurimorum Eccleſiaſticorum ambitioni; Sanctus Paſtor invenit, utrumque charitatis ſuæ latitudini non ſufficere. Non ſatis eſt illi erogare quod ſupereſt, ſibi neque reſervat id, quod victui ſuo eſt neceſſarium. Incepit ille venumdare pulcherrima prædia, quorum pretium diſtribuit, & quadraginta, vel quinquaginta aureorum millia, quos ex unius principatus venditione conflaverat, die una erogavit. O Deus! quæ charitas? quid vero ſibi pro gravioribus neceſſitatibus ſepoſuit; quandoquidem in vulgatiſſimis, ſeſe propria hæreditate fraudavit? Nonne hoc eſt honorare Deum de propria ſubſtantia, ut loquitur Sapiens! quandoquidem homines hoc nomine bona ſua vocare conſueverunt, quaſi illa partem aliquam ſui conſtituerent? Sed magnus hic Sanctus ſe illa in uſum meliorem convertere nequaquam poſſe arbitrabatur, quam ſe illis in alendis Domini membris uteretur. Verum eſt ea in occaſione nimiæ prodigalitatis inſimulatum fuiſſe; ſed objectum crimen diluit, dicens, æquum eſſe, ut ille viveret de altari; & ex beneficiis ſuis ſe tantum haurire quantum ſuo victui ſufficeret. Sed quam glorioſa hæc illi fuit criminatio? Cum alii ſæpe multo ære alieno graventur, ut domos ædificent, ut villas magnifice exornent, ut ſummis viris inſtruant convivia, ut magna equarum nutriant armenta, & canum turbas, ut magnum habeant ſervorum familiam? Archiepiſcopus noſter in hoc ſuam conſtituit magnificentiam, ut nullum prætereat pauperem, quem ſuis non juvet ſubſidiis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sanctus hic Præſul beatiorem ſe arbitrabatur ferendo ea, quæ ſibi a divitibus poterant exprobrari; ſe videlicet omnia bona ſua, & fundos etiam ſine ulla neceſſitate diſperdiſſe; opes ad exceſſum uſque prodegiſſe, & ea feciſſe, quæ a Filio Dei facere nequaquam jubebatur; quam audiendo probra, quæ ſibi in Dei judicio a pauperibus ingeri potuiſſent, ſi magna bona ſua in ſumptibus inſanis abſumpſiſſet: tunc enim pauperes criminati fuiſſent; *nobis ſubripitur, quod ſuperfluis impenditur*, vel quos *non paviſti, occidiſti*. Bona noſtra, noſtramque ſubſtantiam effudiſti in opipare condita convivia, in ſervorum pompam, in ea, quæ tibi erant ſupervacua; nobis mortem intuliſti, gladium jugulo infixiſti negans nobis alimoniam, quam debebas. Itaque ad reprehenſionem hanc evitandam, cum S. Carolus in hujuſmodi eleemoſynis ultra dodrantem ſuæ hæreditatis abſumpſiſſet, tranſiit ad reditus beneficiorum ſuorum, & ex octuaginta, & amplius, argenteorum millibus, quibus fruebatur, ſexaginta, millia jam pro communibus eleemoſynis deſtinat, & ex reliqua parte ad domum alendam deſtinata aliquid ſubinde ſua parcitate abradit, atque deducit ita ut melior hujus reliqui pars adhuc in eleemoſynis erogetur. Quidquid poteſt, propriis ſubducit neceſſitatibus ut ſuccurrat alienis. Non ignorat ille cauſas, quas alii prætexunt; bona eſſe neceſſaria eo in gradu, quem tenent; dignitatem, auctoritatem, locum, in quo ſunt hujuſmodi ſubſidiis carere non poſſe; ſine quodam fulgore divitiarum non poſſe aliquem populorum reverentiam ſibi conciliare; hac de cauſa ab Eccleſia reditus Epiſcopis aſſignari; finemque hunc eſſe legitimum. Sed S. Carolus aures omnibus rationibus obſtruit præterquam clamoribus pauperum, & gemitibus miſerorum. *Idem.*

Pauciſſimi S. Carolum imitantur.

Hæc ea ſunt, quæ de præclaris S. Caroli Borromæi perfectionibus colligere potuimus, de quo dici poſſunt illa Apoſtoli verba: *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, innocens, impolutus, ſegregatus a peccatoribus*, ut priſtinum Eccleſiæ decorem reſtitueret, ut vim legibus illius præberet, ut primum illius ſervorem revocaret. Quicunque alius, qui reformationem hanc ſuiſſet aggreſſus, quin ſuum adjiceret exemplum vitæ prorſus Sanctæ mortificationis æque perfectæ, animi ab omni prorſus cupiditate expediti, rectitudinis animæ æque inflexibilis, & zeli æque infatigabilis, hic procul dubio ſub onere tanti operis ſuſcepti ceſſiſſet. Hinc licet cognoſcere, proprium illius characterem, quem pauci hodierna luce imitari contendunt, incomparabilem eſſe zelum pro aliorum ſanctificatione, ſuo exemplo probatum, ſuæque vitæ ſanctitate ſuffultum: quæ duo pauci audent aggredi, tantum abeſt, ut ad illa exequenda ſe præparent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Alios ſanctificare quærimus, noſmet ſanctificare negligimus.

Inveniuntur hodierna die, & hæc temporum omnium conſuetudo fuit, homines ſatis zelo flagrantes pro aliorum reformatione. Eo ſumus in ſæculo, quod in ſpeciem quidem arctiorem amat diſciplinam, quod non aliud, verbis ſaltem, crepat. Nequeunt inſtitui leges ſatis ſeveræ, neque vivendi genus ſatis auſterum. Qui conſtituti ſunt, ut aliis invigilent, ſemper præclara proponunt edicta, antiqua inſtaurant decreta, jactitant Canones ab hoc Sanctiſſimo Præſule factos, & alios iis ſimiles faciendos. Numquam plura fuere præcepta, nunquam plures, qui alios regendi, ac reformandi curam ſuſtinerent. Directores, Patres Spirituales, Concionatores, omnia plena ſunt cenſoribus, & humani generis reformatoribus. Undenam ergo adeo modicum reformationis, & Sanctitatis videtur, quandoquidem nunquam tot leges extitêre? niſi quod nunquam pejus obſervatæ ſunt, niſi quod quantum ſuppetit zeli pro aliorum perfectione, tantum deeſt pro noſtra; quantum alienam perquirimus, noſtram tantum deſpicimus, atque, ut dicebat olim Salvator de Phariſæis verba faciens: *dicunt, & non faciunt*; dicunt, narrant mirabilia, leges ferunt ſanctiſſimas, & ipſi illas non ſervant, & vita ipſorum a verbis diſſentit. Sanctum eſſe oportet, qui alios velit ſanctificare, & vitam irreprehenſibilem ducat, ut alios ad ſanctiones a ſe factas recipiendas inducat. Duarum harum rerum ſimul conjunctio gloriæ viam pandit & & nobis, & populis qui ſunt nobis ſubjecti. *Capit Jeſus facere, & docere. Idem.* Matth. 23. Act. 1.

Mors S. Caroli.

Eccleſiæ opus erat, ut ſanctiſſimus hic Archiepiſcopus ultra ſæculum vitam produceret; ſed aliter divinæ placitum eſt Providentiæ. Taurinum ſe contulerat Sanctam Sindonem inviſurus. Ex hoc itinere, quod cum ſingulari obiit pietate redux receſſit in Varalli Montis ſolitudinem, ut piis vacaret exercitiis, quod quotannis facere conſueverat. Ibi incidit in febrim, propter quam Mediolanum redeundum illi fuit, ubi licet ſeſe infirmiſſimum eſſe cognoſceret poſt effuſas in Sacello ſuo preces, lectulum ſuum petere coactus fuit, ubi tradens ſe Medicorum curæ, omnia, quæ ipſi propinarunt pharmaca in pœnitentiæ ſpiritu hauſit; ſed fruſtra, quoniam tandem mors vitæ adeo prætioſæ filum præcecidit. Non tamen ita infirmus fuit, ut illam formidaret, & ſi vivere cupiit, id accidit, ut gregis ſui utilitati conſuleret. Omnes diœceſis illius populi tantæ jacturæ nullum invenere ſolatium; & ſi qui ſolatium aliquod nacti ſunt, hoc fuit, quia certi erant, Sanctum Præſulem Sanctorum morte opperiiſſe, & illum in Cælo melius, quam in terris cauſam eorum eſſe peroraturum. *Godeau.*

Geris dolor & pauperum mœrore audito mortis nuntio.

Verum eſt Sancti Caroli vitam jugem fuiſſe præparationem ad mortem; ſed nemo ſe ad audiendum triſte nuntium præparaverat. Quilibet in gemitus, & ſuſpiria erupit: pauperes vero præſertim eos præ dolore clamores emiſerunt, qui dubio procul aſcendiſſent in Cælum niſi populi peccata graviora fuiſſent, quam omnes eorum humiliationes. Verum cur de morte conquerimur, quæ omni vacat culpa? nobis potius querendum eſt de hoc zelo, qui anno ſeptimo ſupra quadrageſimum abſcidit ſtamen vitæ illius, qui ad Eccleſiæ utilitatem in ævum durare debebat: de zelo hoc, qui illum in dimidio dierum ſuorum nobis eripuit. Sed non queramur eo quod amiſerimus illum; vivit ſemper Eccleſiæ, æternumque vivet in poſterorum memoria. Vivet pauperibus in Xenodochiis, quæ inſtituit: Vivet Religioſis per reformationes, quas in eorum cœnobiis ſolide inſtituit: Vivet Paſtoribus in præclaris decretis, quæ ad Diœceſum regimen reliquit: Vivet Clericis in Seminariis, quæ illius exemplum in univerſam Eccleſiam invexit: Vivet tandem omnibus fidelibus in ſuavibus, facilibuſque conſiliis, quæ illis & ſcriptis, & exemplo reliquit, primum ſe ipſos ſanctificandi, ut mox digni ſint, qui ad aliorum ſanctificationem invigilent. *Sermones Chriſtiani.*

PRO

Digitized by Google

PRO SANCTI MARTINI TURONENSIS EPISCOPI PANEGYRICO.

MONITUM.

Um pauci ſint in Eccleſia Sancti celebriores, & in quorum devotionem magis [illegible] *ſint mortales, quam erga glorioſum S. Martinum, ita pauci ſunt, qui tot habuerint illuſtres vitæ ſuæ ſcriptores, & tot ſuarum laudum præcones. Quamobrem nobis metuendum non eſt, ne in tam uberi argumento copia deficiat. Tota Concionatoris hujus Panegyricum elucubraturi difficultas in eo ſita erit, ut tot colligat facta, virtutes, miracula, & actiones conſpicuas in variis ſtatibus, in quibus vixit, & in quorum ſingulis tam enituit, quam ſi tota illius gloria coarctata fuiſſet in unius tantum obeundis officiis.*

Fateor equidem me probare non poſſe methodum eorum, qui Sancti hujus celebrantes elogium, alii quidem ſe ſe coarctaverunt ad unam tantum virtutem, alii ad factum, vel munus unum prætexentes Sermone unico cetera in lucem afferri non poſſe, & unam tantum moralem veritatem recte explanatam per occaſionem facti alicujus, vel præcipuæ virtutis quæ melius Sancti characterem oſtendit, hodiernam ſapere eloquentiam. Non moror in hac ſententia refellenda, neque hac Panegyricorum extruendorum forma corripienda; ſed puto non ſatis dignum aſtrui poſſe conceptum de Sancto aliquo, illum dimidiatum dumtaxat oſtendendo, & proprium S. Martini characterem eſſe, quod proponi poſſit exemplum tribus diverſis ſtatibus, qui vulgo hominum vitam partiuntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. 2. ad Timoth. 2.

1.

Ampridem Sanctus vir Job nos docuit hominis vitam jugem eſſe militiam ſuper terram, & S. Paulus hortatus Timotheum diſcipulum ſuum, ut ſe gerat tanquam ſtrenuum Jeſu Chriſti militem, dicere nobis videtur, Chriſtianiſmum profiteri, & laborioſæ militiæ cum ipſa vita deſinenti nomen dare unum & idem eſſe. Et profecto prima Chriſtiani actio, qua fungimur, eſt fidelitatis ſacramentum præſtare Deo, Cæli terræque principi. Eccleſia, cujus ipſi membra ſumus, dicitur militans; Cælum ad quem ex eo tempore anhelamus, locus eſt acquiſitionis; creata quælibet veluti hoſtes totidem, cum quibus nobis decertandum eſt, & mundus univerſus non aliud eſt, quam acies, in qua omnes homines quidem varios obtinent gradus, ſed ubi qui confligere non teneatur, eſt nemo. Itaque hæc Patrum ſententia eſt, omnem verum Chriſtianum militem eſſe ſub vexillo Salvatoris Mundi pugnantem, idque cum hac conditione, quæ in alio nullo certamine invenitur; videlicet ſemper illis vincendos eſſe ſalutis ſuæ inimicos, ita ut nemo coronam adipiſcatur, niſi qui ſtrenue certaverit, & de acie victor diſceſſerit.

Itaque Chriſtiana ſodalitas, elogium apud vos habiturus Sancti Martini, cujus diem feſtum celebratis, & qui profecto celeberrimus eſt in toto orbe Chriſtiano in armorum profeſſione, quam primum amplexus eſt, & per militis conditionem, in qua implicitus fuit propter genus ſuum, & voluntatem Patris, qui in Cæſareis exercitibus non extremum locum tenebat; habiturus inquam elogium magni hujus Sancti, nequaquam neceſſe puto efficere, ut nomen, aut profeſſionem mutet, ſed oſtendere ſolum ipſum ab uno militiæ genere ad alterum feciſſe gradum longe ſanctiorem, & eodem militis nomine retento alios habuiſſe inimicos, cum quibus confligeret, & quos ſtrenue devicit. Ad id conſiderandi nobis ſunt tres ſtatus, in quibus vixit, & qui totidem veræ militiæ poſſunt appellari, in quibus enituit præ omnibus illis, qui eadem munia, eademque prælia ſuſtinuerunt; ſcilicet 1. Sæcularis militiæ, ubi antequam prima mereret ſtipendia Principis terreni, ſe ſe devovit Cæleſtis Regis ſervitio, chriſtianæ militiæ leges addiſcens. 2. Militiæ Sanctioris, & prorſus ſpiritualis; ita enim appellari poteſt ſtatus Religioſus, quem ſtatim poſt baptiſmum amplexus eſt. 3. Tamquam militiæ prorſus divinæ caput, ubi quatenus Epiſcopus juxta exemplum Apoſtolorum contra Infideles, & Hæreticos illi pugnandum fuit.

Primum quidem in ſæculari militia ſe geſſit tanquam verum militem Jeſu Chriſti ea obeuntem munia, quæ S. Joannes Baptiſta præſcribit militibus, quæ ſunt, nemini injuriam inferre, nulla vi uti ea in conditione, ubi tota lex, quam milites ſequuntur, non alia videtur eſſe, quam nullam ſervare legem in vitæ ſuæ ratione, & ad nullam Chriſtianæ Religionis praxim ſe ſe coarctare. Martinus e contra moderatus fuit, & affabilis, verecundus in verbis, & factis: ad pietatem pronus, & quodammodo religioſus in arte, a qua pietas, & religio exulaſſe videntur. Miles erat Chriſtianus, quamvis nondum ſacro baptiſmate ablutus: etenim licet adhuc adoleſcens non ſolum abſtinuit ſe a flagitiis, quæ ab hujuſmodi conditione ſeparari nequaquam poſſe videntur, verum etiam ſervavit puritatem corporis ſui in eorum contubernio, qui de obſcœnitatibus ſuis gloriari conſueverunt. Suo contentus ſtipendio maluit ſuperfluis carere, quam ſumptibus alienis ea, quæ ſunt neceſſaria, poſſidere. Re ipſa talis erat, qualem glorioſus J. C. Præcurſor eſſe vult militem de ſalute ſua cogitantem, & ob cujus oculos Dei timor verſatur. Ad hæc ea quoque obſervabat; quæ in Evangelio maxime commendantur, videlicet eleemoſynam, & charitatem erga pauperes parcens de ſtipendio ſuo licet modico, & de iis, quæ ſibi ad victum erant neceſſaria, abradens, unde laboranti proximo ferret opem. Cujus rei teſtem habemus actionem illam celeberrimam, qua ſibi promeruit ſæculorum omnium admirationem, & ipſius J. C. approbationem; cum nihil habens, quod pauperi prorſus nudo eleemoſynam petenti donaret, pallium ſuum diſſecuit, & cum illo partitus eſt. Ex hoc facto tot laudibus digno, & Chriſtiano in Cathecumeno duo hæc poſſunt inferri, nonnunquam ſatis eſſe generoſe, & Chriſtiane factum, ut repente aliquis Sanctus fiat, vel ſaltem, ut quodammodo certam faciat prædeſtinationem ſuam; quia id genus actio eſt quodammodo aperta profectio ſanctitatis, & ratio validiſſimas obtinendi gratias ut perſeveret. Alterum, quod infertur, eſt nullam eſſe conditionem, profeſſionem, aut munus, in quo ſanctificari nequeamus veri Chriſtiani muneribus perfungentes; quandoquidem Martinus Sanctus factus eſt ea in profeſſione, qua non aliæ ſanctitati magis videtur oppoſita.

Secundo abdicata ſæculi militia aliam ſanctiorem, & omnino ſpiritualem amplexus eſt, ſtatum videlicet Religioſum, ut poſtquam Mundum vicerat omnibus bonis abrenuntians, quæ in eo conſequi poterat, poſſet vincere ſe ipſum, oppugnans omnes cupiditates, & animi ſtudia jugi mortificatione corporis, & ſpiritus, & hoc pacto ſe attollens ad altiſſimum ſanctitatis apicem, quo per aſſiduas de ſemetipſo victorias brevi pervenit: quæ res illum ad Epiſcopalem diſpoſuit dignitatem, quam tertiam appello militiam, in qua Sanctus hic, licet invitus; implicitus fuit.

Neque putetis ipſum eo quod ad tantam hanc dignitatem evectus fuit, a prælüs ceſſaſſe, ut primarum victoriarum fructu perfrueretur. Immo e contra tunc factus militiæ magis Chriſtianæ caput, & talis, qualem S. Paulus Timotheo diſcipulo ſuo præſcripſit, pugnare debuit contra infeſtiſſimos Eccleſiæ inimicos, videlicet Infideles, Hæreticos, & in omnem licentiam effuſos. Europa univerſa Arianorum hæreſi erat infecta, & in Gallia præſertim ſupererant idololatriæ veſtigia. In hoc ſe exercuit miles Jeſu Chriſti factus caput æque prudens, & generoſum. Hæreſes aggreditur in ipſa Cæſarum aula, Galliam ab Ethnicæ ſuperſtitionis reliquiis emundat. Verum quis dicendo aſſequi poteſt, quot labores pertulerit, quot obierit pericula, & quanti illi ſteterint victoriæ, quas reportavit? Ecce quid illi tot in Cælo palmas promeruit.

Digitized by Google

II. *Quæsivit sibi Deus virum juxta cor suum.* 1. Reg. cap. 13. Hæc vox est Dei, quæ alias audita fuit, cum illa quærens virum juxta cor suum tenebricoso illo legis antiquæ tempore, quo plurima inveniebantur corda inordinata, lapidea, incircumcisa, tandem invenit filium Jesse, qui erat secundum cor ejus. Sed longe aliter in nova contigit lege, ex quo Jesus Christus in terris apparuit, non ita fuit arduum invenire viros juxta Dei cor. Inter longe plurimos talis inventus est Martinus: nam eosdem habuit sensus, ac Salvator, videlicet summam erga Patrem illius venerationem, amorem erga peccatores ineffabilem, pro quorum salute factus fuerat homo, & zelum ardentissimum propter ejus Ecclesiam, quam Sponsam suam appellavit, ut suam erga eandem testaretur benevolentiam. Vere dicere possumus S. Martinum tres hos eosdem sensus habuisse. Nam

1. Semper Religionem fovit erga Deum, cui a teneris usque unguiculis cœperat inservire, licet natus ex parentibus idolorum cultoribus, atque infidelibus.

2. Semper misertus est peccatorum, pauperum, & miserorum, quibus opem afferre omni studio conatus est eo usque, ut se ipsum fraudaret necessario, aliorum egestatibus opem laturus.

3. Zelum habuit ardentem pro gloria Ecclesiæ, cum semper adnisus fuerit ad Dei cognitionem perducere eos, qui sepulti erant in tenebris idololatriæ, avocare ab omni vitiorum genere homines nefarios, & revocare in Ecclesiæ sinum Hæreticos, & novarum rerum
III. studiosos, qui ab eadem recesserant. *Sermo Manuscriptus.*

Ego sum Pastor bonus: animam meam pono pro ovibus meis. Joann. 10. Quamvis glorioſus S. Martinus nequaquam mortuus fuerit inter supplicia pro fide tuenda, nihilominus retulit Martyrii palmam, repletvitque boni Pastoris officia, quibus tenebatur se ipsum pro ovibus suis sacrificare: *animam meam pono pro ovibus meis.* Et vere dicere possumus ipsum se pro grege immolasse, quandoquidem illi impendit, quidquid illi erat antiquissimum.

1. Sacrificavit illis fortunæ bona, quibus se fraudavit, ut oves suas aleret.

2. Sacrificavit illis gratiæ bona abrenuntians solatiis recessus sui, ut earum saluti cooperaretur in Episcopatu.

4. Illis quodammodo sacrificavit bona gloriæ, quibus ad tempus privari voluit, ut si adhuc necessarius esset, populi sui saluti cooperaretur. *Ex Specimine Panegyricorum.*

IV. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. Martinus jure misericors est appellandus, & dici potest, si minus longe plurimos hac virtute superaverit, paucos tamen illi æquales extitisse, ita ut merito de illo dici posset, quod Sanctus vir Job dixit de se, miserationem videlicet secum natam fuisse. Igitur proculdubio titulum hunc in omni sensu meritus est.

1. Pro terrenis solatiis, quæ pauperibus dedit, ad effectum hunc sacrificans non superfluum dumtaxat, & commodum, verum etiam necessarium, quod facile cognoscere est præclara ea actione, quam operatus est, cum nondum per baptismum Sacris Christianæ Religionis Mysteriis esset initiatus.

2. Pro spiritualibus solatiis, quæ proximo suo præstitit, pro quo sacrificavit vigilias, curas, & labores omnes, paratus etiam, ut vitam impenderet suam animas Deo lucraturus: quod pluries ostendit in vita sua, & præsertim in Episcopatu, semet ob hanc causam furori Tyrannorum subjiciens. *Bivar.*

V. *In diebus suis placuit Deo.* Eccli. 44. Tota Sancti Martini vita in tres status divisa fuit, ubi excelluit inter illos, qui in eadem professione se ipsos sanctificaverunt. Fuit miles, fuit Religiosus, fuit Episcopus & magnæ diœcesis Pastor. Hinc justi Sermonis argumentum desumi potest.

1. In re militari non minus enituisse per pietatem, per innocentiam, per timorem Dei, & per fidelitatem in obeundis omnibus veri Christiani muneribus, quam per constantiam in periculis, & per mortis contemptum.

2. In statu Monastico, quem deinceps amplexus est, se perfectum præbuit Cœnobitam vita humili, & abscondita oculis hominum, sed cognita in oculis Dei; qui eum mundo cognoscendum tradit per maxima miracula, sed multo magis per eximias virtutes, quibus meritus est Dei approbationem, & admirationem hominum.

3. In Episcopali dignitate absolutissima virtute suffulta gratiosum se præbuit in oculis Dei propter maxima sua in Ecclesiam merita, impugnans Hæreticos, evertens Idololatriæ reliquias, vitium, vivendique licentiam exterminans vigilantia, & zelo, quem adhibuit in erudienda, regendi, & administranda diœcesi, cum nihil omiserit, quo melius Deo posset placere. *In diebus suis placuit Deo.*

VI. *Operatus est quasi pallio Zeli.* Joann. 50. Quemadmodum Christiano sæculi placita impugnanti, S. Paulus Apostolus tribuit pro lorica justitiam, pro galea curam, & salutis desiderium; ita credo juxta hunc conceptum illi pro pallio, vel militari indumento zelum posse deferri, & cum Propheta dici, *operatus est, quasi pallio zeli.* Constat hic alludi ad celeberrimum charitatis actionem, quam S. Martinus operatus est erga pauperem, cui in eleemosynam largitus est pallii sui dimidium; & inde arripi occasio potest dicendi, magnum hunc Sanctum mutata conditione factum Jesu Christi militem in vita monastica, & Episcopali, operuisse semet pallio zeli, quia modo prorsus singulari suum zelum exercuit.

1. Erga se ipsum, cum a puero inceperit de Christiani viri officiis edoceri, sese actionibus pietatis, & charitatis in pauperes exercere, ac tandem certam facere salutem suam bonis operibus, status sui propriis.

2. Zelus, quo opertus fuit, atque cumulatus, gloriosum habuit munus erga Ecclesiam, quam strenue propugnavit adversus Hæreticos, & Idololatriæ reliquias, quas feliciter evertit; indefesse utrorumque conversioni invigilans, quod efficere debet, ut tanquam unus ex Apostolis Regni hujus habeatur.

3. Eodem zelo percitus fuit erga suum gregem, omnem adhibens sollicitudinem, ut illum erudiret, ac tueretur a lupis, qui illum vastare conabantur; & denique contra vitia, & licentiam, quod prolixius fuit, atque constantius zeli sui objectum.

Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Eccli. 45. VII.
Postquam persecutiones desiere, neque amplius Martyres Cælo inseruere, Ecclesia tria vulgo cognoscit Sanctorum genera, quos colit, & proponit fidelibus imitandos. Primi sunt, qui in vulgari communique vita suam servarunt innocentiam constanti fidelitate in servitute Dei, & qui omnia hominis Christiani repleverunt officia in statu, & conditione, in qua illos constituerat Providentia.

Secundi sunt pœnitentes, & illi, cum aliquando a via virtutis aberraverint, ac vitam duxerint abnormem, reparaverunt crimina sua, eaque expiaverunt per acerbissimam pœnitentiam, quæ illos extulit ad sanctitatem sæpe superiorem eorum, qui nullum unquam grave peccatum commiserunt. Tertii tandem illi sunt qui Apostolico zelo animati populorum conversioni, & animarum sanctificationi operam dederunt.

Dubitandum esset quo in ordine collocandus esset S. Martinus, nisi in quolibet ex his sanctitatis gradibus excelluisset; quod elogii ipsius partitionem efficere potest.

1. Innocuam duxit vitam ea in professione, quæ omnium flagitiosissima habetur, & propter scelera, quæ in ea perpetrantur. Fuit Deo fidelis, & perfecti Christiani obiit munera, cum esset tantum Catechumenus, ut se ad Baptismum disponeret, ad quem anhelabat; Quod ostendit qua perfectione mox omnia obierit officia, ita ut dici queat, illum æquasse sanctitatem primorum fidelium, quorum Scriptura facit elogium adeo magnificum. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.*

2. Quamvis hic Sanctus vixerit in perfecta innocentia ante, & post baptismum, nunquam tamen cessavit, quo minus austerissimam tentaret pœnitentiam, quam exæquavit cum pœnitentia veterum Eremitarum, ac Cœnobitarum, qui deserta, & Claustra frequentaverunt. *Similem fecit illum in gloria Sanctorum.* Etenim quonam modo non vixit, primum in solitudine, in quam primum recessit, & ubi exercuit humilitatem, & mortificationem admirabilem, ita ut sanctitas consummata ad quam pervenit, & cujus rumor quocumque pervasit per stupenda miracula, illi nomen magni comparaverit, ut S. Bernardus ait. *Magnus in meritis, magnus in miraculis, magnus in virtutibus.*

3. Satis liquet, eminentis sanctitatis celebritatem effecisse, ut Episcopus eligeretur ex numero plurimorum insignium sæculi sui virorum, & sicut ille, qui zelo æquabat eos, qui sanctitatis gloria emicabant, & qui comparari poterat cum Ambrosio, ut in Episcopali dignitate posset sanctificare gregem suum convertendo peccatores, evertendo hæreses, infidelitatem, atque licentiam; qua in re labores, & persecutiones, quas sustinuit, fecerunt illum similem Apostolis, atque martyribus, & prorsus similem gloriam promeruerunt. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.*

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Eccli. 45. Si quis unquam a Deo, & hominibus dilectus fuit; hic proculdubio fuit glorioſus S. Martinus; cujus diem festum jhodie recolit Ecclesia; quoniam invenit artem conciliandi sibi amorem Dei & hominum virtutibus suis, quæ quidem sunt illa duo, quæ difficile conciliari posse videntur. VIII.

1. Placuit Deo vitæ suæ innocentia, morumque suorum puritate, sine qua omnino illi placere nemo potest; humilitate, quæ basis est, & fundamentum omnium perfectionum, & charitate erga Deum, & erga proximum.

2. Placuit deinde hominibus lenitate, & affabilitate sua per piam indulgentiam, charitatem, & beneficia, quibus cumulabat summos, & imos, præsertim vero mœrentes, & necessitate aliqua, vel infirmitate laborantes. Piis hisce rationibus Sanctus hic Dei, & hominum amorem sibi conciliavit. *Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est.*

P A-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Argumenterum ſynopſes exornandas, & Auctores, qui de hoc tractant Argumento.

Qui de S. Martini vita ſcripſerunt, & cū laude loquiti ſunt de virtutibus, & præclaris actionibus ejus.

SEverus Sulpicius, qui æqualis erat Sancto Martino, & qui illum familiariter cognoverat, proprie hiſtoricus eſt vitæ illius, & ferme tantum Orator, quantum hiſtoricus.

Dictio illius pura, & elegans, & digna magnitudine argumenti quod tractat ſecundum Sancti Paulini teſtimonium.

Idem tres dialogos, ac tres edidit Epiſtolas de præcipuis actionibus ejus.

S. Paulinus, Magnus ille Nolæ Epiſcopus verſibus ſcripſit vitam Sancti hujus, excitus tum nominis illius celebritate apud univerſam Eccleſiam, tum quod illius interceſſione a gravi morbo convaluerat.

Idem oſtendit quantum ſit meritum illorum, qui Sancti Martini merita celebraverunt, & addit Sancti hujus virtutes ipſa etiam Oratorum, & Poetarum ornamenta exornare.

Idem ibidem eloquenter narrat quidquid ille ab Arianis paſſus eſt.

Idem ibidem affert rationes charitatis, quæ impulerunt S. Martinum, ut ad Maximum ſe conferret Gratiani interfectorem, & quomodo Tyrannum exprobraverit.

Idem deſcribit actionem Sancti ejuſdem in quodam convivio, ubi calicem dedit Diacono ſuo, coram Cæſare illum expectante.

Idem late deſcribit ea omnia, quæ S. Martinus fecit apud Maximum, & captivos quorum libertatem obtinuit.

Idem deſcribit convivium ab Imperatrice S. Martino datum; quæ illi menſæ accumbenti miniſtravit.

Idem loquitur de errore, in quem Sanctus lapſus eſt communicans cum perſonis parum catholicis ea mente, ut ab Imperatore gratiam obtineret innocentibus injuſte damnatis, & de verbis, quæ de hac re Angelus dixit Martino.

Venantius Fortunatus, ut S. Paulinus, quatuor libris complexus eſt Sancti hujus laudes, eo quod per Sancti hujus preces non ſine manifeſto miraculo valetudini redditus fuerat.

Sanctus Gregorius Turonenſis pariter in libris quatuor illius deſcribit miracula, & narrat tranſlationem ſacri corporis ejuſdem.

Ennodius habet hymnum hujus argumenti.

S. Nicetus fidelem habet omnium miraculorum ejus narrationem.

Pauci ſunt Auctores Eccleſiaſtici inter Latinos, qui locuti non ſint cum laude de Magno hoc S. Martino, & ex Græcis Sozomenus, Nicephorus, & alii hiſtorici, cum honore Sancti hujus meminerunt.

Sancti Patres.

Sanctus Bernardus prolixum habet de hoc Sancto Sermonem, cui titulus, eſt, *de exemplis obedientiæ*, ubi digne loquitur de virtutibus, præclare factis, & miraculis illius.

S. Bonaventura in verba illa Eccleſiaſtici: *In bonitate, & alacritate anima ſua placuit Deo*, ubi ſermonem habet de omnibus Sancti hujus virtutibus.

B. Pet. Damiani Sancti hujus elogium ſcripturus utitur tribus his verbis Evangelicis: *Videte, vigilate, & orate*, quibus Sermonem ſuum partitur.

Sanctus Laurentius Juſtiniani in Sermone in diem feſtum Sancti hujus refert actiones, & virtutes ejus, & acriter invehitur in Præſules otioſos, ambitioſos, voluptatibus deditos.

Dionyſius Carthuſianus duos habet de hoc Sancto Sermones, ubi verba facit de virtutibus ejus tum ante, cum poſt Baptiſmum illius.

Albertus Magnus Sermonem habet, ubi pro themate habet hæc verba: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.*

S. Thomas Aquinas Sermonem habet, ubi conſiderat S. Martinum in triplici ſtatu, in quo vixit.

P. Senault Oratorii tom. 3. Panegyricorum.

Biroat tomo item 3. ubi oſtendit S. Martinum jure meritum fuiſſe titulum *viri Miſericordiæ*.

P. Duneau tomo 3. Panegyricorum Sanctum Martinum comparat cum Abraham.

Godeau in Epiſcoporum elogiis pulcherrimum habet Sancti Martini elogium.

In Specimine Panegyricorum, tria ſunt Sermonum hujus argumenti compendia.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis meditationem habet, ſermoni comparandam, quamvis loquatur ſolum de illius Charitate & amore erga Deum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui poſſunt convenire virtutibus, & diverſis actionibus, & ſtatibus, in quibus Sanctus hic vixit.

EGo autem mendicus ſum, & pauper. Dominus ſollicitus eſt mei. Pſam. 39.

Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Pſalm. 117.

Magnificavit eum Deus in conſpectu Regum. Sap. 44.

Ecce Sacerdos Magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo. Eccli. 44.

Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Luc. 14.

Ego ſum Paſtor bonus, animam meam pono pro ovibus meis. Joann. 10.

Ego autem impendam, & libentiſſime ſuperimpendar pro animabus veſtris. 2. Cor. 12.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Ad Galat. 4.

Quis ergo nos ſeparabit a Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Ad Rom. cap. 10.

Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Ibidem.

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Cor. 11.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Ibidem.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis; in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Ibid. cap. 12.

Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. 2. ad Timoth. 2.

Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Ibidem.

Qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certaverit. Ibidem.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex. Ibidem cap. 4.

Non dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Ibid. cap. 1.

Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri: ſed collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei. Ibidem.

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quod ſi vivere in carne hic mihi fructus operis eſt; quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius; permanere autem in carne propter vos. Ad Philipp. cap. 1.

Exempla, & Figuræ Biblicæ huic argumento applicabiles.

OLim præcepit Deus Patriarchæ Abraham, ut de patria tellure egrederetur, cognationem ſuam deſereret, & patris ſui domum relinqueret. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*; ſimulque pollicitus eſt ſe illum deducturum in terram uberem, omni bonorum copia affluentem, ſe illum benedictionibus cumulaturum, filios ejus, neposeſque multiplicaturum tanquam cæli ſydera, glorioſum nomen illius effecturum, & benedicturum benedicentibus illi, maledicentibus autem maledicturum. Deus ſimiliter operatus eſt pluribus in rebus cum Sancto Martino. Egredi juſſit de terra ſua, & de domo patris ſui, ut illum deduceret in terram longe uberiorem ſcientia, & pietate, ubi divina Providentia illum in reliquum vitæ ſpatium ſtatuere meditabatur. Fecit illum Patrem, & Patriarcham plurimorum filiorum ſpiritualium, inter quos numerantur complures eximia Sanctitate viri, Epiſcopi inſignes, & Confeſſores non pauci. Sancti hujus viri nomen non in Galliis ſolum, verum etiam in Oriente, & Occidente glorificavit. Illud benedictionibus ſuis cumulavit, benedixit benedicentibus illi, & illis, qui ei adverſabantur, maledixit.

Concionatoresrecentes. Deus cum S. Martino agit olim cum Abraham, eadē illi promittēs liberosque, illum benedictionibus cumulans. *Geneſ.* 12.

Nemo unus ignorat Deum olim dæmoni permiſiſſe, ut variis modis affligeret Sanctum Job, quapropter ſpiritus nequam hujus Sancti Patriarchæ corpus ulceribus cooperuit, ac tandem ad ſterquilinium redegit. Hoc ipſum præter propter accidit Sancto Antiſtiti noſtro, in cujus corpus permiſit dæmoni Deus, ut ſuum exerceret furorem, qui licet non adeo violentus extiterit, non ideo minus totum illius corpus confregit. Etenim ut præteream illius famam ſexcentis calumniis, & contumeliis laceſſitam, omneſque oppoſitiones, & contradictiones, quæ illi ab omnibus fere ſtatibus erant perferendæ: nocte quadam cum e cubili ſurrexiſſet profecturus in templum ad preces fundendas, vigil hic noſtræ ſalutis inimicus præcipitem a ſummo ad imum ſcalarum dedit, quo caſu cum graviſſime vulneratus eſſet, ſemia-

S. Martinus cū Job comparatur propter varias tentationes quibus permiſit Deus ut Sanctum hic Patriarcham Satanas tentaret.

feminimisque in cellam suam delatus, Angelus noctu ad illum supernaturali oleo inungendum accessit, ex quo statim convaluit. Alia vice cum S. Pastor Diœcesis suæ visitationem obiret, stratum illi fuit cubile in loco, ubi multum aderat palearum; sed antiquus serpens nocendo semper paratissimus, per somnum Sancti viri paleis ignem admovit. Evigilat Præsul, atque ut incendium aufugiat e cubili pedem efferre contendit; sed cum ostium aperire non posset, profecto propter communis inimici perfidiam, illum flamma sepsit, ejusque vestimenta combussit. Tunc in præsenti periculo ad Deum Martinus confugit, ac interdum deprecatus est; & flamma, licet hac undique circumdatus esset, illi nocere non potuit. Qui extra locum illum aderant eum jam igni absumptum credentes incolumem invenerunt, & ille mox confessus est se deceptum fuisse dæmonis astu, qui illi suaserat, ut fugam corriperet, qui statim ad preces confugere debebat in adeo urgenti periculo ... Quis non credet, antequam Deus Satanæ permiserit, ut Sanctum hunc Virum tentaret, illi antea de Sancto Martino eadem dixisse verba, quæ alias de Job servo suo dixerat: *Numquid considerasti servum meum, quod non sit ei similis super terram?* Verum si minus Salvator furenti huic inimico ob oculos posuit Martini servi sui fidelitatem; alias magnificis elogiis prosecutus est illius miserationem erga pauperes, cum Sanctus hic adhuc Catechumenus præclarum illum factum edidit, quod nemo ignorat, & propter quod beati Spiritus Salvatori gratulati sunt, quod simplex eques, qui nondum relatus fuerat in numerum militum Jesu Christi, per baptismum jam ad hunc perfectionis apicem evaserat.

S. Martini amor erga populum suum illi suadet ut cupiat sibi gloriæ differri ad imitationem Moysis & S. Pauli.

Nonne dici potest S. Martinum perfecte imitatum fuisse charitatem S. Pauli, & Moysi, qui propter secusum, quem illi amor infuderat, voluerunt esse anathemara pro fratribus suis? Sanctus enim Paulus similiter affectus, non secus ac Magister suus, cupit publicam fieri victimam, ac sese videre aliquo modo a Jesu Christo sejunctum, ut cum illo conjunctos homines omnes videret. *Quia amo Christum*, ita S. Chrysostomus illum inducit loquentem, *cupio separari a Christo, ut plures, immo omnes eum laudent, & ament.* Sanctus noster Episcopus in hoc Moysen est imitatus, qui de libro, quem scripserat Deus, optavit deleri, ut ille parceret populo, cujus regendi provincia sibi a Domino fuerat demandata? Unum video Sanctum Martinum, qui non secus ac summi duo isti viri similiter affectus, urgente ipsum amore, quo gregem suum complectebatur, voluerit gloriam suam differre, & iterum in salutis suæ periculum adduci (quandoquidem tanta est hominis infirmitas) ut illum contra rapaces lupos, qui imminebant, tueretur. Sanctus Præsul ferre non potest suspiria discipulorum conquerentium, quod ab illo desererentur eo tempore, quo magis illius ope indigebant: & commotus lacrymis mortalium, qui sibi erant dilectissimi, cupit triumphum suum in tempus differri, ut illos interea fervidiores in Salvatoris amore facit. Sed mihi liceat adjicere, quod spectat ad Moysen, sacrum textum palam innuere, hanc non omnino fuisse Moysi sententiam; & quod ad Sanctum Paulum pertinet; si hic illius fuit sensus, quod Sacer Textus indigitare videtur, dicendum est, sensum hunc magis admirabilem fuisse quam imitandum, vel excessum zeli, qui illum extra se rapuit, potius quam desiderium formatum, veramque sententiam.

Charitas S. Martini cum charitate S. Petri, & S. Joannis collata.

Crederes ne Sanctum Pastorem nostrum, licet pauperem exercere misericordiam in gradu præstantissimo, & ex ipsa paupertate, quam vovit, haurire inexhaustum thesaurum, ut cuilibet venienti ferat opem? Neque dico solum illum omnia relinquentem ut Filium Dei sequeretur, totum dedisse, & relinquenti omnia, omnia unicam illi fuisse eleemosynam; sed præcipue quia Deus cum in paupertatis ipsius remunerationem dedisset illi potestatem supra naturam universam; sanctus quippe qui nulla habebat aliunde bona temporalia; ille accepto miraculorum dono usum non fecisset, nisi ut opem ferret pauperum necessitatibus; cum enim non posset illis ex bonis suis erogare eleemosynam, pro illis operatus est miracula ipsis etiam operibus utiliora. Nonne dicerres S. Petrum, & S. Joannem in persona S. Martini resurrexisse. Primi illi Pastores Ecclesiæ, ut norunt omnes, Templum ingressuri præ foribus invenerunt pauperem membris captum, cui cum non haberent unde illi largirentur quod cupiebat multo plura largiti sunt iis, quæ sperabat, se ab eorum liberalitate accepturum; illi bonam tribuentes corporis valetudinem, & ambulandi facultatem. S. Martinus hac in re non solum laudatos Apostolos imitatus est, & ipsum Salvatorem, qui sæpius hoc misericordiæ genus exercuit: quia cæcis petentibus eleemosynam, oculorum aciem reddebat, claudis crurum usum, & infirmis valetudinem. Verum est Sanctum Præsulem nostrum sæpe usum fuisse hac potestate ad evertenda dæmonum delubra, ad idola confringenda, ad profanas aras abjiciendas; ut divinæ justitiæ præberet exempla. Sed fatendum est vulgatiorem hujus potestatis usum fuisse, ut misericordiam exerceret, & ut miserorum necessitatibus opem ferret. Sed hoc totum non est. S. Martinus non solum imitatus est Charitatem Sanctorum Apostolorum Petri, & Joannis, sed audeo dicere illam superasse; Sancti enim Apostoli illos tantum sanarunt, qui sanari cupiebant; sed Sanctus noster illos etiam sanabat, qui curationem fugiebant tamquam malum, quia ulcera, morbosque suos tamquam adminicula ad victum sibi comparandum spectabant.

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

Quæ promisit Deus Abrahæ in S. Martino adimpleta sunt.

F*Aciam te in gentem magnam, & benedicam nomen tuum coram gentibus.* Genes. 12. Quamtumvis modicum advertatur animus ad eam bonitatem, qua Deus olim usus est cum Patriarcha Abraham, facile est videre ex, quæ illi promissa fuerunt, in Episcopo Martino fuisse adimpleta: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam nomen tuum coram gentibus.* Quibus verbis innuere voluit Deus, se illum constituturum potentis nationis, frequentis, & illustribus personis repletæ caput. S. Paulus Apostolus Fideles omnes vocat Filios Abraham secundum spiritum, & Ipsum Patriarcham Patrem credentium appellat. Ita & S. Martinus magnum habuit filiorum numerum secundum spiritum, quia convertit plures idolorum cultores, plures hæreticos, & antequam ad infulas evocaretur ædificavit, & rexit diu unum Monasterium, & rursus alterum postquam ad Episcopalem dignitatem ascendit, ubi ea sanctitas florebat, ut vix Episcopalis civitas inveniretur, quæ sibi non cuperet aliquem ex illius Monachis in Præsulem. Benedictiones, quibus Deus Sanctum hunc cumulavit, partim temporales fuerunt, partim spirituales; Deus enim non solum ingentia illi dedit prædia, sed etiam exornavit illum virtutibus præstantissimis, & omnibus donis Spiritus Sancti. Benedictiones, quas illi contulit Deus, absit invidia verbo, superarunt ipsas illas, quas Abrahæ pollicitus est, quoniam magis spirituales fuerunt, quam temporales; quandoquidem ille pluris faciebat humilitatem, & Evangelicam paupertatem, quam omnes mundi honores, atque divitias.

Magnificavit Deus nomen filius in Ecclesia & inter Gentes, non secus ac nomen Abrahæ.

Magnificabo nomen tuum. Ibidem. Si Deus olim Abrahæ nomen inter suos, & apud exteras etiam Nationes magnificavit, a quibus in honore habitus fuit, ita ut adhuc in Ecclesia memoria illius excolatur: dicere possumus hoc ipsum de Sancto Martino, paucos extitisse Sanctos in Lege gratiæ, qui pari nominis celebritate floruerint & dum viverent, & post obitum, ut ille in Gallia, ubi vivebat, & in aliis regionibus omnibus. Postquam ad Episcopatum evectus fuit, duo illi invisendi fuerunt Imperatores, quorum alter contra illum ab Arianis occupatus; cum aditum illi ad se negasset, mox illi permisit, eique largitus est quæcunque petitum accesserat: alter vero licet Ethnicus non solum omnibus illius postulationibus subscripsit, verum etiam oblectatus est illum habere convivam, & rerum ad Imperium spectantium consiliarium, eumque fin[illegible]lari observantia complecti. Nonne hoc est complementum promissionis, quam Deus antiquo illi fecerat Patriarchæ? Nonne hoc exemplum est Divinæ erga S. Martinum magnificentiæ; & nonne dici de illo potest, quod inquit Scriptura de fideli Mardochæo, ita a Deo glorificari eum, quem honorare vult?

S. Martinus non soluta non cupit Episcopalem dignitatem; sed invitus electus est.

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 3. ad Timoth. 3. Utique res est præstantissima Episcopatus; sed illum optare, ut aliis immineas, ac domineris, hæc certissime res est pessima. Si, ut olim, labor, & gloria effundendi sanguinis sui pro Jesu Christo erant sola bona Pastoris, & Episcopi dignitati inhærentia, quam pauci munus subire vellent regendi fratres suos; quam pauci ex parentibus quærerent, & apud sæculi optimates tanto studio ambirent hos honores, qui primitus in Ecclesia adeo parum desiderabiles videbantur, immo etiam adeo terribiles, ut nonnisi invitis deferrentur, non quidem propter mortis metum, sed propter obeundi muneris adeo magni, cui vix pares inveniretur Angeli, difficultates? S. Martino persuasum erat de his veritatibus: & si passus fuit se ad hunc dignitatis verticem promoveri, dexteritate opus fuit ad hoc, ut in gratiis præstaret assensum.

Tota Sancti vita verfatur est in imitando Salvatore benefaciendo omnibus, & sanando omnes.

Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Actor. 10. Jesus Christus suapte natura beneficus erat, nonnisi beneficere poterat, & hoc docet Ecclesia: *cujus naturæ bonitas.* Sed hæc qualitas, hæc bonitas, hæc voluptas, qua afficitur jugiter benefaciens, illam omnibus ferme Sanctis communicat; & quod per naturam possidet, concedit per gratiam & essentiæ suæ benefacientis participationem. Sed si cui Dei famulo uberior contingit doni hujus adeo mangnifici pars, hic procul dubio fuit S. Martinus: nam transiit illene per locum aliquem, aut provinciam, quam temporalibus simul, & spiritualibus benedictionibus non repleverit? Numquid domum aliquam ingressus est, ubi non benefecerit, non solum iis, qui inde proficere voluerunt; verum etiam indignissimo cuique, non oblitus Dei, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos? Quot infirmis bonam reddidit valetudinem? Quot peccatores convertit? Quot Ethnicos ad veri Dei cognitionem adduxit, idque omnibus in locis, & tan-

& tanto in numero, ut omnes numerando recenſere velle infiniti operis eſſet, atque laboris?

Nobis honorandæ ſunt virtutes S. Martini, ſed imitatione potius qui verbis.

Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem. Ad Hebr. 13. Cum Sanctus Martinus ſemper habitus fuerit tanquam Eccleſiæ Galliæ ornamentum, & nationis Patronus; nonne æquum eſt Sanctum hunc Antiſtitem peculiari veneratione proſequi, & eidem habere gratias propter ea bona, quæ nobis procuravit in vita ſua, & ea quoque, quæ adhuc nobis apud Deum promeretur? Nam ille potiſſimum unus eſt ex patribus noſtris, de quibus nobiſmet dicere debemus, ut ad Sanctum vitæ genus excitemur: Mementote Sancti hujus Paſtoris; charitatis, & humilitatis ejuſdem; amoris erga Deum, & erga pauperes; eximii cordis illius, omniumque virtutum ejus, ut illum imitemini in iis, quæ captum veſtrum non ſuperant, & admiremini dona Dei, quibus nos ſuperat. *Mementote præpoſitorum veſtrorum.* Noſmet excitemus ad colendum in terris ſanctum virum, qui eſt adeo glorioſus in cælis: ad illius gloriam non parum conferre eſt, illius exempla ſequi: *Quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Patrum ad hoc argumentum ſpectantes.

Collectio præcipuarum actionum, & virtutum, quæ aſſeruntur a Severo Sulpitio, aliiſque Sanctis Patribus.

Pauperi nudo eleemoſynam petenti, cum nihil haberet præter arma, & veſtimenta, partem clamydis dedit, Severus Sulpitius in Sancti Martini vita.

Huic ſequenti nocte Chriſtus dimidiata illa veſte indutus, apparuit, hanc mittens vocem: Martinus catechumenus hac me veſte contexit. Ibidem.

Idolorum fana dejecit, & lucos ſuccendit, non veritus aliquando vitæ adire diſcrimen, ut eorum cultum aboleret. Ibidem.

Ab Epiſcopis Arianis, quorum perfidiam frangeret, publice virgis cæſus eſt: Illyrico pulſus eſt: Eadem de cauſa Mediolano, ubi Monaſterium conſtruxerat, per Auxentium ejectus eſt. Ibidem.

Injuriarum ſuis patientiſſimus adeo ut impune vel ab infimis clericis lacereatur; & plerumque obtrectantium ſibi peccata deflereat. Ibidem.

Unus idemque ſemper cæleſtem lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur; nemo vidit illum iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridentem. Ibidem.

Martinus lucerna erat ardens, & lucens, cum ſaltem non pigeat imitari, ſed imitare in eo quod eſt imitabile, non autem quod mirabile videtur. Sanctus Bernardus ſermone de Sancto Martino.

Dives eſt iſte Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in ſignis. Idem ibidem.

Suſcitavit Martinus tres mortuos, reddidit viſum cæcis, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, avidis ſoſpitatem. Idem ibidem.

Evaſit divina virtute pericula, corporis obice flammas repulit; immanem ſacrilegæ molem machinæ columna e culmine deſcendente proſtravit. Idem ibidem.

Leproſum mundavit oſculo, curavit oleo paralyticum, dæmones vicit, Angelos vidit, futura prævidit. Idem ibidem.

Quia vere pauper fuit ſpiritu Martinus, pauper, & modicus meruit nominari. Idem.

Domine, inquit ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua. Idem ibidem.

O vere Sanctiſſimam animam! o inæſtimabilem charitatem! o obedientiam ſingularem! bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti, de reliquo ſupereſt tibi corona juſtitiæ, quam reddet tibi hodie juſtus judex; & adhuc dicis, non recuſo laborem. Idem ibidem.

Oculis, ac manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione animum non relaxabat. Sever. Sulpitius.

Aſſidua Deum oratione precabatur, ut ſe ex illo mortali carcere liberaret. Ibidem.

O beata anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit. Eccleſia in ejus officio.

O virum ineffabilem, qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit. Ibidem.

Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. Ibidem.

Chriſtianus patienter vivit, delectabiliter moritur. Sanctus Auguſtinus.

Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire; ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare. S. Cyprianus de mortalitate.

Omnem locum ſublimem, & excelſum velut præcipitium reformidabat. S. Bernardus de S. Malachia.

Omnis Angelicis humeris formidandum Epiſcoparus. Conc. Trid. ſeſſ. 6.

Adhuc ſpeculatores, hoc eſt populorum præpoſiti conſtituti ſunt in Eccleſia, ut non parcant objurgando peccata. S. Auguſtinus lib. 1. cap. 9. de Civit.

Quod ſpectat ad virtutes, munera, vigilantiam, labores, curas Sancti Paſtoris invenientur loci Patrum applicabiles S. Martino in Collectaneis in SS. Nobertum, Nicolaum, Franciſcum Saleſium, & S. Carolum.

PARAGRAPHUS V.

Quid deſumi ex Theologia poteſt hoc in argumento.

S. Martinus per tepulsi Epiſcopatus nobis præbet inſigne chriſtianæ humilitatis exemplum.

MAgnus Sanctus Martinus in toto Chriſtiano orbe celeberrimus eſt ita ut neceſſe non ſit illius imaginem proponere. Ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt, & quæ deinceps dicturi ſumus, ſatis innoteſcere poteſt quinam fuerit. Solum hujus Sancti nomen ſatis eſt ad nobis adſtruendum conceptum Epiſcopi numeris omnibus abſolutiſſimi. Hic unum fuit ex celeberrimis exemplis, ex quibus omnes Eccleſiæ miniſtri debent intelligere nihil magis eſſe terribile, quam officium paſtorale; felices eſſe exiſtimandos illos, quibus elabi poſſunt dies, quin immane hoc deferant pondus; & in Sanctuarium nemini pedem eſſe inferendum, niſi, ut ita dicam, invito; & cum Deus nobis oſtendit legitimæ vocationis non dubias ſignificationes, quibus reſiſtere, crimen eſſet. Qui Eccleſiaſticas ambiunt dignitates, qui citra metum ſublimiores Eccleſiæ gradus ſuſpiciunt; Parentes, qui hos filiis ſuis procurant, Sanctum hominem intueantur, animum ſuum inducere neſcium ad ſubeundum Diaconi officium, & ratum ſe nimium onus ſubire, cum ſe inter Exorciſtas adſcribi permittit. Quis pavor Sancti noſtri, cum Turonenſes illum ſibi in Epiſcopum poſcerent! Ars adhibenda fuit, ut in urbem redire cogeretur. Hanc ille veniam petit, ut ſibi libertas concedatur; ſibique liceat in ſolitudinem reverti innocua finituro quiete, æternas ibi veritates meditaturo, & ſeveriſſimas pœnitentiæ auſteritates exercituro. Omnes illum Epiſcopatu dignum conclamant; ipſe unum ſe indignum prædicat. Hoc ſane appellatur verum Epiſcopatus habere conceptum, illum tanquam ſarcinam gravem conſiderare, quæ hominis vires excedit, & quam niſi cum gratiis non vulgaribus aliquis ſuſtinere poteſt: quas gratias non largitur Deus niſi trepidantibus, fugientibus, nil tam metuentibus, quam ne tali obruantur officio, & iis, qui hoc immane pondus ſubeunt, quia non placerent Deo, ſi vocanti non obtemperarent.

Antequam aliorum regimen ſuſcipias, te ipſum regere ſcias oportet. Hoc nos docet exemplo S. Martini.

Plerique fidelium omnino impares ſunt, qui regant alios, quia ignorant quomodo ſe ipſos regant. Quamplurimi in craſſa verſantur ignorantia, tenebris repleti; quomodonam hi pares eſſe poſſunt, ut alios illuminent? Hæc præcipua eſſe debet hominis Chriſtiani cura, ſe ipſum cognoſcere, ſua officia tenere, & ad unguem ſervare, quidquid ab ipſo poſtulet Deus. Hac in re imitari debet Regium Prophetam, qui licet unctus eſſet Domini, & ab ipſo Deo evocatus ad magni populi gubernaculum, nihil tamen illi erat antiquius, quam Dei voluntatem cognoſcere, & ſequi. Sed inter animarum Paſtores, & Reges terræ hoc intereſt, quod cum illorum miniſterium longe ſit perfectius quam horum, illi ſemper ſanctiores eſſe debent, & perfectiores; quandoquidem reges ipſos docere debent, eiſque lumini eſſe, & exemplo non ſecus atque ſimplici populo.

Frustra ſese ſacris miniſteriis immiſcet, qui a Deo vocatus non eſt.

Qui didicit facere voluntatem Dei, ſcit, quidquid utiliùs ſcire poteſt Chriſtianus. Superat ſcientia Philoſophos eruditiſſimos, & conſultiſſimos Doctores. Eſtote conſummati in ſcientia; ſi Dei voluntatem ignoratis, ſi non exercetis illam, rudes eſtis, & ignari. Percipite, ut cognoſcatis Dei voluntatem; ubi hanc tenetis, ſcitis omnia. Perfectio vera non eſt jejunare, orare, in ſeipſum flagellis ſævire, voſmet periculis objicere. Omnes hujuſmodi actiones ſanctæ non ſunt, niſi factæ fuerint ſecundum Deum, & juxta illius voluntatem. Ita proprie loquendo, perfectio omnis in eo ſita eſt, ut Dei voluntati fideliter obſequamini. Devotio, cujus principium non eſt divinæ voluntati ſe ſubjicere, inordinata devotio eſt, cujus nullum eſt meritum. Qui actiones facit, quæ nullius eſſe meriti videntur, ſed qui facit eas ſecundum Dei voluntatem plus meretur, quam qui inſignia aggreditur facta conſulto potius ingenio, & affectionibus ſuis, quam Altiſſimi voluntate perſpecta. Maximum harum veritatum exemplum præluxit nobis Sanctus Martinus; qui propriam abdicavit voluntatem rebus in omnibus, ac ſemper ſibi Dei propoſuit voluntatem, ac beneplacitum; hoc unicum fuit adhæſionis ejus objectum; hoc perduxit illum ad tantum perfectionis apicem, ut non ſolum omnibus coævis ſuis admirationem attulerit, verum etiam Eccleſiæ totius, & præſertim Præſulum fuerit exemplum.

Pro cura animarum non ſufficit docere Evangelium, in praxim etiam redigendum eſt.

Theologi omnes conſentiunt, & ratio ipſa demonſtrat, duos eſſe modos erudiendorum populorum, eiſque oſtendendi ſalutis viam. Prior eſt illis Evangelii placita tradendi; alter eſt hæc ipſa in praxim redigendi. Nihil penetrabilius eſt verbo, ſi bono fulciatur exemplo, & hic ſane eſt anceps ille gladius, cui vis ineſt invicte eos vincendi, quibus ex officio tenemur vias veritatis, & perfectionis oſtendere. Ille, S. Auguſtinus ait, cujus

vita

vita abhorrens est a veritatibus, quas annuntiat, inutili labore prædicat aliis. Dei verbum per se sanctum est, & hominum impietas illum corrumpere non potest; hinc fit, quod Deus semper absolvit opus suum per eorum etiam ministerium, quorum vita statum suum dedecorant; sed in animabus simplicibus tunc verbum illud operatur. Longe tamen aliter contingit, cum actiones animant verbum: hæc docendi ratio tanti ponderis est, ut ardeam sit ea non moveri. Longe aliter parati sumus, ut vinci simamus ab eo, quem docentem cognoscimus iis agi veritatibus, quas docet. Sancti magni Præsulis nostri vita solida fuit eloquentia, qua usus est ad convertendos tot precatores, ad vocandos tot Ethnicos ad christianam religionem; ideoque nihil hoc validius est ad veritatem in humanis cordibus imprimendam. Hinc ille factus est lux mundi; hinc per doctrinæ suæ puritatem, & sanctitatem morum habitus est tamquam sui sæculi Apostolus.

Status Patris familias similis est Episcopi & doctoris animarum.

Communis est Patrum, atque Doctorum sententia, quemlibet Christianum semet considerare debere in familia sua tamquam illius Pastorem. Tenetur ille cognoscere levissimum esse discrimen inter officia Episcopi, & Patrisfamilias. Debet pastor lucere gregi suo, vitæ illius invigilare, pascere oves, sicubi ceciderint, eas relevare; illas in periculis roborare, ac sustinere, & adversus impugnantes hostes tueri. Paterfamilias easdem impendere tenetur curis illis, quorum a Deo caput constitutus est. Illius labores omnes, atque vigiliæ impendendæ sunt, ut illis suppeditet quidquid necessarium est saluti animarum suarum, & temporalis vitæ necessitatibus; & si negligentibus Pastoribus severe impendent pœnæ; capita familiarum, quæ non vigilant, & præsertim quæ minime curant, ut debitus Deo cultus reddatur, pro certo tenere debent in ipsos etiam magna cum severitate iri animadversum.

Nullo in discrimine habere, quidquid in mundo est, tuba docuit Philosophorum omnium, in Christianis vero consilio est perfectionis.

Profana Philosophia putat se hominem ad sublimem perfectionis gradum extulisse cum rationum vi, & subtilibus argumentationibus suis moderata est in illo vitæ amorem, & metum mortis, quæ duæ sunt cupiditates insitæ omnibus hominibus; & arbitratur se illum adeo in sublimi collocasse, ut cum illi nihil amplius metuendum, aut cupiendum sit, eum tantum affectum fuisse felicitatem, ut majorem sperare minime valeat. Sed Christiana Philosophia, quæ inde sumit initium, ubi altera desinit, & quæ omnes motus suos regit secundum Creatoris sui voluntatem, curat discipulis suis immittere sanctum vitæ hujus, mortisque contemptum, utriusque amorem illis studet auferre ut illos in perfecta subjectione contineat, in qua esse debent erga Domini imperia. Admirabilis hæc affectio in tota magni Antistitis nostri vita illuxit: mortis timor cor illius non pervasit; neque vitam producere detrectavit. Si vita, vel mors sua quidquam conferre possent ad Dei gloriam, vel proximi salutem; vitam, & mortem nullo habet in discrimine. In adeo sanctis animi dispositionibus magis magisque S. Martini virtus emicuit; qui palam ostendit se unum esse ex veris Pastoribus illis, qui non aliud spectant, quam majorem Dei gloriam, & proximi salutem procurare, & qui præsto sunt, ut pro nobili hac causa totum suum cruorem effundant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti loci ex Asceticis, & recentibus Concionatoribus hujus argumenti.

S. Martinus adhuc Catechumenus, cum audisset loqui de electitiana Religione, illi se ejusque amplectitur.

Sanctus Martinus, licet in idololatriæ tenebris natus, cum magnus Christianæ Religionis veritates audivisset, illas amplecti decrevit, ejusque dogmata maxime perfecta adoptavit, abrenuntians opibus, ac spei patriæ domus. Nobilitas, ac munus insigne, quo pater suus perfungebatur, illum morari non potuerunt, quo minus pii consilia sua exequeretur. Decem natus annos nuntium misit omnibus mundi honoribus, & divitiis, ut se baptismo præpararet; in desertum etiam concessurus, ut dignus fieret Jesu Christi miles, nisi ambitio, & auctoritas parentis sui coegissent illum, ut inter Imperatoris milites conscriberetur. Fuit quidem illi dolori magno videre seipsum sub terreni Principis vexillo merente stipendia, cum e contra nihil illi optatius contingere posset, quam sub Regis Cælestis imperio mereri: sed nictus est artem sanctificandi adeo periculosam professionem innocentia, & sancta prudentia, cujus pauca legimus exempla, exercere novit Evangelicam paupertatem, quam secundum perfectissimum illius gradum fuerat professus, artem exercens, in qua plurimi gloriæ sibi vertunt Religionis, & Evangelii ignorantiam. Licet adhuc adolescens secrevit se ab omnibus flagitiis, quæ ab arte eadem separari vix possunt.

Rationem invenit christiane vivendi inter arma.

Verecundus fuit in verbis inter eos, qui obscœna tantum, & impia crepant. Corporis puritatem in contubernalium suorum cœtu servavit, libidines suas ostentantium. Abstinuit omni vi, militibus passim usitatæ, suo contentus stipendio; carere maluit superfluis, quam alienis sumptibus habere ad victum necessaria. Denique miles fuit, qualem exigit Præcursor Filii Dei: dignus, qui aliquando fieret unus ex capitibus militiæ Jesu Christi. *Ex Specimine Panegyricorum, & ex Godeau.*

Hic occasionem fecit hujus militiæ cum paupere.

Nemo unus ignorat præclaram actionem junioris militis hujus, qui bifarium pallium dissecuit suum, ut pauperis nuditatem contegeret. Hac in re non cogitavit, quid de illo sui contubernales essent dicturi, & interiorem dumtaxat sequi voluit pietatem, quam sibi Spiritus Sanctus suadebat erga membrum Jesu Christi. Factum hoc adeo acceptum fuit Salvatori, ut sequenti nocte ille ipse apparuerit ei dimidiato indutus pallio, & Angelis, Sanctisque ipsum concomitantibus dixerit: *Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste contexit.* Hoc erat referre centuplum eleemosynæ, quam erogaverat; hoc erat in ipso Iudii carcere ex ore judicis ipsius coronari. Hoc erat pro clamydis dimidio in antecessum uberes referre arrhas gloriæ, & immortalitatis. Hic favor quin illi vanitatis auram afflaret, eum potius confudit, videns adeo magnificis remunerationibus pensari levissimas quascunque opellas, quæ res impulit illum, ut terrenam abdicaret servitutem, unice Deo famulaturus. Igitur sacro ablui voluit baptismate, mortuus mundo, carni, & sibimet, credidit christianam militiam cum illa Imperatoris recte conciliari non posse. *Godeau.*

Actio pleni sensus quam fecit jam Episcopus.

Generosa actio, quam operatus est S. Martinus adhuc catechumenus non fuit hujus ordinis unica; plures illi similes edidit, quarum aliquæ ad posteritatis memoriam pervenerunt. Cum enim quondam illi ad Episcopatus apicem jam evecto pauper sese obtulisset, ad sancta mysteria celebranda proficiscenti; & conquestus esset, quod illius eleemosynarii imperatum sibi erogare detrectassent: eadem charitas, quæ olim effecerat, ut pallium suum daret, adegit illum, ut tunicam suam demissam sub casula, qua indutus erat, pauperi largiretur. Quibus oculis cogitamus nos Patrem misericordiæ post talem actionem respexisse sacrificium, quod Episcopus obtulit? Quanta voluptate acceperit Corpus, & Sanguinem Filii sui oblatum iis manibus, quæ recens tam jucundam obtulerant eleemosynam. Nonne hoc palam significabat igneus ille globus, qui super caput ejus dilapsus est frontem illius tamquam radiorum flammarumque corona circumcingens? Profecto dici potest Dei misericordiam, cujus ignis Symbolum est, descendisse, ut S. Præsulis misericordiam remuneraretur, eique pro corona deferviret: vel ut populo testaretur per hoc elementum, Deo acceptum fuisse hujus Sacerdotis sacrificium, quemadmodum olim de cælo ignem eliciebat, ut sacrificia sibi accepta esse significaret. *Bivort.*

Post primam Salvatoris apparitionem decrevit S. Martinus sacro adhuc baptismate & sæculi militiam abdicare.

Sed ut redeamus ad Sanctum nostrum in Equitis statu, gratia, quam illi concessit Deus, eidem videlicet apparendi postquam pauperem dimidiato induit pallio, atque testandi se a Martino ea veste contectum fuisse, tantum abfuit ut militi nostro aliquam vanitatis speciem afflaret, ut immo illum suffuderit verecundia, cogitantem qua liberalitate Deus adeo tenuem opellam a se illi præstitam remuneraretur. Quapropter sæcularem militiam abdicare decrevit, ut adeo magnifico in suos Domino deserviret, minime ratus tanti Regis famulatum cum terrenorum Principum servitute conciliari posse. Recepit itaque Baptismum, & arbitratus non licere simul duobus servire dominis, commeatum ab Imperatore Juliano, qui exercitui præerat, petit; sed cum hoc esset prælii pervigilium, Princeps hujus, qui intra se Christianam ejuraverat fidem, & qui illum tamquam ignavum increpabat, Eques noster audacter respondit: Pone me, Domine, in ipsa prima acie inermem, & sine clypeo, & videbis utrum hostes, & mortem reformidem. Obstupuit Imperator tantam fortitudinem admiratus, ejusque periculum facturus jussit asservari; sed cum nocte eadem Barbari pacem petitum venerint, nobis judicandum relinquunt, S. Martinum re ipsa inermem solis, ferventibusque precibus barbaros superasse, qui alioquin in Gallias irruptionem facere meditabantur, easque igni ferroque vastare. *Godeau.*

S. Martinus sæculatem militiam abdicat, & fit S. Hilarii discipulus ut spiritualem militiæ addiscat.

Statim ac Sanctus Eques sæculari militiæ nuntium misit, convenit S. Hilarium Pictaviensem Episcopum ab eo spiritualis militiæ leges edocendus. Magnus hic Præsul illi fuit christianæ pietatis magister, in qua cum Martinus brevi sub tanto Doctore profecisset, dignus habitus fuit, qui ad sacrum Diaconatus ordinem promoveretur. Sed Martinus, qui longe aliter de se ipso sentiebat, tantum honorem deprecatus est, ejusque cedendum fuit humilitati, ita ut inter Exorcistas subsisteret. Verum quidem est gradum hunc nihil humilem fuisse viro virtutis adeo eximiæ, sed in illo voluit immorari, quoniam elegerat *abjectus esse in Domo Dei.* Illi etiam persuasum erat nullum in Ecclesia gradum esse, qui modicus habendus esset, & profecto statim hic illum decebat, quia per hunc ordinem postquam ejecti fuerunt dæmones de corde suo, potestatem habebat illos de alieno ejiciendi. Mox ædificavit Monasterium prope Pictavium, ubi cum Religiosis aliquot sanctissime vixit; sed cum S. Hilarius a Gallis exulare coactus fuerit, Arianis adnitentibus, Sanctus noster illum subsecutus est, & Mediolani constitit, ubi se abdiit in Monasterio, quod ipse construxerat, sed illum diu ibi quietam vitam ducere non passi sunt Hæretici, eamque tot affecerunt contumeliis, ut in desertam insulam se se recipere coegerint, ubi diu

Psalm. 83.

Digitized by Google

ubi diu sylvestribus herbis, & fructibus, quos terra ferebat, vitam produxit. *Gudeau.*

te patria n fuscepit ut ficia cœlestis pureos e- veritat.

Sanctus ille post exactam in hoc deserto perfectissime vitam cælesti afflatus numine decrevit in patriam reverti, ut consanguineos suos de idololatriæ tenebris eriperet: Hac in re S. Hilarium consuluit, qui libenter auctor illi fuit operis homine Christiano dignissimi. In molesto hoc itinere Sanctus noster in latronum incidit manus, qui antequam illi spolia detraherent, mortem inferre voluerunt; & unus quidem gladium extulerat cum percussurus, sed a socio detentus fuit. Illum itaque vinxerunt, vinctumque alii tradiderunt, qui illum procul abduceret a via protinus expoliandum. Cum latro ab eo quæsivisset, quisnam esset, respondit ille, se esse Christianum; & rursus quærenti, num trepidaret; reddidit se nunquam fuisse tutiorem; sed se misereri sortem illius, quod vitam duceret adeo miseram, & criminosam; quibus verbis latro acriter permotus Sancti precibus etiam atque etiam se se commendavit, qui tandem in patriam reversus convertit matrem suam, eamque baptizavit; sed patre flecti nolente, & in animi obduratione persistente, Deus illum consolaturus permisit, ut exemplo, & prædicationibus suis quamplures Ethnicos converteret. *Duneau.*

S. Martinus licet ordine, ac tempore inferior Apostolis, vix Apostolici nomen meritus est.

A primis usque Ecclesiæ temporibus Christianismus in Galliis receptus fuit; constitutus, ac nutritus sanguine plurimorum Martyrum, prædicatione celeberrimorum Episcoporum, & doctrina insignium Confessorum; & sub Christianis Imperatoribus plurimum creverat. Nihilominus septem illustres Episcopi testantur, Gregorius Turonensis ait, paucissimos ibi veritatem agnovisse, ubi conferantur cum multitudine Idololatrarum, qui adhuc supererant, donec Deus, qui non pauciores ea in regione habere cupiebat servos, quam sibi in reliquis mundi plagis Apostolorum prædicatione comparaverat, peculiari effectu misericordiæ suæ elegit S. Martinum, & eduxit illum de natali solo missurus eum ad Evangelicam lucem Galliis inferendam, & licet posterior esset Apostolis, S. Gregorius inquit, nihilominus Apostolicam possedit gratiam, & licet illis esset ordine inferior, tamen gloria, qua Deus illum remuneratus est, meritisque suis huic defectui, & ordini minus sublimi supplevit. Hoc elogium est, quo sanctissimi, iidemque doctissimi ejus sæculi Præsules Sanctum nostrum condecorant, Auctor idem subjicit. Valentinianus Imperator satis liberum Ethnicis permittebat Religionis suæ exercitium; eorum simulacra, aræ, templa subsistebant adhuc, patiebatur ut illorum idola palam per agros circumferrentur. S. Martinus tanquam novus Apostolus, dæmonis regnum subvertit, replevitque non Christianis solum, verum etiam piis Religiosis regiones, in quibus Jesu Christi nomen non amplius cognoscebatur. Novum hoc sydus, Gregorius Turonensis ait, in Galliis collucere incipiens, quocunque tulit lumen Evangelii, divinumque verbum cum magno miraculorum numero conjunctum effecit, ut Jesus Christus pro Dei Filio haberetur, ac Gentilium incredulitate superata, cœptum fuit Ecclesias vero Deo ædificari. *Recens Auctor.*

S. Martinus tres mortuos suscitavit, & multa edidit miracula & conversiones procuravit.

Quænam est Sancti nostri potestas? Mortuos excitat, & hoc prodigio evadit arbiter vitæ. Deorum evertit delubra, eaque exturbari jubet ab illis, qui ad illorum eversionem prohibendam accesserant. Omnipotens est in animos hominum; momento illos immutat? Prædicat, & prædicationis ejusdem effectus est omnium auditorum conversio. Mihi videor illum videre secus Carnutensem viam in pago, cujus omnes incolæ cultores erant idolorum, coram adstantibus omnibus mortuum ad vitam revocare. Illis in agro manus imponit, & Cathecumenos facit. Cum Magnus hic Præsul immensas regiones lustraretur, ubi efficiebat, ut verbum Dei personaret cum maximo fructu, illum sequi minime possem; tot tantaque operatur prodigia, ut & unum hoc possim dicere, quod si delubrum inanibus diis dicatum evertit, statim ibidem alterum vero Deo templum ædificat; si profanam aram evertit, statim sacram aram ponit; si idoli simulacrum detutbat, statim eodem in loco Crucem Salvatoris extollit. Arduum esset referre quot in locis veri Dei cultum instituerit; quot frequentaverit Sanctis Religiosis monasteria, qui dies noctesque Creatoris laudes recinebant, & qui offerebant Domino sacrificia iisdem in locis, ubi tot oblata fuerant dæmoniis, quæ antea colebantur. Omnibus in locis ubi thus profanum Deum ad iracundiam provocabat, Sanctus hic Antistes purum adolebat thymiama, quod accipiebat Deus in odorem suavitatis. Nullum inveniret finem oratio mea, si referre vellem ægros, quibus bonam largitus est valetudinem; nemo enim occurrebat quacunque laboraret infirmitate, qui perfectam curationem non obtineret; eo usque ut satis esset fimbriam vestium ejusdem attingere, ut curaretur, & nomen ejus invocare, ut dæmones de obsessorum corporibus extruderentur. *Auctor Recens.*

S. Martinus ab omni cupiditate vacuus. Dei donis utitur, ut alios juvet, non ut inde sibi opem ferat.

Si Dei magnificentia Magno huic Sancto Viro prodigiorum, & miraculorum donum concessit, ille non usus est hoc, nisi ut sanctum nomen Jesu magnificaret, nunquam vero ut inde peculiarem aliquam utilitatem consectaretur, sed ut alios juvaret, ut hac arte illos ad agnitionem, atque cultum Dei veri perduceret. Usus est hac facultate, quam illi Deus in naturam universam contulerat, ut charitatem cum aliis exerceret, & eleemosynas erogaret. Magnum hunc Virum homines persecuti sunt, eumque crudeliter exceperunt; ad satietatem plagis affecerunt illum, eumque pro mortuo in platea reliquerunt. Poterat tunc operari miracula ille, qui elementis imperabat; sed hac uti noluit potestate in sui ipsius gratiam. Omnem habebat in dæmones potestatem, atque in profano templo hanc potestatem exercuit ut pauperibus ferret opem, ut Christianos consolaretur, ac idolorum cultores converteret. Sed ubi dæmon illum adortus, & persecutus est, patienter sustinuit, & hac potestate frui gestit cum omnibus mœrentibus cujuscunque tandem nationis, status, aut conditionis essent. Deus quoque ardenti illius charitati præbebat occasionem exercendi suam largitatem, & nullus ex omnibus provinciis, quas peragravit, locus erat, ubi pauper, vel miser aliquis detineretur, qui ad illum accesserit, quin ab illo piæ magnificentiæ insignia monumenta retulerit. *Sermo Manuscriptus.*

sui nonnunquam oblitus.

S. Martinus integrè servat puritatem suam inter tentationes, & periculosissimas societates.

S. Martinus in statu maxime periculoso tuetur miram hanc vitæ innocentiam, quam non nisi in recessu, & orationis, meditationis, austeritatum, & bonorum exemplorum ope meremur. Communis virtutis opus est sanctos esse cum iis, qui actionum suarum sanctitate nos sanctos efficiunt; sed consummatæ sapientiæ argumentum est virtutem incolumem tueri in periculosissimis tentationibus, quod Sanctus Noster præstitit. Ille in exercitu miles est, & vita illius vitæ Eremitæ alicujus similis est. Non recedit unquam a justitia Dei, quanquam pravum exemplum videatur illum licet invitum pertracturum esse. Etenim quid est militia illa, cui nomen dederat S. Martinus? corpus variis animarum cupiditatibus, cæcæ propriæ libidini indulgens; manus venalium animarum, quæ non nisi habendi cupiditate feruntur, quæ præsto sunt, ut omnia lucri causa facienda suscipiant: colluvies improborum hominum, quos prædæ amor simul congessisse videtur: corpus, cui sæpe præest homo sine fide, ac Religione, qui toties in horam mutatur, quoties utilitas, vel libido sua flagitare videtur. Attamen in statu adeo periculoso Eques noster, quin pietatis faciat detrimentum, quotidie magis in gratia crescit coram Deo, & coram hominibus. *Auctor Recens.*

Descriptio partis cujusdam e vita S. Martini.

Afferamus paulisper in lucem partem virtutum Equitis nostri; hæc fortasse magis oculos nostros perstringent, vel potius sibi venerationem nostram conciliabunt, cum uno veluti intuitu videbimus vitæ ipsius sanctitatem, mirabiles curationes, persecutiones, quas passus est, divinitatem Jesu Christi, quam propugnavit. Lætatus est S. Hilarius quod illum Ecclesiæ peperisset; lubentissime contulisset illi Diaconatum, nisi invicta fuisset S. Martini resistentia: Acquisitione hac illectus S. Hilarius coegit Discipulum, ne ab ipso recederet. Et sane quod inde non percepit auxilium pro Ecclesia tuenda? & quanta fuit Sancti nostri pars in victoriis, quas magnus ille doctor de Arianis reportavit? Nonne palam passus est se flagris cædi, ut Salvatoris divinitatem tueretur, cum solus tunc repertus esset, qui contra Arianorum præsulum perfidiam fidem assereret? Nonne ille sibi generosi Confessoris nomen promerit, ipsi a S. Paulino delatum; & alter Sanctus Pater illum martyris titulo condecorandum censuit. Auxenius Martinum Mediolano ejicit; ipse vero, qui ardentissime solitudinem amabat, beatum se putat, quippe qui per hanc contumeliam ad solitudinem sibi aperit viam. Concedit ergo in Monasterium prope Pictavium, quod ipse ædificaverat. Ibi mortuum in vitam revocavit, ibique tot miracula operatus est, quæ referre magni laboris esset, nisi ejus humilitas maximam nobis eorum partem surripuisset. *Idem.*

Sozomen. l. 6. cap. 14.

S. Martinus Providentia consilio ad Episcopatum vectus est, licet nonnulli adversarentur Episcopi.

Assidua prodigia, quæ per servum suum Martinum operabatur Deus in cœnobio quod ipse ædificaverat, tantam illi nominis celebritatem pepererunt, ut cum sedes Turonensis Archiepiscopi vacaret, omnes illius civitatis incolæ una voce illum sibi in Episcopum popposcerint. Verum cum omnibus de profunda illius humilitate persuasum esset, & omnes spem abjicerent futurum ut ille adeo eminentem dignitatem vellet accipere; conati sunt id consequi per calliditatem. Quidam igitur oppidi civis illum convenit, qui summo se dolore confectum simulans ob suavissimæ conjugis ægritudinem, illum obtestatus est, ut dignaretur uxori suæ manus imponere, quod Sanctus vir facere consueverat, cum ægrotantes inviseret. Interim cives posuerunt illi insidias secus viam, cumque illum corripuissent nolentem, volentem sibi in Episcopum delegerunt. Verum cum in more positum esset, ut provinciæ Præsules simul convenirent, & communi cum populo consensu ad insulas eveherent eum, quem dignorem existimarent; quidam e cœtu adversati sunt, asserentes hominem hunc non satis esse decorum aspectu, & cui præter contemptibilem indumentorum formam, nulla ei gravitas oris esset, aut species. Sed tantum abfuit ut inanes hujusmodi rationes populum deterrerent ab incepto, ut repente tantus exortus fuerit virorum, mulierum, & puerorum clamor in Sancti favorem; cumque lector propter multitudinem transire non

posset,

Digitized by Google

posset, unus adstantium librum accepit, eoque aperto elata voce legit versiculum hunc, in quem oculi inciderunt: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem: ut deſtruas inimicum, & ultorem*: cumque Deus facto hoc ostendisset electionem hanc Providentiæ suæ opus fuisse; Sanctus ille vir dignitate Episcopali confirmatus est ab assistentibus perinde ac in Altissimis electus. *P. Duneau.*

Sese Episcopali dignitati subjecit, a qua vera ejus abhorrebit scies hanc esse Dei voluntatem.

Quemadmodum religiosi vita procul abest a tumultu, & mundi impedimentis, ubi profitentes illam vivunt in quiete vitæ contemplationibus abditæ, & in rerum cælestium meditatione; mirum non est, si Sancti, quos Providentia de recessu ad Ecclesiæ regimen, vel insigne aliquod ministerium traduxit ingratiis hujusmodi negotiis implicari passi sunt, eaque tantum subierunt, ut Dei evocantis voluntati obsequerentur. S. Martinus, qui omnem sæculi spem abjecerat, sanctam ducebat vitam in solitudine cum delecta manu discipulorum omnibus virtutibus præditorum, tunc cum ad Episcopale Turonis solium evectus fuit. Erat quodammodo immersus in contemplationis deliciis, intentus dumtaxat magnalibus, & perfectionibus Dei; ita ut amarum illi fuerit sacrificium deserere vitam adeo suavem, & tranquillam, ut in vitam activam ac laboribus refertissimam transferretur. Attamen Sanctus pro magni populi sui salute generose semetipsum sacrificat; libenter se privat interioribus hisce lætitiæ sensibus pro publica utilitate. Charitas sua legem irrogat illi pro fratrum suorum salute operandi, cum de sui unius sanctificatione cogitare voluisset. Versabatur proculdubio præ oculis ejus illa magni Augustini sententia, *Negotium Sanctum suſcipit neceſſitas charitatis*, & sicuti satis diu laboribus exercitus fuerat ob adipiscendas virtutes huic muneri necessarias, tandem animum induxit, ut illud acciperet, sciens hanc Dei voluntatem esse, ut omne tempus, curamque transferret ad antiquos Dei servos in salutis viis confirmandos, & novos ministerio verbi, & vitæ exemplo acquirendos. *Ex Panegyricarum Orationum Specimine.*

S. Martinus se totú ministerio suo rite obeundo sacrificat.

Quemadmodum Sanctus Noster ad Episcopale solium fuerat evectus prorsus peculiari Dei vocatione, vocationis sanctitati vitæ sanctitate respondit. Exemplum fuit virtutum omnium, quæ desiderantur in Præsule, quibus addidit illas, quæ monasticam decent professionem. Prope Turonem ingens ædificavit Monasterium, quo secedebat, ubi muneris sui negotia hoc illi integrum esse permitterent. Hic Elias erat zelo succensus contra cultum idolorum. Tot evertebat idola, quot inveniebat, & in Diœcesi sua, & in provinciis finitimis, cum prædicationibus suis, cum miraculis. Ingenti opus esset volumine, si quis omnia describere vellet prodigia, quæ pro Evangelii incremento operatus est. Cæcos illuminavit, mutorum linguam dissolvit, lepros mundavit; suscitavit mortuos, liberavit obsessos, precibus evertit delubra. Solus sustinuit lapsum arborum dæmoni dicatarum, quin opprimeretur; tamen discipulis suis confessus est, se post Episcopatum susceptum pauciora operatum fuisse miracula, quam ante. Sed actiones ministerii sui, quo tanta cum sapientia, ac pietate perfungebatur, totidem erant miracula, neque videbatur fieri posse, ut unus homo tot mirabilia posset operari. Itaque gratia Dei erat cum illo, vel potius per illum operabatur in corda; & nulla ferme erant adeo dura, quæ Sanctus noster non molliret verbis, vel non moveret exemplis. *Gedeau.*

S. Martinus non pepercit curis, ac laboribus, ut digne suam repleret vocationem.

Simul ac Sanctus noster communi totius populi voce, vel potius voce Dei ipsius attentis populi hujus pietate vocatum se novit ad tantam hanc dignitatem; credidit Deum sibi omnes Diœcesis suæ necessitates comittere, sibique consulendum esse omnium saluti, & ex se Deum aliquando rationem expetiturum esse, si minime ad gregem suum sanctificandum adlaboraret. Illi persuasum erat; Episcopum totum oculos esse debere, ut universas videat gregis sui necessitates, totum manus, ut illis ferat opem, totum vocem, ut illos edoceat, & totum cor, ut spiritualium, ac temporalium calamitatum ejus misereatur. Sciebat se a Deo vocatum fuisse ab Ethnicorum caligine ad fidem, de bello ad Ecclesiam, ut cum tanta ille usus esset misericordia in illum, ille tanta cum fratribus suis uteretur. Sanctæ id genus cogitationes ita penetrarunt animum, mentemque Sancti nostri, ut nullum necessitatis genus extiterit, cui opem non tulerit. Non pepercit curis, atque laboribus, ut idololatras converteret, ut confirmaret infirmos, & Deo recentes subditos compararet. Quocumque se contulit, ut peccatum everteret, & regnum dæmonum diruret; ejusque nomen solum tanta pollebat vi, ut illud proferre sufficeret ad dæmones ejiciendos. *Bivar.*

Innumera S. Martini miracula, virtutes, & beneficia.

Plurimi supererant adhuc in Sancti nostri Diœcesi cultores Idolorum, quos potissimum conquisivit, ut ad fidem pertraheret. Id autem & vi verbi, & miraculorum potestate assecutus est. Hic inanium deorum evertit delubra, illic arborem diruit, quæ aræ loco erat posita; scit ibi peccatores improbos delitescere, nihil prætermittit, ut illos convertat, & ad hanc rem non lacrymis parcit, non precibus, non jejuniis. Nimia licentiæ erat in Clero, hunc qua exhortationibus, qua exemplis reformat; in adolescentia grassabatur libido; plurimos in cœnobia perducit. Quot infideles in Evangelii lucem pertraxit? Quot convertit peccatores, qui alioquin in iniquitatibus suis periissent, nisi eorum curam suscepisset? Quot condidit monasteria, quo virgines, aut viduæ de sæculi impedimentis confugerent, & peccatores etiam, ut ibi pœnitentiam possent amplecti? Denique molestia vos afficerem, si omnia singillatim persequi vellem admirabilia Sancti hujus opera; & malo fateri imbecillitatem meam. Illud autem verissime dicere possum, hoc est, nullum fuisse vitæ illius momentum, quod non aliquo erga proximum suum miraculo insigniverit.

S. Martinus generose obit ministerium sui coram Maximo Tyranno.

Quam rarum est veros veritatis amatores invenire! Quam vulgare est videre thus idolis adoleri ab illis, qui eorum horrorem cieire in nobis deberent! Quot mortales dedecorant characterem, & dignitatem suam, ut Principum virorum gratiam assequantur! Maximus contra Gratianum in Anglia rebellat. Tyrannus hic sedem suam Augustæ Trevirorum constituit; confluunt statim undique Episcopi ab illo impetraturi nocentibus veniam, captivis libertatem, oppressis solatium, exulibus reditum; sed nimiis sollicitationibus Præsules isti a sancta eorum firmitate degeneres se se abjicere incipiunt ad officia ambitiosis auliciis digniora, quam veteri Episcoporum gravitati congrua. Mundus universus has sordes improbat, & Martinus solus Apostolici Ministerii dignitatem tuetur. Tyrannum adit gratiam aliquibus impetraturus, ut captivos in libertatem vindicaret, & exules revocaret in patriam; sed hæc tam graviter persequebatur, ut imperari potius, quam deprecari videretur. Hæc ejus majestas illi conciliavit eorum gratiam, quos negligere videbatur: Maximus enim sæpius ex eo petiit, ut secum ad mensam discumberet. Humilitas sua in causa erat, propter quam a sæculi Principibus hæc honoris monumenta excipere detrectaret; sed propter rationem hanc libere dicebit, se non posse eo usque dimittere ut accumberet mensæ illius, qui manus suas Principis sui cruore fœdaverat. *Ex Sulpicio Severo.*

Accumbit mensæ Tyranni, ubi calicé porrigit Sacerdoti suo potiusquam Cæsari.

Sub humili corporis habitu, ac specie inveniri potest ne nobilior animi magnitudo, quam illa Sancti Nostri, qui palam profitetur se Maximi mensæ accumbere non posse ne particeps fiat sceleris ejus? In hoc verus Sancti Ambrosii imitator, qui cum accessisset ad Tyrannum generose illi crimen objecit. Sed quid non obtinet importunitas, cum speciosis rationibus nititur? Maximus Sancto Martino persuadet, se non aliud fecisse, quam militum precibus cedere, a quibus invitus salutatus fuerat Imperator, & miscens argumentis supplicationes tandem Sancto nostro persuadet, ut apud ipsum epuletur. Sed ille ne mensæ Principis assidens Sacerdotii dignitatem abjecit? Non proculdubio: cum enim Pincerna calicem Imperatori ministrasset, & Imperator observantiæ causa illum ad Sanctum Episcopum remisisset ea mente, ut ab eodem reciperet summis ejusdem labiis sanctificatum, & benedictionis hujus particeps fieret; Sanctus quin illum Maximo expectanti redderet, obtulit Sacerdoti, qui secum aderat, judicans neminem in eo cœtu hoc honore digniorem. Quod in causa fuit, ut idem Imperator, & Principes generosam hanc libertatem admirati, majori obsequio, & reverentia Sanctum Præsulem fuerint persecuti. *Idem.*

Assentationes a Sancto Episcopo improbantur.

Quid nos docet hæc generosa libertas, qua ad Maximi Imperatoris mensam usus est Maximus? Sacerdotii dignitatem cuilibet humanæ celsitudini præferendam esse; licet Sancti Præsules se se coram hominibus demittere consueverint ad imitandam Salvatoris humilitatem, & animarum salutem procurandam; tamen illos novisse tempora, ac momenta, quibus humiliare se debent, & quibus honorem Sacerdotii debent sustinere. Nunquam approbarunt turpes assentationes, quibus Sæculi Principibus blandiuntur, sine alia causa, quam metu potestatis eorum, vel desiderio temporalia sibi bona comparandi. Non modicum igitur est admirationis argumentum, quod Sanctus Martinus ad Cæsaris mensam id facere est ausus, quod ad mensam simplicis Ministri alii non auderent Episcopi. Neque ideo dixeris illum nequaquam præditum fuisse profundissima humilitate; sed illi persuasum erat, coram Principibus, qui passim nullo habent in discrimine subditos suos, Dei ministris tuendam esse ministerii sui dignitatem; & profecto ratio illa, qua ad Imperatoris mensam factum istud acceptum fuit, satis ostendit Sanctum Antistitem nostrum nequaquam in spiritu vanitatis fuisse operatum, sed pro tuenda illius Domini, ad quem pertinebat, dignitate. *Sermo Manuscriptus.*

Sanctus pluvia tradit Maximo monita & Imperatrici ut secú interim permittit convivio.

Quid virtus non potest in ipsa ingenia ferocia, ubi comes eidem accedat robur, atque constantia? Maximus S. Martino omnia præstat humanitatis officia; illum alloquitur cum reverentia, & cum illo sermonem instituit eorum, quæ nobis in altera vita metuenda sunt, vel timenda, & de modo malum quidem evitandi, bonum vero faciendi. Sanctus noster Antistes ut remuneraretur has cordis exhalationes declaravit illi se a Spiritu Sancto excepisse, si Maximus in Italiam traduceret, futurum, ut interiret post exiguam aliquam victoriam de Junore Valentiniano relatam. Imperatrix vero multo majori veneratione Sanctum excipiebat Episcopum: noctes, diesque ab illius ore pendebat, & S. Martinus, qui nunquam permiserat, ut ab ulla femina tangeretur, prohibere non po-

Digitized by Google

non poterat, quo minus pia illa mulier semper sibi assideret ea cum assiduitate, quæ servitus videri poterat, & oblita suæ dignitatis, & gloriæ generis sui semper ad Sancti Præsulis pedes obversabatur. Ad hæc illi convivium præparare voluit, ac tandem piæ hujus Principis fides, Imperatoris viri ejus petitio, temporis necessitas, spes obtinendi gratias pro afflictis, pro quibus venerat petitum, fecerunt, ut Imperatrici eam gratiam pro qua laborabat, concederet. *Sermo Manuscriptus.*

Adit Valentinianæ Imperatricem, & quid in aula contigerit.

Non ita pridem S. Martinus Episcopatum obtinuerat, cum sese debuit conferre ad Valentiniani Imperatoris aulam, qui tunc aderat in Gallis. Cum Princeps hic certior factus fuisset Sanctum Præsulem accedere petitum ea, quæ eidem concedere detrectabat, vetuit, ne illi in aulam pedem inferre liceret. Nam præterquamquod Cæsar suapte natura violentus erat, & acer; uxor illius Justina, quæ Arianæ erat, & alioquin Ecclesiasticos oderat, illum amovere conabatur, ne Sancto Episcopo adhiberet honorem. Martinus autem cum Imperatorem adire non posset, postquam bis frustra expertus est, ad sibi consuetam artem confugit. Induit se cilicio, sese cinere aspersit, abstinuit potu & esca, ac dies noctesque in oratione traduxit. Die septima ab Angelo admonitus recta ad aulam se contulit, medius per excubias incessit, quin aliquis eum summovere ausus fuerit, & Imperatoris conclave ingressus est. Cæsar hoc eminus prospiciens in illos succensuit, qui eum ingredi permiserant, & surgere dedignatus est. Sed ignis, qui sedem ejus corripuit, coegit eum ut celerius id faceret quam urbanitas postulasset. Credidit se divina vi impelli, Sanctum Episcopum amplexatus est, votis ejus subscripsit, antequam ille postulata exhiberet. Illum sæpe convivam adhibuit, & cum discessit, ingentia illi obtulit munera, quæ Sanctus renuit, ut suam servaret paupertatem.

S. Martini miracula fere sunt infinita.

S. Martinus proculdubio haberi poterat tanquam sæculi sui Thaumaturgus: nam præter mortuos tres, quos suscitavit, & quorum non sine honore meminit Ecclesia in Officio suo, Jesu Christi nomine omnia personabant propter admirabilem prodigiorum multitudinem, quæ Sanctus, quacunque transiret, operabatur. Cum aliquando domus igni conflagraret, & jam flammis videretur absumenda, Sanctus repente ignem extinxit sese inter flammas conjiciens. Iterum visi sunt Angeli altera quidem manu tenentes hastam, altera vero clypeum semet illi offerre tanquam a Deo missos, ut illi in delubri cujusdam eversione ferrent opem, atque ut illud ab Idololatrarum insultibus, ac vi, quam id prohibituri faciebant, tuerentur. Hic Idololatra brachium attollens armatum acinace, ad Sancti viri caput obtruncandum, cecidit, & formidine correptus ab eo veniam popposcit. Alteri culter e manu dilapsus est S. hominem perfodere cupienti. Parisiis leprosum osculo mundavit; Augustæ Trevirorum puellam paralysi laborantem, & jamjam aflantem animam curavit; cum oleo benedicto; de captivi cujusdam corpore ejecit dæmonium. Infiniti laboris esset hic omnia recensere miracula, quæ Deus per Sancti hujus ministerium operatus est, & hoc potius Historici munus est, quam concionatoris. Certum alioquin est, tot supernaturales gratias in manibus ejus fuisse eo modo quo alia bona sunt passim in mortalium omnium manibus. *Auctor recens.*

Zelus S. Martini pro conversione peccatorum.

Magnus hic Sanctus semper repletus est zelo prorsus ardenti pro conversione peccatorum, Ethnicorum, & Hæreticorum, & satis admirari non possumus quonam ardore se gereret, cum Eques tantum esset, & sæculari implicitus militiæ, ubi, cum non posset adhuc piis sermonibus, & eloquentia, quam sibi comparasse non poterat, convertere contubernales suos, eosque inducere, ut saltem naturæ leges sequerentur; conabatur bonis exemplis virtutis vias illis ostendere, & facilitatem, cum qua illas sequi possunt etiam in conditionibus, quæ ab illa magis abhorrere videntur. Quis dicere poterit quonam affectu ad parentum suorum conversionem procurandam sese contulerit, cum illi hactenus essent cultores idolorum? Quibus curis, qua patientia eos suaviter ad veri Dei cognitionem pertrahere adnisus est? qua vi probavit illis vanitatem cultus, quem adhibebant idolis manu hominum elaboratis? Sed cum ille ad Christianam Religionem fuit evocatus, cum divina Providentia illum ad Episcopalem evexit dignitatem: quis referre posset curas, vigilias, labores suos? Quot labores illi exhauriendi fuerunt, contradictiones perferendæ, voti reo, si per tot pœnas, sudoresque posset obtinere animæ unius conversionem, pro qua paratus erat, ut sicut Pastor bonus traderet suam. *Bivort.*

Ejus in pauperes misericordia.

Sanctus noster tanta miseratione pauperes, & mœrentes prosequebatur, ut cum esset adhuc Cathecumenus aliqua illius dederit exempla adeo præclara, ut illis similia in perfectissimis Christianis invenire, difficile sit. Omnes admirantur illius factum erga quemdam pauperem nudum, & modum, quo illi subvenit. Sane ea in re nequaquam præbuit aures naturæ, quæ per se in plerisque mortalibus est avara; secutus est motus gratiæ, per quos intelligebat pauperes esse fratres nostros, qui sunt membra Salvatoris. Videbatur Sancto huic militi, etiam antequam totus esset Christianus, persuasum fuisse, pauperes esse Salvatoris vicarios, illius locum in terris obtinere, & nos tanquam debitores illis reddere debere, quidquid debemus Deo. Itaque Sanctus noster neminem a se discedere passus est manibus vacuis; semper adnisus est omnibus proximi necessitatibus subvenire, cujuscunque tandem generis essent; illi quippe erat persuasum, si minus ipse necessitatibus eorum consuleret, Deum aliquando ab eo rationem expetiturum, tanquam a malo debitore creditoris sui patientia abutente. *Sermo manuscriptus.*

Idem argumenti aliter enunciatum.

Licet nobis recreandæ non sint pauperum miseriæ propter naturalem miserationis sensum; hoc non prohibet, quominus charitas non adigat illorum pœnis, & infirmitatibus affici. Quemadmodum enim tanta affinitas est inter humani corporis membra, ut eorum aliquo laborante, reliqua omnia in doloris partem accedant; ita Christiana charitas sic conjungere debet membra mystici corporis Filii Dei, ut eorum singula aliorum infirmitatibus debeant condolere. Væ igitur Christianis sensu carentibus, qui pauperum miserias intuentur, quin dolore afficiantur & interim vivunt in bonorum omnium affluentia, & copia omnium vitæ cupiditatum. Nequicquam in exteriori pietatis praxi conquiescunt. Charitas J. C. sine qua cætera nil aliud sunt, quam illusio, in eorum animabus non regnat, eo quod fratrum suorum necessitatibus non afficiuntur. Sensus eorum Apostoli sensibus adversantur. Sunt profecto, qui pauperibus ferunt opem, qui mœrentes consolantur igneis quidem verbis, sed ferreo corde patientiam suadentes. S. Martinus absolutissimum fuit compatientis hujus charitatis erga proximi miserias exemplum; & hac ratione sanctificavit statum illum, in quo qui impliciti sunt nunquam putant se illum cum honore exercere posse, nisi habeant viscera ferrea, & manus sanguine, & rapinis oppletas. *Specimen Panegyricorum.*

Triumphat de dæmonis.

Cum dæmon infensissimus sit humani generis inimicus, facilis patet conjectura, si ipsum Jesum Christum tentare ausus est, nunquam defuisse quo minus servis quoque illius necteret insidias. S. Martinus immunis non fuit; spiritus tenebrarum apertum illi bellum indixit, conatus est in ejus animam aliquos vanitatis sensus immittere. Hoc juxta Patrum sententiam, vitium est præ cæteris magis metuendum, atque S. Bernardus inter cæteros ita illud describit: *Leviter volat, leviter penetrat, sed non leve vulnus infligit: cito interficit.* Nihil intentatum reliquit diabolus, ut S. Martinum in superbiæ sensus pertraheret, & funesta hac illusione deciperet. Spiritus hic perditionis obtulit sese Sancto Præsuli luminibus circum undique radiantem sub Regis specie, & cum magnifico apparatu; dixitque illi se mundi Salvatorem esse, & voluisse iterum de Cælis in terras descendere, ut hoc præberet amoris erga illum sui monumentum. Verum Sanctus Vir gratiæ lumine illustratus detectis maligni spiritus technis dicens, se non posse pro Jesu C. habere, qui passionis illius signa non deferret, & eum qui renidebat in ea luce, quæ prorsus erat opposita statui humiliationis, atque passionis, in quo Dei Filius omnibus generatim hominibus, & singillatim pluribus famulis suis se voluerat ostendere. Ad quæ verba Sycophanta ille statim evanuit, & pudore suffusus discessit. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Ejus patientia in contradictionibus & injuriis perferendis.

Quemadmodum Sanctus Antistes in dies magis in perfectione proficere admirebatur, patientiæ virtutem supremo in gradu possidebat: sincere & sine fuco amabat eos, qui ipsum persequebantur; sed illi, qui nomini illius labem offundere quærebant, ut plurimum erant Ecclesiastici, qui sustinere æquo non poterant animo vitia sua, quæ tacite exprobrabantur a sanctitate vitæ eximii hujus Pastoris; & miracula ejus irridebant, eum tanquam hypocritam traducentes. Unus autem ex illis, qui præ cæteris illius patientiam exercuerunt, Bricius fuit, ex numero Clericorum ejus, qui semper erat Sancto Præsuli infensus. Verum quin hic succenseret unquam huic adolescenti, præ aliis impensius dilexit, & ad litteram observans Apostoli consilium, vincens in bono malum tanto ardore pro inimico quietis suæ Deo preces effudit, ut tandem ab illo ejus conversionem impetraverit, ita ut pravus ille adolescens deinceps meritus fuerit, ut in Sanctorum albo describeretur. *Recens auctor.*

Jugis Sancti Præsulis mortificationes.

Sanctus Episcopus noster licet tot laboribus, curis, vigiliis semper conficeretur, ut regnum Dei promoveret in animabus, accuratissimum servabat jejunium usque ad noctis initium, & postquam diem in labore traduxerat quin quidquam esculenti, vel poculenti caperet, modico vescebatur pane, & aqua brevi, minus ut novas corpori vires adderet, quam ut recentes austeritates sustineret. Toto vitæ tempore cilicio indutus fuit, & cum prope morituro Discipuli sui illum hortabantur, ut illud abjiceret, præclaram hanc illis tradidit responsionem: Christiano vivendum, & moriendum esse in cinere, & cilicio. De hoc Præsule dicere possumus, illum pro Christo Jesu sustinuisse opprobria, irrisiones, persecutiones, & superadditis jugibus mortificationibus, ipsum corpori suo centum assidua inflixisse martyria, cum nonnisi radicibus vesceretur, nonnisi in nuda cubaret, cui cum semel adhæsisset ignis, prope fuit, ut tanquam holocaustum absumeretur, nisi oratione

sui ignem illico extinxisset. Denique constat, si defuit illi Martyrium, amorem suum in tyrannorum locum subiisse, & effecisse, ut diuturnum perferret Martyrium subigendo corpus omni austeritatum genere, jejuniis, vigiliis, ciliciis; & asseri potest, si minus mortem subiit per carnificum manus, illum sese obtulisse Deo adeo diuturnis passionibus tanquam viventem hostiam, in odorem suavitatis. *Ex P. Novet, & ex specimine Orationum Panegyricarum.*

Interior illius mortificatio.

Sanctus Noster jugiter in corpore suo circumferebat insignia Dominicæ passionis per carnis suæ mortificationem, ut suppleret iis, quæ deerant passionum Christi, juxta S. Pauli verba, sed non minus mortificatus erat secundum spiritum, quem ut ita dicam cum omnibus cupiditatibus crucifixerat, idque ita perfecte ut dici possit, illum non amplius sibi vixisse, sed amorem Jesu Christi vitam esse animæ suæ. Semper rebus in omnibus seu consiliis ejus adversarentur, seu faverent, sibi constabat, sibique similis erat. Vita, mors, bona, vel mala valetudo, inopinati casus, Divitum favores, infimorum laudes; omnia denique, undecunque proficiscerentur, nullo ipsi erant in discrimine, quia nonnisi Dei beneplacitum perquirebat, quod solus erat votorum ejus Canon, & omnium motuum sui cordis principium. *Pater Novet.*

Jure Ecclesia S. Martinum Martyribus Patrem facit,

Jesu Christi amor ex magno hoc Antistite admirabilem Confessorem fecit in triplici vitæ suæ statu, Equitis videlicet, Cœnobitæ, & Episcopi. Amor idem ex eo martyrem fecit in morte; hanc enim laudem illi tribuit Ecclesia. *O sanctissima anima! quam & si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit:* Non eo quod Sanctus noster Martyrum mortem subierit, sed quod in amore martyrii mortuus fuerit, idque triplici ratione. Primum, quia sæpe se obtulit Martyrio, ut Severus Sulpicius inquit. *Quia vivo, atque virtutibus, potuit esse Martyr, & voluit.* Quia si virtutes ejus spectantur, satis superque virium, ac roboris habebat, ut Martyrium sustinere posset; & si vota illius respiciuntur, satis ardoris habebat, ut vellet. Si enim tyrannorum ævo fuisset, Cæli, terræque Deum testor, idem Auctor ait, ultro patibulum ascendisset, ibique Domino laudes tanta lætitia cecinisset, qua pueri in Babylonica fornace psallebant. Secundo quia non minus, quam Martyres passus est, licet non ut illi inter cruciatus efflaverit spiritum. Non modicum temporis spatium requireretur, S. Bernardus ait, ad enarrandas persecutiones, quas pro justitia sustinuit. Quoties mortem præsentem conspexit, quin illam metueret? Nonne nocte quadam in carcerem detrusus fuit, sub Juliano, ut crastina die Barbarorum furori objiceretur? Nonne aliquando, cum Alpes pertransiret, prope fuit ut latronis manu interficeretur? Nonne alia vice parum abfuit ut prædonis manu conficeretur, qui jam brachium extulerat, ut illum macturet? Nonne contumelioſe ab Hæreticis virgis cæsus fuit? Impius Auxentius nonne maledictis, & injuriis male mulctatum Mediolano ejecit? Tertio ipse ille corpus suum crucifixit, ac sexcentis cruciatibus illud affecit; Propter has omnes causas dubitandum non est, utrum Sanctus hic præsul plures coronas mereatur; quoniam toties martyr fuit voluntatis per amorem ardentissimum, licet ne semel quidem fuerit reapse per consummatum effectum. *P. Novet.*

Ardens illius amor erga Salvatorem.

Insigne quidem testimonium Magno huic Præsuli universa perhibet Ecclesia, cum ait illum ex toto corde, ac visceribus Jesum Christum dilexisse: *Totis visceribus diligebat Christum regem.* Jesum Christum in vita, & in morte dilexit. Vita illius fuit jugis exercitatio amoris, mors vero illius continuatio, ac signum. A puero omnia propter illum reliquit, recedens a parentibus, qui ipsum a fide abstterrere conabantur; & abrenuntians terrenis omnibus cogitationibus, ut Cælum dumtaxat suspiceret, ubi erat thesaurus suus. Omnia propter Salvatorem dono dedit, ipsum etiam pallii sui dimidium. Omnia propter ipsum sustinuit, opprobria, calumnias, persecutiones, Omnia propter illum fecit, nam nihil cupiebat amplius, quam gloriam suam, qui unicus erat scopus omnium consiliorum suorum, omnium actionum, laborum, & operum. Nihil illi videbatur arduum cum de honore Jesu Christi, & animarum salute agebatur. Illum diligebat in pauperibus, & infirmis, quos incredibili benevolentia complectebatur. Illum in gravioribus etiam inimicis diligebat, de quibus nullas expetebat pœnas nisi per preces, jejunia, & mortificationes, quibus plerumque utebatur, ut eos Jesu Christo lucrifaceret, & in totidem Sanctos converteret. Illum diligebat in domesticis, famulisque, quibus sæpe ille cum profunda humilitate serviebat. Illum in omnibus diligebat peccatoribus, pro quibus lacrymarum imbres fundebat. Denique cum amoris sui objectum esset infinitum, ita nullis finibus charitatis ejus extensio coarctabatur. Mirum igitur esse non debet, si crebro in Cælum attolleret oculos, quia sacer ignis amoris Jesu Christi, qui in ara cordis ejus ardebat non alium ei permittebat motum, qui ad illum non tenderet, & eum in æterni Regni sui gloria non quæreret. *Idem.*

Contemptui terrenarum re-

Historia vitæ S. hujus Præsulis a Sulpicio Severo descripta docet ipsum semper defixos in Cælum oculos habuisse, quia terram aspernabatur; suspicere consueviſſe optatissimam patriam suam, & horruisse locum exilii sui; illum mortem concupiisse quoniam pertæsum erat vitæ. Morbus illius affectiones non mutavit, tunc temporis idem semper fuit, qui toto vitæ suæ curriculo fuerat. Cum coactus fuit in lectulo discumbere, semper in eodem corporis situ permansit, unde facilius videre posset locum, in quo suum erat cor, & amor suus, ut doceret Discipulos suos eum, qui diligit Filium Dei non timere mortem. Sed quodnam erat argumentum precum, votorumque ipsius? quid petebat a Deo in præmium præstitæ servitutis? Mortem petebat, Cælum obtestabatur, ut ex hoc carcere aliquando liberaretur, ut sua confringeret vincula, & ipse tandem acquireret libertatem filiorum Dei: *Assidua Deum oratione precabatur, ut se ex illo mortali corpore liberaret. P. Senault ex Oratorio.*

rum; & ardens desiderium sese cum Deo conjungendi.

Sanctus hic postquam se totum devovit pro salute populi sui, assensum præbet dilationi remunerationis suæ, si adhuc est populo suo necessarius.

S. Martino satis non est amori populi sui fortunæ bona sacrificare, suis se exuens divitiis, ut illum alat, simulque Evangelici Verbi panem illi distribuat; donis etiam gratiæ abrenuntiat, abrenuntians solatiis solitudinis suæ ut illum erudiat; & quodammodo illi sacrificat gloriæ bona, beatæque æternitatis desiderium: cum enim præsto esset, ut migraret ad perfruendum visione Dei per mortem, & circum se videret Discipulos suos, qui lacrymarum imbre fluentes ipsum obtestantur, ne tam cito illos desereret, miseratione ductus, & ardenti plenus Charitate præclara hæc protulit verba, quæ una illius elogium exornare possunt: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Magnus iste vir toto vitæ suæ spatio Dei possessionem concupierat; Quemadmodum sitiens cervus aquarum fontes desiderat, ita anima illius ardenter beatum illud momentum anhelabat, quo iterum erat cum principio suo conjungendus. Tota vita laboraverat, ut supremum hoc sibi bonum procuraret; tamen ubi videt Judicem suum præ manibus habentem justitiæ coronam, qua erat donandus; cum videt sibi Cælestis Jerusalem januas aperiri, beatosque Spiritus occurrere ad recipiendam sanctam animam suam triumphali pompa in Dei sinum transferendam: patitur æquo animo adhuc in hac lacrymarum valle versari, ut labores, sudores, vigiliasque suas populo impendat, si illi necessarius videatur. O virum admirabilem, exclamat Ecclesia. *O virum ineffabilem! qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Si hujus sacrificii magnitudo æstimetur, fatebitur quisque, paucos esse, qui æquiori titulo meriti fuerint boni Pastoris nomen, sese immolantis pro ovibus suis, quam Sanctus hic, & non minoris fortitudinis esse in vita producenda propter heroicæ, perfectæque charitatis causam, quam in morte subeunda pro fidei propugnatione. *Specimen Orationum Panegyricarum.*

Charitas illum sensim absumebat dum viveret, sed in extremo vitæ momento generali personæ totius incendio fuit absumptus.

Si quando Charitas prorsus ardens Antistitis nostri magis enituisse visa est, id dubio procul accidit; cum a mundo illi fuit emigrandum. Toto quidem vitæ illius tempore effulsit, sed præcipue in ipso mortis articulo triumphavit de illius corde, & si omnes vitæ ejus actiones cum novissimo spiritu conferantur, facile constabit illas non aliud prorsus extitisse, quam exiguas scintillas magni illius ignis, quo cor ejus absumebatur; hoc autem fuisse integrum totius incendium. Non satis illi fuit omnia vitæ suæ momenta impendisse pro grege suo, offert quoque pro illo mortem suam, & in supremo cordis anhelitu pro populi sui necessitatibus deprecatur. Neque illi satis visum est misericordiæ suæ actus ultra mortem ipsam protulisse: immolat etiam saltem ad tempus aliquod diœcesis suæ bono spem gloriæ, & beatæ æternitatis affectum; hanc sibi differri non ægre consentiens. Hoc in statu tener Pastor hic moriens gravate relinquebat gregem suum; qui cum tali Pastore indigeret, timendum erat, ne lupi rapaces illum opprimerent. Vivere non recuso, ait ille, si hoc expedit vestræ incolumitati. Haud ita Domine! non recuso laborem si populo tuo sum necessarius, produc adhuc dies peregrinationis meæ: si Providentiæ tuæ placet, beatitudinem me manentem differre non abnuo, ex toto corde consentio, fiat voluntas tua. Patebat jam Sancto seni Cælum, & Cælestes Spiritus præsto erant, ut illi canerent Epinicion: sed extremus populi sui amor, quo gregem complectebatur, efficit ut pro illius salute beatum hoc momentum sacrificet; quid dico? postquam dedit illi vitam, donat etiam illi quodammodo & Cælum, & gloriam. Nonne dici posset illum Charitatis terminos, quos Dei Filius constituerat, superasse? Dixerat maximam charitatis perfectionem esse, ut quis vitam impenderet suam, & mortem pro amicis subiret: sed Sanctus noster ultra hos cancellos excedit; ovium suarum amori Cælum ipsum sacrificat; quamdam cessionem facit gloriæ suæ, ut hanc illis procuret; ne ullum sit in vita, in morte, & in ipsa immortalitate momentum, quo non exerceat misericordiam suam. *P. Senault ex Oratorio.*

Beata mors S. Præsulis. Ejus humilitas efficit, ut jubeat se in cinere collocari.

Adest tandem felix illud, optatumque momentum majori cum impatientia expectatum, quam Sæculi Principes unquam perituras coronas petierint. Incidit in morbum, intelligit adesse tempus illud beatum, quo sibi ex hac exilii terra demigrandum est. Adstat illi hac in extremitate inimicus conaturus, ut sub horrentibus spectris

illi

illi timorem injiciat, vel aliquos in eo cieat ſenſus vanitatis; ſed nihil proficit Spiritus iſte tenebrarum, omneſque illius artes evaneſcunt. Sanctus vir ſe humi ſternit, & cineribus juſſit operiri, mori cupiens in eo pœnitentis ſtatu, in quo ſemper vixerat. Circum illum plorabant Diſcipuli & conquerentes, quod ab illo deſererentur, atque ut ita dicam traderentur luporum furori, qui ſtatim ad eos devorandos irruerent: Sanctus lacrymarum, & querelarum miſertus eſt. Senſit ille, uti Apoſtolus, longe aliis motibus agi, abeundi quidem ut ſeſe conjungeret Deo objecto amoris ſui, & adhuc in terra permanendi, ut deſerviret Eccleſiæ. Qua in re penitus divinæ Providentiæ conſiliis, ſeu in vitam, ſive in mortem ſeſe ſubjecit. Itaque neque mortem timuit, quod omnes homines reformidant, & vivere non recuſavit, quod paſſim Sancti viri recuſant. Teſtatus hoc pacto eſt, ſe malle ſalutem populi Dei, quam triumphum ſuum; prætulit labores prælii propter honorem Jeſu Chriſti, tranquillitati, quæ ſequitur victoriam. Sed ubi omnes incomparabiles vitæ ſuæ actiones heroico hoc Charitatis actu ſignavit, reddidit beatam animam illi, a quo diutius ſejunctus eſſe ferebat, niſi quod ille magis in ipſo, quam in ſemet vivere conſueverat. *Gondeau.*

Moritur ergo Magnus hic Paſtor, & quamvis in morte requiem æternam inveniat, qui ſemper toto vitæ ſuæ ſpatio in laboribus vixerat; non abnuit tamen adhuc vivere, & laboribus frangi, ſi hoc neceſſe ſit ad Dei gloriam, & animarum ſalutem. Videri ne poteſt animus magis heroicus! Jeſus Chriſtus ipſe illi brachia tendit; præſto eſt, ut illum in gloriam recipiat, & magnus iſte Sanctus non abnuit adhuc ab eo ſeparari, quandiu divinæ intererit gloriæ. Sed divina Providentia operæ pretium exiſtimans de mundo recipere ſervum adeo fidelem, qui tot Idola proſtraverat, tot profana delubra ſolo æquaverat, tot peccatores converterat, tot Ethnicos ad veri Dei cognitionem perduxerat; tot Monaſteria ædificaverat, tandem ex hoc terreno incolatu recepit, ut eum corona redimitum triplici, Confeſſorum, Virginum, & Martyrum in æternam patriam inferret; cum æquiſſimum eſſet, ut qui vitam integram, ſeculiſque puram, & ſine labe ſervaverat, qui palam Jeſu Chriſti nomen coram tyrannis confeſſus fuerat, & Martyr fuerat voluntate, tandem trium horum ordinum, quorum vitam perfecte imitatus fuerat, coronam reciperet. *Sermo Manuſcriptus.*

PRO SANCTÆ CATHERINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS PANEGYRICO.

MONITUM.

ANtequam illuſtris Virgo Catherina Chriſtianam fidem amplecteretur; Ethnici gloriari poterant ſe in adoleſcentula, quæ tunc Ecates appellabatur, poſſidere portentum ingenii, ſcientiæ, & ſapientiæ; quæ animi dotes cum eximia forma conjunctæ efficiebant, ut ſexus ſui miraculum haberetur. Sed poſtquam ſacro abluta fuit baptiſmo, hæ dotes eædem plurimum contulerunt, ut illa ad eminentem aſſurgeret Sanctitatem, propter quam Eccleſiæ Græca ſimul, & Latina illam antonomaſtice Magnam vocarunt, quo titulo illi decorati ſunt, qui præclare factis, magnis victoriis, atque virtutibus claruerunt. Hinc mirum non debet eſſe, ſi ſupra ſexum ſuum evecta per pietatem, ac ingenium, Cæleſti gratia ſuffulta comparari poteſt cum Apoſtolis, ac Doctoribus, qui in majori zelo, ac lumine nituerunt, & cum generoſis Martyribus: unde licet conjicere, utrum defutura ſit copia ad tantæ Viraginis elogium elucubrandum.

Fateor equidem, me hoc in loco diſſimulare non poſſe indignationem meam contra criticos quoſdam, qui cenſoria nota perſtringentes Eccleſiæ ſenſus de hoc argumento, pluriumque ſæculorum traditionem, fabulis adſcribendum putant quidquid narratur de converſione, ac Martyrio ingentis illius numeri Philoſophorum, qui oppoſiti fuerunt ſimplici puellæ, cæteraſque circumſtantias, quæ Sanctam Catherinam ab aliis Virginibus ſimul & Martyribus ſecernunt, quibus ſublatis uberrimum hoc argumentum fieret maxime jejunum. Ut ergo elogium hoc benevertat, inhærendum eſt communi ſententiæ, & quicunque accedat ornatus fideli narrationi inſtituendæ de Martyrio adeo celebri, eximius evadet Panegyricus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Proverb. 31.

I. FŒdus hoc fortitudinis cum ſexu, qui ſemper habitus fuit imbecillior, procul dubio eſt ex earum rerum numero, quæ majorem cient admirationem; quandoquidem una ex iis rebus eſt, in quibus magis elucet Dei potentia, cum infirmioribus utitur inſtrumentis, ut majora operetur portenta. Verum eſt neſcio qua maligna voluptate per ſæcula numerentur, ut hoc nequaquam vulgare, & obvium eſſe oſtendatur: ſed nihilo ſecius confitendum eſt, ſi minus fortitudo mulierum character eſt, & dominans in illis virtus, uti virorum eſſe perhibetur: illas tamen ſemper maximis, & maxime heroicis virtutibus pares fuiſſe, tunc vero potiſſimum, cum Deus illis uti voluit ad majorem nominis ſui gloriam, & ſimul ad eorum confundendam ſuperbiam, qui illas contemnunt; ita ut quantumvis rara eſſe velit earum exempla; illi tamen qui Martyrum vitas ſcripſere, ſatis multas inveniunt ad implenda volumina, quæ non ſolum non ceſſerunt fortitudine ſtrenuiſſimis Martyribus, ſed quæ etiam victoriis ſuis oſtenderunt, nihil fortitudini ſuæ fuiſſe ſuperius. Jure autem hodierna die in hunc numerum cenſeo illuſtrem S. Catherinam, cui Deus tantum immiſit firmitatis, conſtantiæ, atque conſilii, ea in ætate, quæ nihil niſi inconſtantiam, & levitatem promittere videbatur, ut habitum fuerit miraculum fortitudinis, & virtutis prodigium. Hæc illuſtris erat Virgo genere, in idololatriæ ſuperſtitione innutrita, inter Ethnicæ religionis, & aulæ corruptionem educata; ſed quæ ingenii ſui vi, & conſtantiæ ſuæ firmitate eſſe poteſt exemplo ſexui utrique; quoniam cæleſti gratia roborata ingenii ſui viribus reſiſtere potuit iis omnibus, quæ ad illam fallendam aptiora videbantur, & viribus animi ſui iis, quæ magis erant terribilia, & ad eam labefactandam validiora. Itaque fert animus Elogium ejus complecti duobus hiſce præcipuis privilegiis, quibus ſexus ille a natura minus ornatus fuiſſe videtur.

1. Vim mentis, quæ in veritatis cognitione, & defenſione conſiſtit.

2. Vim cordis, in qua proprie conſiſtit animi magnitudo, quam minime frangit vel ſuppliciorum intuitus, vel mortis timor; quod vobis in duplici ſermonis parte me oſtenſurum pollicetor, recipioque.

II. *Confitebor nomini tuo, Domine, quoniam adjutor, & protector factus es mihi; & liberaſti cor meum a perditione, a verbo mendacii, & a Rege iniquo.* Eccleſ. 7. Omnes animæ magnæ, quæ propter Jeſu Chriſti gloriam, & pro Eccleſia tuenda ſanguinem ſuum effuderunt, factæ ſunt divini amoris objecta; [non omnes vero eandem in ipſius gloria partem nactæ ſunt, earumque coronæ, magis minuſve pretioſæ ſunt, prout earum victoriæ magis, minuſve illuſtres fuerunt. Inter eas autem, quæ in glorioſo hoc numero primas obtinent, neſcio, utrum aliqua inveniatur; quæ majora mereatur obſequia, quam Sancta Catherina. Hæc una divinis luminibus ſuis coruſcavit eo in ſexu, quem mundus inſcitiæ nomine inſimulare conſuevit; admirabili ratione per puritatem enituit inter impuros, & idolorum cultores; & tandem generoſe, & animo invicto ſæviſſima, ac teterrima ſubiit tormenta, quibus tenerum ac molle

Digitized by Google

corpus suum discerptum fuit. Per Domini gratiam, & Jesu Christi virtutem audacter fatetur nominis illius gloriam: *Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum a perditione, a verbo mendacii, a Rege iniquo.* Quæ verba omnem præclaræ hujus Virginis vitam complectentia, distinguunt tres varias victorias, quas reportavit, & quæ hodie sunt causa gloriosi ejus triumphi.

1. Quia triumphum retulit de maximis mundanarum voluptatum illecebris per puritatem, contemptis amplissimis Imperiis: *Liberasti corpus meum a perditione.*

2. Quia triumphum retulit de Gentilitatis erroribus per incomparabilem scientiam, *a verbo mendacii.*

3. Quia triumphum retulit de tyrannorum crudelitate per incomparabilem fortitudinem, *a Rege iniquo. Ex Specimine Orat. Panegyr.*

III. *A verbo mendacii, & a Rege iniquo sum liberata; & in medio ignis non sum æstuata.* Eccli. 51. Cum Deus efficere vult, ut potentia sua in mundo colluceat, infirmiores eligit subditos suos, contra hostes infensissimos, ut honor victoriæ potius ductui suo referatur acceptum, quam militum virtuti. Ita videmus ad Philistinos superandos, usum fuisse uno Sansone, cujus omne robur crinibus inhærebat; quod palam ostendebat eam potius fuisse gratiæ effectum, quam naturæ. Cum delevit formidabilem illum Gigantem, qui terror erat Israelitarum, & inimicorum fiducia, nonnisi adolescentuli Pastoris brachio usus est, cui non aliud armorum genus contulit, nisi fundam. Cum de Holoferne triumphum egit, nonnisi dextera Judith est usus, quæ illi caput obtruncavit, postquam eidem abstulerit cor; & mortales omnes docuit, nihil arduum esse mulieri, quam gratiæ potentia sustinet. Verum si quando ostendit Deus potentiam suam in infirmo, ac molli quopiam subjecto, fatendum est hoc in Sanctæ Catherinæ persona accidisse, quæ cum esset puella annorum duodeviginti, triumphum egit de iis, quæ in mundo fortissima habentur, quandoquidem.

1. Superavit Sapientiam, & vanitatem Philosopherum totius orbis terrarum consultissimorum scientia prorsus divina.

2. Inordinatum Cæsaris amorem amore puritatis.

3. Tyrannorum crudelitatem constantia, & animi sui magnitudine.

IV. Orientis Ecclesia colit illustrem Virginem S. Catherinam antonomastice magnam appellans, ut innuat, quod sunt terrarum domitores, & Heroes adeo in antiquitate laudati inter Principes terræ, talem inter Virgines esse Catherinam. Nullam invenies in sexu muliebri, quæ vel tot, vel adeo illustribus coronis in cælo sit redimita. Agnetes, Agathæ, Ceciliæ Virginum coronæ illam etiam martyrum addidere. Theresiæ, ac Gertrudes, quæ nobis scripta sua reliquerunt cælesti sapientia cumulatissima, Doctorum lauream promeritæ sunt. Sed S. Catherina una inter tot sanctas tribus redimita sertis est, tribusque coronis ornata, quas Ecclesia in Beatis honorat. Nam

1. Virginis coronam gestat per insignem puritatem, qua fulget.

2. Coronam Martyrii, quia constanter passa est crudelitatem persequentium fidem.

3. Coronam Doctoratus per cælestem scientiam, qua inter cæteras sexus sui præstitit.

Quod si cujusvis coronæ pretium æstimandum est, ullane fuit virgo hac illustrior? martyr generosior? Virgo hac doctior simul, & humilior? Nonne dici potest has omnes præclaras dotes, quibus magni hæc Sancta prædita fuit, ad tantum excellentiæ apicem evasisse, ut nonnisi illæ secum sint comparandæ? *P. Cassillon.*

V. *Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.* Apoc. 22. Hæc sacri textus verba videntur jam vobis ad Sanctam referri Catherinam, Virginem illam tam illustrem, quam Dominus sibi in sponsam delegit, & quæ fidelitate sui magnarum earum nuptiarum honorem sustinet, quas cum Dei Filio contraxit amaris quidem, verum gloriosis conditionibus: quandoquidem pollicita est

1. Se cum veritatis hostibus decertaturam, pro sponsi gloria tuenda.

2. Se de omnibus eorum conatibus victoriam relaturam, servando seipsam puram, & integram, ut digni sit eminenti hoc gradu, qualis est dignitas Sponsæ Agni.

VI. *Fortitudo, & decor indumentum ejus.* Prov. 31. Insignis S. Catherina gloriosum nobis præbet exemplum fortitudinis, & decoris, quæ attollunt Virginem ad magis sublimem gloriæ gradum; & præstantes hæ duæ qualitates constituunt radios coronæ ipsius fulgidiores.

1. Nobis fuit exemplum incomparabilis formæ ejus animæ, eo quod admirabilis fuit puritatis, & innocentiæ.

2. Nobis fuit exemplum fortitudinis, & constantiæ, eo quod generose mortem subiit, ut sustineret & puritatem, & fidem suam, quam tyranni per vim illi studebant eripere.

VII. *Adamavit eam Rex plusquam omnes mulieres.* Esther 2. Incomparabilis Sancta Catherina una est ex sponsarum numero Filii Dei, quam prælationis amore supra creata omnia dilexit. Et profecto dilexit eam Deus amore singulari, & prælationis, quoniam dum viveret huic plus gloriæ communicavit, quam alteri cuipiam virgini, & post mortem præ aliis omnibus reddidit celebriorem.

1. Viventi dedit donum sapientiæ, ac scientiæ, ut se tueretur a sollicitationibus Tyranni, qui nullum non movebat lapidem ad eam decipiendam. Dedit illi donum zeli, per quem sustineus veritatem Christianæ Religionis, passa est horribiles cruciatus, & mortem ipsam pro veri Dei gloria, & amore.

2. Reddidit illustrem hanc martyrem adeo celebrem post obitum, cum Angelorum opera transtulerit corpus illius in montem Sinai, quo nationes omnes peregrinabantur, & ibi illius intercessione a malis omnibus curabantur; & effecerit ut omnes orbis Christiani docti viri illam in patronam suam sibi deligerent, & ut paucis Sanctis virginibus tot aræ, quot illustri huic martyri, ponerentur.

In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operata est. Eccli. 48. Quod dici potest de Sancta Catherina Virgine, quæ tot, tamque insignia prodigia operata est post mortem, ut nullus sit in mundo locus, quo illius gloria, nomenque non pervaserint; & profecto merito dici potest de hac incomparabili martyre, quod de Apostolis inquit Psalmista: *in omnem terram exivit sonus eorum.* Utique verum est Sanctæ hujus famam in extremas usque terrarum plagas evolasse. Igitur fecit monstra VIII.

1. Per fœdus Angelicæ puritatis cum corpore peccati, quod omnes hæreditatis jure accepimus a primo prævaricatore; quoniam mens, & cor illius semper munda fuerunt; licet domestici inimici divinam hanc virtutem lacessierent, licet pateret deliciis, quibus expositæ sunt nobiles puellæ, licet tot affluerent illi raræ, & juvenilis formæ illecebræ, quæ non ita facile consociantur cum cælesti puritate, in qua vitam transegit.

2. Per fœdus fortitudinis, animique invicti cum sexus imbecillitate percussum, quoniam tyranni furorem, & carnificum rabiem sustinuit, omniaque subiit supplicia invicta constantia, & de morte ipsa triumphavit illam strenue perpessa.

Ostendi potest S. Catherinam incomparabili sapientia, & prorsus admirabili constantia præditam fuisse. IX.

1. Quia vicit mundum, *cum erroribus suis, cum suis amoribus, cum suis terroribus*, uti loquitur S. Augustinus, per puritatem fidei, quam tunc oppugnabit tota Imperii majestas, quæ inanes Deos venerabatur. *Magna gratia opus est, ut cum tantis erroribus vincatur hic mundus.*

2. Quia vicit mundum cum omnibus illecebris, & amoribus ejus per puritatem sui cordis, quam tunc oppugnabat violentus amor, quo idolorum cultores cum quibus vivebat, terrena hæc confectabantur, rati non alia esse bona, nisi quæ sensus illorum afficiebant: *Magna gratia opus est, ut cum tantis amoribus vincatur hic mundus.*

3. Quia vicit mundum cum omnibus, quæ maxime terribilia sunt in illo per constantiam suam, per magnanimum cor, per contemptum vitæ præsentis, per magnum amorem, quo futura bona concupivit: quamvis illi pugnandum esset contra ea quæ maxime erant formidabilia, contra Imperatoris iram, carnificum inhumanitatem, suppliciorum metum. *Magna gratia opus est, ut cum tantis terroribus vincatur hic mundus.* Ecce triumphos, quos incomparabilis retulit Catherina, & qui ostendunt Deum uti infirmiori sexu, ut maxima quæque prodigia operetur. *Sermo Manuscriptus.*

Sponsabo te in fide. Osee 2. Si Christiana virgo Sponsa est Christi Jesu, quod asserit D. Ambrosius, & quomodo passim Doctores omnes loquuntur; S. Catherina inter Virgines prima omnium hoc privilegium obtinuit, quod ad Salvatoris nuptias ingressi est per spirituale, & omnino singulare conjugium, & eodem ritu, iisdemque cæremoniis, quibus inter homines sponsalia ineuntur. Hoc didicimus ex historia vitæ Sanctæ hujus, & hæ circumstantiæ illam secernunt ab aliis, quibus Dei Filius eandem contulit gratiam, illas sibi in sponsas eligendi. Non credo autem ignorare aliquem, jure gentium, quod apud nationes omnes constitutum est, ubi matrimonium legitime contractum est inter personas conditionis diversæ, sponsam, licet ordinis inferioris, ingredi in societatem, & communicationem omnium bonorum, jurium, & prærogativarum Sponsi sui: ita ut, ut liqueat ad quem gloriæ gradum evecta fuerit Sancti Catherina per honorem ipsi delatum ab eo, qui eam sibi in sponsam delegit, satis sit meminisse in Dei Filios tres potissimum prærogativas enitescere. X.

1. Quia ipse eadem puritas est per æternam generationem, & quemadmodum eum Paulus appellat, *Candor lucis æternæ.* 2. Verbum est, & veritas æterna, quemadmodum Apostolus subdit: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi*: Tertio verbum est incarnatum, quapropter vir dolorum, & sponsus sanguinum dicitur. Hæc tria illa, quæ Dei Filius Sanctæ Catherinæ quatenus sponsæ suæ contulit. Communi- *Sap. 7.* *ad Col. 2.*

Digitized by Google

nicavit illi prorſus Angelicam puritatem; in illius perſona complexus eſt omnes ſcientiæ, & ſapientiæ theſauros, qui illam omnibus ſæculis admirabilem reddidit. Tertio particeps tandem effecta fuit omnium paſſionum, atque dolorum ipſius. *Spenſus ſanguinum mihi es.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad has Sermonum ſtructuras exornandas,

MIrum eſt, quod tam pauci ex antiquis Scriptoribus locuti fuerint de Martyrio S. Catherinæ, & qui de illa ſcripſerunt, longe alia narraſſe. Martyrologia Bedæ, Uſuardi, & Adonis pauca narrant, ita ut illis ignota fuiſſe videatur. Baronius credit, vel ſuſpicatur potius hanc illam eſſe, de qua verba facit Euſebius; ſed quæ narrat Euſebius non conſentiunt cum illis, quæ Eccleſia, atque Traditio nos docent. Ruffinus qui fuerat in Ægypto, & qui poterat rem melius perſpexiſſe, diſtinctius loquitur, ſed Dorotheam nominat illam, quam Catherinæ vocabulo veneratur Eccleſia. Recentes, puta, Bolandus, Tillemontius, Baillet criticis animadverſionibus non ſolum hoc in dubio relinquunt, ſed in ſuſpicionem vocant, rejicientes auctoritatem illius, qui ſcripſit hiſtoriam martyrii cum iis circumſtantiis, quas novimus. Sed quin criticis hujuſmodi auctoribus immoremur, qui inter anules fabellas ea mandant, quæ in ſe aliquid habent miraculi; nobis ſufficiat auctoritas Eccleſiæ, plurium ſæculorum Traditio, & communis ſenſus fidelium, ut cenſoriam notam minime reformidemus, & quin rem diligentius excutiamus. Ecce recentes Concionatores, qui in lucem hujus argumenti ediderunt elogia.

P. Caſtillon, in tomo de Panegyricis Sanctorum.
P. Senault Panegyricorum Tomo 3.
P. Texier Panegyricorum Tomo 2.
P. Oder de Allier in Panegyricis Sanctorum.
Formentier habet hujus argumenti Sermonem.

Auctor Sermonum in omnia argumenta Tom. 3. Panegyricorum.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis prolixam habet meditationem, quæ ſermo fuiſſe videtur.

In ſpecimine Panegyricorum tres ſunt Synopſes, vel potius compendia ſermonum hujus argumenti.

Granatenſis tractatu ſecundo de amore Dei ad finem quarti §. texit elogium fortitudinis, & virtutis hujus Sanctæ.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui huic argumento convenire poſſunt.

A *Verbo mendacii, & a Rege iniquo ſum liberata.* Eccleſ. 5.

Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo. Prov. 31.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Prov. 31.

Super ſenes intellexi, quia lex tua meditatio mea eſt. Pſalm. 118.

Præſtitiſti decori meo virtutem. Pſalm. 29.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10.

Veni, Sponſa mea, veni, coronaberis. Cant. 4.

Univerſi adorantes Dominum dixerunt ad illam, benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Judith 13.

Benedicta es filia a Domino Deo excelſo, pra omnibus Mulieribus ſuper terram . . . . . Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. Ibidem.

Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. 1. Cor. 7.

Quis nos ſeparabit, a charitate Chriſti? An tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Ad Rom. 8.

Si habuero omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 1. Cor. 13.

Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Ad Coloſſ. 2.

Exempla, & figuræ Scripturæ.

Scientia, & zelus S. Catherinæ cóparari poteſt cum duabus aliis Seraphim de quibus Iſaias.

ALæ duæ, quibus Seraphim, de quibus verba facit Iſaias Propheta, in aera attolluntur, perfecte incomparabili S. Catherinæ conveniunt. S. Bernardus ait, priori ala ſignificari cognitionem, poſteriori devotionem, & charitatem, quarum utraque ſimul ferunt ad Deum Seraphim; adjiciens ſcientiam in altum quidem elevare ſpiritum, ſed illam non ſufficere: ita ut qui unica tantum ala volare præſumat, periculum ſubeat in præceps ruendi; & quo altior illius volatus eſt, eo periculoſior ſit lapſus ejus futurus. Facile eſt hoc animadvertere, cum conſiderantur ſapientes illi Ethnicæ antiquitatis doctí viri, qui una tantum ala ad Dei cognitionem ſeſe attulerant; ſed quia illis amor defecit, & ſupremo huic Enti non præſtiterunt adorationes illas, quas cognitio iſta exigebat, in nullam reditus ſpem interierunt, atque traditi fuerunt in reproborum ſenſum. Eximia vero S. Catherina perfecte cognovit humanarum ſcientiarum inutilitatem, ubi charitas deſit: ideoque ſæculi ſui ſapientiſſima fuit, ſed huic addidit ſcientiæ ardentem divinæ gloriæ zelum, quem per ſcientiam cognoverat, & æquo jure merita eſt, ut ab Eccleſia univerſa antonomaſtice Magna appellaretur.

S. Catherina majus aliquid præſtiſſe videtur quam S. Joannes Baptiſta, cum Herodē de inceſtu redarguit.

Jactet quantum libuerit quiſpiam ardentem S. Joannis Baptiſtæ zelum ſtrenue Principum omnium crudeliſſimo exprobrantis, non licere illi rem habere cum uxore fratris: *Non liſet tibi habere eam*: nonne videtur Catherina audacius aliquid exprobraſſe Tyranno? Præcurſor Filii Dei Herodem unum laceſſere videtur, Catherina vero provocat, & Aulicos ejus, & omnes Ethnicæ religionis conſultiſſimos viros, & populos omnes, qui erant Ethnici; Chriſtiana hæc, & generoſa virgo tot nocentes ſimul laceſſere non reformidat. Vos pudeat ignavos miniſtros Domini, qui non audetis vocem attollere, & ſevero vocis tono alloqui peccatores, quorum ſcelera vobis meridiana luce clariora ſunt; vos qui per ignavum metum, mollemque indulgentiam illos in ſuis ſceleribus fovetis, vos, qui tantum abeſt, quod terribilem Judiciorum Dei ſeveritatem intentetis, ut fortaſſe vos illis primum præbeatis exemplum mali, quod patrant; vos, qui infelices victimæ ultionis, avaritiæ, ſuperbiæ, & fortaſſe etiam libidinis non audetis ea, qua decet, ſeveritate perſequi ſcelera, quorum labe inquinamini. Quæ vobis ratio erit reddenda, quod tantum, ac tandiu abuſi fuiſtis ea facultate, quam vobis licet indignis conferre Domino placuit?

S. Catherina confertur cum Judith, cui Deus vultus honorem aſſlavit, cum ad Holofernem accederet. *Judith 10.*

Explicitis, conceptiſque verbis teſtatur Scriptura, Deum olim novas addidiſſe oris illecebras Sanctæ Viduæ Judith, & feciſſe, ut novi decoris acceſſio fieret, ut truculento placeret Holopherni ad hoc ut illa facilius victoriam referret: *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* Hic Deus, cujus magis intererat incomparabilis Catherinæ victoria, huic, ut Judith, novum confert formæ decorem, novaſque illecebras eximiæ pulchritudini, quam a natura ſortita fuerat, ut Tyranno placeret. Hanc ille admiratus, eademque captus fuit. Hic, o Fidelis ſponſa Filii Dei, oſtendendum eſt conſtantiam tuam nulla Regni ſpe labefactari poſſe, & in te melius Sponſum amari, quam mundum univerſum. Fidelitas tua duris eſt tentationibus probanda; per te mihi liceat trepidare pro tua fidelitate. At nolite metuere; quamvis longe terribiliores hoſtes Catherinæ ſuperandi ſint, quam Judith, eos facile ſubvertet. Fruſtra huic offerunt mundi delicias, & ampliſſimos honores, quibus perfrui valeat: Fruſtra cæſareum offerunt ſolium; fruſtra ex alia parte illi minitantur rotas, & cruces; Sancta hæc anima in equuleum aſcendere mavult, quam ſolium, & dicere poſſumus illam hac generoſa repulſa non de Imperatore ſolum, ac Imperio triumphum retuliſſe, verum etiam de mundo univerſo.

S. Catherina comparata cum Job, & in quo. *S. Gaudentius Epiſc. Brixienſis.*

Pater quidam verba faciens de Job in ſterquilinio jacenti dicebat, hoc theatrum fuiſſe, ac triumphale ſimulacrum ſub carnis infirmitate poſitum in Dæmonum ruborem & Dei omnipotentis gloriam. *Statuam triumphalem poſuit Deus.* Hoc ipſum proculdubio dici poteſt de Sancta Catherina, cujus victoria eo glorioſior eſt, quo infirmius erat inſtrumentum, quo Deus uſus eſt. Profecto quæ ſimilitudo eſt inter Virginem, furentemque Tyrannum, præſertim habentem plures Carnifices ſuæ crudelitatis miniſtros, & armatum flagellis, eculeis, ac rotis? Nihilominus virgo hæc adoleſcens victrix redit, *Vitia ſunt in carne omnia crudelitatis ingenia*, inquit Theophilus Alexandrinus. Artes omnes, quas humana mens comminiſci poteſt ad infirmandam illecebris, minis, & variis cruciatibus Virginem noſtram, in triumphorum illius materiam convertuntur. Quinam fons eſt victoriarum illius? undenam tantam hauſit fortitudinem, ut omnibus terræ, ac inferni poteſtatibus reſiſteret, niſi ex ardenti charitate, qua Salvatorem ſuum complectebatur? Hujus virtute tot, ac tam terribiles inimicos evertit.

Alia comparatio S. Catherinæ cum Job.

Crudelis Maximinus poſtquam laborem omnem, & operam perdidit, & fruſtra crueiatus omnes adhibuit, quæ ipſi ſua ſuggerere potentia potuit, & poſtquam altera ex parte ſuperavit tot, ac tam validos hoſtes, nonne fateri cogitur, adoleſcentulam de omni potentia ſua, & furore triumphaſſe? Nonne dicere poterat id, quod Pater quidam loquentem inducit Dæmonem, qui Job quidem oppugnaverat, at expugnare non valuerat: *Omnia argumenta oſtendi, & fortitudinem Job non dejeci.* Uſus ſum validiſſimis rationibus, ut illum ſeducerem, & illius mentem corrumpere non potui; exhauſi omnem pharetram meam, omnia abſumpſi tela, & nihilominus invicti hujus Herois cor vulnerare non valui. Omnes impendi artes, & conatus meos, & in irritum ceſſerunt. Sed ad illuſtris Sanctæ Catherinæ gloriam dicere, Maximinum de illa triumphum agere non potuiſſe, parum eſt; niſi dicamus illam de Maximino triumphaſſe; nam præterquam quod illius perquiſitiones neglexit,

Origenes.

Digitized by Google

ejusque blandas illecebras vertit in ludibrium, supervixit etiam omnia ejus tormenta, in ipsum retorsit quidquid ille contra ipsam adhibuerat, & illi eripuit personis omnes, quarum opera uti voluit ad eam, vel decipiendam, vel corrumpendam.

Alia comparatio S. Catharinæ cum Judith. Judith 13.

Post omnes victorias, quis S. Catherina de crudeli tyranno reportavit, procul dubio potiori jure, quam Sancti hæc veteris Legis vidua poterat exclamare: *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus.* Et profecto qua fortitudine opus fuit, ut omnia superaret tormenta; qua sapientia, & firmitate, ut eluderet omnes artes illius, penes quem totius ferme terrarum orbis erat imperium? Judith quidem tentata fuit ab hoste populi sui; sed Ducis illius ars nimis erat crassa, ut illa se fallí posse pateretur: Sanctæ illi viduæ patebat aditus de castris exeundi, ut vota sui Deo nuncuparet, & facile fuit hostem alto sopore obrutum obtruncare? Sed incomparabilis Catherina, præterquam omni carebat Mundi experientia; quæ in Sancta Vidua minime desiderabatur, ad superanda tyranni lenocinia, quæ fere superari non possunt; quandoquidem illi offerebat mundi totius imperium non integrum erat illi fugam capessere; quippe quæ circumsepta erat carnificibus; & Tyrannus alioquin satis oculatus erat. Quas ergo non egit gratias Domino qui illam deduxerat, & servarat inter tot carnifices, & hostes, & quod non permiserat, ut puritas sui a Tyranno violaretur? *Et hinc euntem, & ibi commorantem; & non permisit me Dominus maculam suam coinquinari.* Ibid.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic Argumento.

Elogium fortitudinis propriæ est elogium S. Catherinæ.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Proverb. 31. Sicuti nihil unquam infirmitatis visum est in S. Catherina, cujus elogium habiturus sum: non dubitabo affirmare, quod magnus quidam vir dixit de Judith, naturam quidem illi sexum dedisse, cætera vero in ea formasse virtutem. Cum autem ex omnibus virtutibus fortitudo una omnium maxime elucescat, & majorem cieat admirationem; eo usque ut non sine quadam prærogativæ specie virtus appelletur: ad Sanctæ hujus panegyricum texendum satis esset, vobis exhibere, veluti in tabula virtutis hujus imaginem vividis, audacibusque coloribus, ut simul vobis exhiberetur character Virginis, quæ fuit sæculi sui portentum, & quæ ostendit, quodcunque privilegium sexui suo natura concesserit præ altero, gratiam tamen in favorum suorum distributione nequaquam secutam fuisse hanc distinctionem: quoniam corpus infirmissimum sæpe vi spiritus, animique sui sese extulit, ut esset aliis quidem exemplo, aliis autem probro, & verecundiæ. Nullus dubito quominus aliæ etiam virtutes Sanctam hanc, insignem effecerint, & cæteræ etiam aliquid contulerint ad perficiendum eximium hoc naturæ simul opus, & gratiæ; sed cum fortitudo illi magnum hunc nitorem contulerit, & impulerit Ecclesiam ut illam in ipso Oriente conquireret, atque ex tot Martyribus unam eligeret, quam festo adeo peculiari honoraret, hoc probat illud Sapientis Oraculum; non esse rem vulgatam, & quæ passim occurrat, tantam videre fortitudinem in puella; sed universum terrarum orbem fuisse peragrandum, & maria ipsa traducenda, ut inveniretur: *procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Sed invenimus tandem thesaurum hunc, hanc virtutum numero carentium congeriem in gloriosa, ac triumphanti Sancta Catherina.

Explicatio verbi illius *scientia inflat.* 1 Corinth. 8 3. Stromat.

Clemens Alexandrinus scribens in illud S. Pauli verbum, *scientia inflat*, ait Apostolum nequaquam velle scientiam redarguere, quod Interpretum vulgus asserit, & docere, quod scientia spiritus efficit vanos: sed S. Pauli mentem esse, laudandi scientiam, quippe quæ animabus, in quibus, invenitur, inspirat magnos sensus, heroica facinora, divina consilia, & contemptum rerum omnium, quæ in mortalium oculis magna videntur: *Non enim per doctrinam, fastum, & arrogantiam inspiravit Dominus, sed esse magnificum ex cognitione, quæ traditur per scientias.* Hoc magnum est, & vere magnificum; sed non minus verum. Scientia enim per se hominem in sublime rapit, ut ambitioni suæ satis non faciat, nisi per possessionem Dei, qui tunc nobis retegit objecta, & efficit, ut videamus illa, qualia reapse sunt, non qualia videntur; quid valeant, non quanti fiant: Per scientiam videmus verorum bonorum discrimen ab iis, quæ speciosa sunt; æternitatem a tempore secernimus. Ad hæc cum nostra voluntas regatur luminibus mentis; vulgo fertur ad perquirendum bonum, quod sibi detegitur, & ad contemptum objectorum inanium, atque mendacium, quorum nihilum ostendit. Idcirco verum est scientiam eruentem animam de tenebris ignorantiæ, quæ nos tanquam in nihilo subsidentes moratur, & humi affixos, influre, immittere desiderium ardentem nos altius attollendi, nos in Cælum evehere, & efficere, ut Deo hæreamus. Et profecto hujus rei admirabile videmus exemplum in S. Catherina; etenim quid in speciem quidem infirmius illustri hac virgine, molli, delicata, adolescentula, mundi oculis abscondita? sed cum Jesu Christi gratia illuminata fuit sublimi hac scientia, quæ facit magnas animas, ac Sanctos, multis post se relinquit stadiis summos viros, quos omnium sæculorum cæci prædicarunt. Illa multo majora præstitit, neque enim contenta aliquot provinciarum, vel alicujus partis mundi acquisitione; sit quodammodo domitrix Orbis totius, & cum nobilis ejus ambitio non sit prorsus adimpleta, ipsum denique Cælum rapit.

S. Catherina sit præstantissima sæculi sui persona per intuitionem scientiæ cum charitate.

Si habuero omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ad Corinth. 13. Quia S. Augustinus dicit, scientia sine charitate res est adeo modica, ut pro nihilo sit habenda; quia parit vanitatem; quæ res efficere debet, ut ad litteram explicentur illa Apostoli verba, *scientia inflat*; etenim reapse tunc non aliud est; quam superbia, cum e contra ubi cum charitate conjuncta est, animam firmam reddit, solidam, & inconcussam. *Cum charitate autem non solum non inflat scientia, sed etiam firmat*; quod non abludit a S. Pauli verbo, *scientia inflat, charitas autem ædificat*: quia scientia utilis est charitati, ut finem suum consequatur, & S. Bernardi scientia eadem est ac Apostoli, & S. Augustini cum ait, *lucere tantum, vanum; ardere parum.* Sed lucere & ardere simul perfectionis cumulus est; quod gloriam atque triumphum Sanctæ Catharinæ constituit. Cum enim in somnis Sanctam Virginem Mariam vidisset, a qua præsentabatur Filio ejus, a quo respuebatur; quia licet erudita esset, non habebat tamen charitatem, quia nondum erat Christiana; ipsi celeriter edoceri voluit in fide, & sacro ablui baptismate. Tunc vero cum scientiæ charitatem addidisset, Salvator, qui antea illam rejecerat, iterum se illi ostendit, eam adamavit, ac sibi sponsam delegit coram Matre, & Angelis, & in amoris sui pignus dedit ei Annulum, quem & digito ejus inserit, ut cum e somno excitata esset, non dubitaret, quominus Insignem hanc illi gratiam contulisset. Verum est ex eo tempore illam ostendisse suam eminentem scientiam doctissimos imperii viros confundendo; sed non minus ostendit amorem, & fidelitatem suam erga Salvatorem audacter increpando Imperatorem de impietate ipsius, & de crudelitatibus suis, eo quod cogere vellet Christianos, ut inanibus diis thus adolerent. *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. S. Bernard. in Nativit. Joann. Baptist. Contra Faustam l. 15. c. 8.

Fortitudo quæ virorum pars esse videtur, in S. Catherina magna in luce conspicitur.

Fatendum est, pietatem, lenitatem, modestiam, ac sexcentas alias id genus virtutes, perfectiones esse, quæ vulgo in mulieribus commendantur; simulque fatendum est, his illis plurimum decoris præ altero sexu conferre. Sed asserendum quoque est fortitudinem esse partem, & characterem virorum, seu id a natura proficiscatur, quæ his tribuens fortius, ac robustius temperamentum videtur eos ad majora, & difficiliora destinare; sive a mulierum institutione procedat, quæ ut plurimum a pueritia ad ea formantur, quæ nonnisi modestiæ, & lenitatis sensus immittunt. Quomodocumque se habeat res, & mortalium sapientissimus asserit, hanc extremam esse felicitatem, neque illi pretio comparandam, Invenire mulierem, quæ norit consociare fortitudinem, & constantiam cum virtutibus, quæ sunt humanissimæ. Verum est thesaurum esse inæstimabilem, & jure Sapiens inquit, illum in extremis terrarum plagis esse conquirendum: Sed inutile est tot moribus torqueri, cum Deo placet illum nobis largiri. Deus ipse nobis tribuit fortem hanc mulierem, mundo tribuens Virginem S. Catherinam. Insignis hæc virgo ornata fuit non solum lenitate, modestia, & pietate, quæ sexui illius fuit communis, sed contulit illi fortitudinem adeo heroicam, firmitatem adeo constantem, ut procul dubio omnes Ethnicos Heroas, immo etiam complures Christianos superaverit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum quæ huic Argumento quadrare possunt.

Virgines pretiosa monilia Christi. Sanctus Ignatius Martyr.

Honorate virgines, ut Sacerdotes. Idem.

Martyrum gloria carnificum crudelitas. Tertullianus.

Neminem Christianum, & maxime virginem decet claritatem ullam computare carnis, & bonorum. Cyprianus de Discipl. & habitu Virginum.

Quando fortior femina viris torquentibus invenitur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel bestias patitur, ut coronetur, illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Idem ibidem.

Gravem sortita est castitas inimicum, cui semper resistitur, & semper timetur. S. August. de honestis mulieribus. c. 2.

Poscenda fides ut vincatur mundus cum suis erroribus. Idem lib. de Corrept. & gratia.

Mihi optabilius mala pati pro Christo, quam honorari pro Christo; hæc est gloria, qua omnia exuperat. S. Chrysost. Homil. 64. in Epist. ad Ephes.

Castitas est invictata pulchritudo Sanctorum. S. Bernard.

Quanquam mirabilis Deus in viris, mirabilius tamen, & gloriosius triumphus in feminis. Petr. Damiani Serm. 66.

Acu-

Digitized by Google

Acutiora auri tela, quam ferri; validius mentem frangit honoris ambitio, quam tormentum. Idem ibidem.

Sponsum offers, melierem reperi, habeo eum, cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. S. Ambrosius lib. de Virginit.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia desumi possit in hoc argumento.

Vis spiritus in quo sita sit.

SIcuti spiritus non solum homines super cætera attollit animantia, sed statuit etiam grave discrimen inter homines ipsos, non miror si tot inveniuntur, qui vim spiritus jactitent, & si moventur hac prærogativa, quæ illis apud mortales tantam promeretur gloriam, & quæ constituere videtur præstantissimum meriti gradum. Ego non improbarem hoc animi studium, quod naturæ nostræ nobilitatem atque præstantiam ostendit; si objectum hujus fortitudinis semper verum esset: hoc est, si hanc fortitudinem in se statuerent, quæ reapse non communes conatus exigeret. Sed fatendum est hominum illusionem hac in re esse admirabilem, sunt enim, qui gloriam hanc in eo constituant, quod illos adducet in contemptum hominum omnium, videlicet in impietate, & privatis sententiis circa veritates, & Religionis nostræ mysteria; qui potius habendus est tanquam miseræ infirmitatis effectus, qui in humanas mentes valeat incidere. Alii eam statuunt in subtili penetratione, & sublimi intelligentia, quæ nullis finibus circumscribitur: Sed objectum, cui sese applicant, ostendunt soliditate, & vi quam ostentant, eorum imbecillitatem magis aperiri; quandoquidem in ea tantum incumbunt, quæ prætereunt, & quæ permansuræ non sunt. Alii denique fortitudinem hanc collocant in arte imperandi aliis, eosque in officio continendi; ad id enim putant non communi opus esse ingenio ad expedienda negotia, ad inimicorum exsufflanda consilia, & ad finem obtinendum per eas vias, quæ tutissimæ, & non defecturæ videntur. Verum cum hæc omnia ad vitæ præsentis felicitatem pertineant, & spiritus fortis, atque sublimis supra hæc terrena se debeat attollere, & in ipsam se extendere æternitatem; mihi non succensebunt, si dixerim hac in re nihil non humanum inveniri, & veram fortitudinem illam esse, quam Fides, & Christiana Religio nobis inspirant attollentes spiritum nostrum supra se, & dissipantes tenebras, quas oculi nostri penetrare non valent. Quod si hæc sequimur lumina, si hujusmodi placitis inhæremus, si ad hæc principia actiones nostras componimus; hoc in Scripturis vocatur sapere, ac intelligere, & hæc re ipsa unica, & vera est vis spiritus, quia hujus finis est hominem in æternum beatum efficere, quod nobis constabit exemplo Sanctæ Catherinæ, cujus triumphum celebramus.

Profana Philosophia est vetustissima Religionis inimica. Hæc materia est triumphus S. Catherinæ. *Ad Coloss. 2. Lib. de anim.*

Communis est Patrum sententia, profanam Philosophiam vetustissimam esse Christianæ Religionis inimicam, & cum S. Paulus erudit Fideles, etiam atque etiam illis commendat, ne se decipi sinant fallacibus illecebris hostis hujus pernicioſissimæ: *Videte ne quis decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam*; & fidelis ejusdem Interpres S. Joannes Chrysostomus docet, hæresim nunquam magis esse terribilem, quam cum Philosophiæ mendacia illi patrocinantur, & utraque simul conjunctis viribus Religionem oppugnant. Itaque cum Tertulliano confitendum est, Philosophiam matrem hæreseos esse, & Hæreticos pro parentibus, ac magistris habere Philosophos. Profecto utrique simul veritatem evertunt, illam statuere, ac solidare simulantes, illi bellum inferunt, eidem adhærere affirmantes, oppugnant illam, eandem propugnare jactantes. Sed si unquam majores conatus exercuit quisquam, ut veritatem impugnaret, ac tueretur mendacium, hic sane fuit Maximinus Imperator; qui captus amore eximiæ formæ, quæ in Sancta Catherina elucebat, eamque in fidem suam volens pertrahere, congregavit omnes orbis terrarum Philosophos ut illam evincerent; quamvis frustra, quandoquidem conatus hi nonnisi triumpho illius gloriam, & laudem addidere.

Deus æque per S. Catherinam, ac per Ecclesiæ doctorem fecit ut christianæ Religionis veritas elucesceret.

Fieri vere non potest, quominus Dei magnitudinem admiremur in eximiis qualitatibus, quas illi placuit viris communicare. Admirabilis est in fortitudine, constantia, scientia, a tot incomparabilibus donis, quæ illis impertit: hæc omnia vera sunt, sed potestas ejus magis in feminis elucescit. *Quamquam mirabilis Deus in viris*, Sanctus Petrus Damiani ait, *mirabilius tamen & glorioſius triumphat in feminis*. Hoc palam videmus in sanctis hisce legis antiquæ mulieribus Judith, Esther, Debora, Jahel; sed sub Evangelio incomparabilis Sancta Catherina longe majori in luce refulget. Verum est, Deum esse admirabilem in Hieronymis, Ambrosiis, Augustinis, Gregoriis, attamen in Sancta nostra videtur aliquantulum admirabilior. Videre enim homines doctos, cælesti lumine illustratos de errore victoriam referre; videre viros charitate flagrantes evertere impietatem, hoc magnum est; sed intueri virginem puellam, delicatulam cum magnis viris disputantem, qui vitam suam in studiis transegerant, cum hoc sit infrequentius, dici etiam potest hoc esse miraculo propius; quandoquidem illustris virgo nostra æque repleta fuit charitate, scientia, & animo ac quilibet Doctor, qui unquam in terris extiterit.

Licet odium, & ira duæ sint animi affectiones in omnibus maxime metuendæ: confitendum est illas longe terribiliores esse in Principibus. Cum enim possint, quidquid volunt, & eorum potentia nonnisi voluntatis suæ finibus sit circumscripta; illis succensentibus, omnes subditi contremiscunt; & simul fulmen in unum ruens, terret quamplurimos, Principis ira terrorem incutit subditis omnibus, quamvis unum petat. Et ratio constat. Quia cum irritati sunt, non id tantum consideratur, quod agunt, sed quid possunt, & eorum furorem ab eorundem patientia dimetientes omnia timemus ab eo, qui potest omnia, & putat sibi omnia licere. Sed hujus hominis iracundia nunquam magis terribilis est quam cum ejusdem amori succedit, & credit sibi jus esse irascendi contra aliquem, quem amavit, & qui amore illius se præbuit indignum per contemptum, quem de illo testatus est. Tunc enim ratus æquam esse hanc affectionem, & pro se jus stare, nullum non movet lapidem, ut ulciscatur, & credit nullum esse tormentum, quod reparare valeat injuriam, qua se autumat affectum fuisse. Hinc facile est conjicere quænam fuerit Maximini iracundia; erat enim Cæsaris, & amasii, qui a Catherina se neglectum arbitrabatur. Quatenus Cæsar poterat omnia; & omnia sibi fas esse putabat: naturam universam in persona sua læsam fuisse arbitrabatur: & nemo erat, qui non se offerret cupiditatis ejusdem ministrum. Quatenus amisius, credebat ultionem suam injustam esse non posse ubi sit amori suo par. Quatenus læsus, existimabat pœnam parem esse debere contumeliæ, quam sibi a Catherina illatam fuisse affirmabat. Itaque nihil prætermisit eorum, quæ suo furori, ac sævitiæ satisfacere poterant.

S. Catherina strenue restitit oblationibus Maximini imperium polliciti, qua in re triumphum retulit de honoribus divitiis & voluptatibus.

Patres tot tantisque elogiis Virginitatem concelebrant, ut ipsi etiam martyrio præponant. Profecto quot extitere Christiani, S. Cypriano teste, qui tyrannorum, atque carnificum rabie superata, in secretis pudicitiæ præliis victi sunt? Dolor enim nos oppugnat ex ea animæ parte, quæ fortior est; voluptas autem ex ea, quæ est imbecillior. Puella nostra septa est inimicis intra simul, & extra; sed inimici hujusmodi non occurrunt illi ferro, aut flammis armati; tela sua floribus tegunt; nonnisi de imperiis, soliis, & coronis illi verba sunt, tamen virginitas, & humilitas sua nullis tentationibus labefactantur. Hinc dæmon antea illius oppugnat puritatem sperans se illam brevi idolorum cultricem habiturum, si faceret impudicam. Ingreditur illa Cæsaris aulam, eique exprobrat impietatem sacrificii, quod offert Idolis; Ethnicos Philosophos, qui eidem opponuntur, confundit, & in sermonibus suis tantum mentis, scientiæ, ac sapientiæ præfefert, ut hæ perfectiones Angelica specie suffultæ in Cæsaris animo terribilem affectum pepererint. Illi pollicetur diadema, supremamque potestatem in Imperium, & cor ipsius Imperatoris. Gravissima hæc quidem tentatio fuit: difficile quippe est renuere consensum, qui tot honores, opes, & voluptates promeretur, & verbo parcere, quod certam facere potest totius terrarum orbis dominationem. Hoc tamen fecit Catherina. Inconcussa manet; claudit oculos omnibus oblationibus Imperatoris, eumque non sine indignatione quadam contemnens ait, illum sibi polliceri non posse, quod tanti valeat, quanti illud quod sibi conatur eripere; se sponsum inveniſſe, cum quo nihil comparari potest. Verbo, Sancta hæc adeo strenue elusit Cæsaris artes, ut amor ejus in violentum furorem degeneraverit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quod in Catherina inveniamus fortem mulierem quâ vixit in mundo se inveturum speraverat Salomon.

SAlomon adeo sapiens, & illuminatus, ac tantum in Scripturis jactatus ad extremas usque terrarum plagas se conferat Mulierem fortem quæsiturus, & post plures easque accuratas perquisitiones illam se invenire posse desperet; Deo, sanguini, ac meritis Agni sine macula gratiæ habeantur, non ea nobis necessitas est, ut adeo procul proficiscamur, ut plures inveniamus. Ecclesia longe uberior quam Synagoga domi suæ tantam fortium mulierum habet copiam, ut æque injuriam inferret gloriæ illius, & fortitudini complurium filiarum ejus, qui dubitaret. Pro una, quam Salomon quærebat inter omnes terrarum gentes, & quam illi invenire non licuit, Christiana Religio proferet centum, inter quas incomparabilem Catherinam, quæ inter millia tanta in luce coruscat, & adeo sublimem gloriæ verticem assecuta est omnibus triumphis suis, ut minime vereamur post laudes, quibus eam cumulat Ecclesia, illi inter cæteras palmam conferre. *Sermo Manuscriptus.*

Ortus, infantia, & dotes S. Catherinæ.

Illustri S. Catherinæ contigit nasci in tenebris Gentilitatis, & in illis ab incunabulis educari. Hæc procul dubio æternæ infelicitatis suæ causa fuisset, si Deus, qui elegerat illam, ut illustre perhiberet religioni nostræ testimonium, usus non fuisset naturæ bonis, ut ad

illa

illa gratiæ recipiendæ disponeret. Cum enim e regia sobole cum nobilitate fuisset adepta ingenium sublime, & mentem ad magna quæcunque parem; omnes delicias contempsit, omniaque sexus sui nugas, & sublimiora animo gerens consilia tanta assiduitate, & cura sese abdidit studiis humanarum litterarum, Eloquentiæ & Philosophiæ; ut brevi eruditissimum, ac disertissimum quemque superaverit, & mox funditus edocta quidquid illius curiositatem explere poterat sciendi quidquid humana mens in rerum natura detegere potest, divina quoque scrutari voluit, & Religionis, in qua nata erat, penetrare mysteria. Hic illam præstolabatur Deus; ibi enim insanas fabulas, vanitatem, bipalmares contradictiones & miserum mentis errorem inveniens, quæ sibi flagitiosi finxerat numina, ad humani cordis nequitiam fovendam, tunc cupiditas veritatis cognoscendæ mente ejusdem potita, & nihil in omnibus sectis nacta, quod illi rationabile videretur; ne quid in Religionis materia ignoraret, Christianorum quoque mysteria cognoscere voluit. Illa audiit, ad examen vocavit, admirata est; & cæli luminibus ad ejus curiositatem accedentibus, confessa est hanc unam Religionem sibi præbere æquam divinitatis imaginem, quæ hominem attollit ad finem principio suo dignum, & ad veram virtutem impellit. Hæc prima fuerunt semina, quæ fides in illius mentem jecit, quæ cælestibus influxibus irrigata, adjuvante celebri ea visione, in qua Beatissima Virgo illam obtulit filio suo, a quo repulsa fuit, (nondum enim erat Christiana) decrevit hanc Religionem amplecti, quam Ethnici persequebantur, eo quod non agnoscebant illam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In quo sita erat fortitudo spiritus S. Catherinæ.

Cum loquor de fortitudine spiritus in S. Catherina, non solum affirmo, illi acrem fuisse spiritum, perspicacem, & ejus extensionis, quæ sexus sui captum exsuperat, neque hunc spiritum deinceps litterarum, & pulcherrimarum eruditionum studio excultum fuisse causam admirationis totius Alexandrinæ civitatis quæ Sanctæ hujus Virginis honestata fuerat incunabulis, vel illi opus fuisse diuturno mundi hujus usu, qui illam perficeret; quippe naturalis soliditas supplevit, & tempori, & experientiæ & diutinæ exercitationi, quæ nonnisi post plures annos alios consummatos efficiunt. Possidebat illa omnes has animi dotes ea ætate, qua alii eas vix acquirere incipiunt: Sed Spiritus ejus fortitudinem in eo constituo, quod omnibus sese laboribus exercuerit, ut cognosceret veritatem; quod illam cognoverit; & cognitam statim secuta fuerit; quod illam propugnaverit contra celeberrimos ævi sui Philosophos, & summos Oratores, qui ad illam convincendam undique collecti fuerant; & tandem quod omnes contempserit terræ honores, qui illi offerebantur ad fidem ex illius animo extorquendam. *Idem.*

Abstrit ab eorum pervicacia, qui gloriantur se non cedere nisi rationibus quæ sub sensus cadunt.

Fortitudo Spiritus incomparabilis Sanctæ Catherinæ caruit eorum pertinacia, qui jactitant se dedere nolle nisi iis, quæ probari possunt per demonstrationes evidentes. Æquius ratiocinata est, & intellexit Deum non futurum id, quod est, si humana mente posset intelligi, & mysteria, quæ supra rationem posita erant, sed quæ rationem ipsam non lædebant, ostendere altitudinem, atque præstantiam hujus fidei, quæ una inquietas mentis suæ sollicitudines certas facere poterat, quandoquidem nihil extra illam reperiebat satis solidum, & cui posset inniti. Biblia, quæ volvit, Prophetiæ quas adimpleri videt, miraculorum, quibus doctrina hæc fulciebatur, atque probabatur, evidentia; præsertim vero vitæ sanctitas, quam docebat, & quam tunc videbat in illis, qui profitebantur illam, prohibuere, ne diutius ipsa illius apertam, conceptamque professionem differret. Ecce quod re adhuc integra ostendit Spiritus illius fortitudinem, quod nempe sese supra hominum sensum, & judicia extulerit, qui censoria nota perstringere poterant facti rationem longe ab usu mortalium ordinis, ac generis sui abhorrentem. Neque enim judicium ferendum est, sicuti eo, quo sumus tempore. Nunc honori, & gloriæ nobis tribuimus Christianos esse, ex quo Crux Regum coronis inserta fuit; sed tunc summum erat opprobrium. Qui Christi fidem profitebantur, tamquam mentis parum sanæ habebantur; tanquam e populi fæce contemnebantur, & tanquam impii, & improbi exagitabantur. Ab omnibus societatibus proscribebantur, & omnes eos perhorrescebant. *Auctor sermonum in omnia argumenta, &c.*

Eximiæ dotes corporis, & animi S. Catherinæ.

Ne putetis me secundum profanorum Oratorum morem hoc in loco immorari velle, ut omnes amplificem dotes, & ingenitas perfectiones, quibus Deus incomparabilem Catherinam exornavit; nam quamvis mortales hujusmodi bona admirentur, illa tamen coram Deo nullam merentur laudem, nisi virtutibus imitantur. Sublime illi erat ingenium, eminens, maximis quibuslibet rebus par, spiritus acer, & perspicax, quo difficillimas quascunque quæstiones expediebat; vasta, extensaque cognitio, ita ut paucissima laterent illam: Cor rectum, & sincerum, ac ultra fidem generosum; beneficum, liberale, & apertum omnibus, & præsertim erga miseros tenerum, ac molle. Sapiens erat, & moderata, sed constans, & firma, & cum semel aliquid faciendum esse judicaverat, quæcunque illi sese objicerent difficultates, nihil eam deterrebat, nihil efficiebat, ut animum desponderet: etenim semper nanciscebatur, quo facto illis occurreret, sive in luminibus mentis suæ, sive in firmitate, ac robore animi sui, sive in perfecta providentiæ mandatis obedientia. Verbo, omnia erant magna, omnia nobilia in hac Virgine illustri; & quicunque ad illam accedere poterant, statim insignium virtutum illius experiebantur effecta. Conversatio illius erat adeo elegans, ut Cæsar ipse licet Ethnicus, & barbarus captus fuerit, & quibuscunque artibus illius sibi affectum conciliare fuerit adnisus. Sed ingenita feritas Ethnici hujus Principis invictus fuit obex illius conversioni. Illecebræ Sanctæ Catherinæ pertraxerunt & Imperatricem, & Prætorianorum militum ducem, necnon ex illius copiis ducentos; eædem illecebræ, & eloquentia ad ejus pedes evertit quinquaginta ex consultissimis Imperii Philosophis, qui nimium præsidentes inutilibus Sophismatibus ex humana scientia depromptis confessi sunt, se a Catherina victos esse, eique palmam concedere. *Auctor Recens.*

S. Catherina omnia mortalium negligit, obsequia ut unice herat Salvatori.

Tot merita, & naturales perfectiones, quibus divinæ placuit Providentiæ illustrem hanc Virginem exornare, quamprimum illi plurimos cultores conciliaverunt, inter quos Imperatorem ipsum, qui præ cæteris erat pertimiscendus. Hoc in loco nobis cum Salomone exclamandum est: puellam genere amplissimo natam, juvenem, speciosam, quæ a mundo colitur, & quæ nihilominus mundi aspernatur cultum, & obsequia, mereri, ut in album sortium mulierum referatur; nullumque in terris pretium esse; quod cum illa valeat conferri. *Mulierem fortem quis invenies? procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Hoc paucis Sanctæ Catherinæ elogium est. Namque perpendens vanitates mundi, & quidquid mundus divitias, magnitudinem, fortunamque vocat, & videns nihil soliditatis inesse in mundi gloria, quæ dissipatur, & excidit, & fugit velut umbra; seu in voluptatibus, quæ post se nonnisi diuturnam pœnitentiam, & amaram relinquunt recordationem, seu in divitiis, quas nobis momento rapit mors, ne cogitantibus quidem: perpendens, inquam, secum omnium bonorum horum vanitatem, consilium iniit, nuncium mittendi omnibus hisce, ac servandi se integram, puramque Salvatori, quem sibi in sponsum deligere meditabatur, quamvis mundus, caro, & dæmon magno huic operi adversaretur. *Auctor Recens.*

Obices fere insuperabiles quos invenit Catherina in initio consilio perpetuæ virginitatis.

Cum Illustris hæc Virgo virginitatis servandæ iniisset consilium, quamplurimos obices nacta est. Omnes prævidit illa difficultates; sed adhærens verbis illis Filii Dei; *confidite, ego vici mundum*; sese confirmavit, & minime desperans, quominus adeo valido suffulta subsidio victoriam referret, decrevit sibi sponsum assumere Dei Filium, & sese illi unice consecrare. Sed quot illi difficultates occurrerunt in via tot scopulis undique præpedita! Egressa erat ex familia idolorum cultrice, ex genitoribus, qui penitus idolorum cultui erant addicti, ideoque in invicta ignorantia virtutum omnium, quæ decent Christianum; denique in pretio habebatur tanquam nobili nata loco, quandoquidem ex veteri traditione, e regio sanguine erat prosecta. Tanta hac in fortuna, & loco adeo illustri, confitendum est, raram esse virginitatem; hujus etiam dignitatis personæ fere bono reipublicæ sacrificantur; & filios ei gignere tenentur, ac ubi in lucem editæ sunt, ab incunabulis ipsis nuptui traduntur. Alius obex, qui adhuc videbatur invictus, fuit summa pulchritudo Virginis nostræ; quippe omnibus ornata erat dotibus, quas mundus veneratur; specie, gratia, constantia, eloquentia, spiritu, sapientia, verecundia; quibus accedebat ætas, quæ passim flos vitæ appellatur. Illa seipsam vidit a maximo mundi Principe, totius mundi imperium promittente adoratam. Numquid majora illi metuenda erant pericula? Num obices graviores timendi? Nonne jam perfusum vobis est, adolescentulam hanc iri superatum? Verum nihil est, quod Catherinæ timeatis. Invicta est, per contemptum respuit omnes Cæsaris blanditias, & oblationes; omnia mortalium omnium obsequia illi sunt permolesta & firmam habet spem, sicuti Dei Filius sponsus suus mundum vicit, ita & se, ipso juvante, de mundo insignem victoriam esse relaturam. *Auctor Recens.*

Fortitudo incomparabilis Sanctæ Virginis nostræ inde præsertim eluet, quod sese extulerit supra sermones, judicia, censuraſque mortalium, qui perstringere potuissent factum, quod a sua dignitate, genere, ac sublimi fortuna, quam homo sibi polliceri possit, abhorrebat: qui spiritus vi opus fuit Principi feminæ, genere quidem nobili, ac ingenio etiam nobiliori, ea in æstimatione qua fruebatur, solidi judicii, & mentis eximiæ, cum inspectante urbe Alexandriæ, ubi tunc Maximini Imperatoris sedes erat; hostis, quo non infestiorem habuit Religio? in viridi ætate, & in sublimis fortunæ splendore, quæ prope erat, ut adeo sincera confessione corrueret, cum sperare potuisset, ut aliqua ratio haberetur personæ suæ, & loci, quem obtinebat? Quid non erat illi timendum celebritati nominis sui facto, quod latere non poterat? Quæ negotiorum suorum, & fortunæ subversio propter Cæsaris iram, quam non irritare non poterat? Quinam obex dignitati suæ, quæ maxima cura-

Digitized by Google

curarum illius esse debebat? Sed alio spectat Virgo tua, longe alia sunt ejus consilia, quæ hominis captum excedunt; & veritas, quam ante penitus perspexit, illi suadet, ut suum sensum aperiat, licet inanibus his terroribus urgeretur, qui commovere potuissent animum minus constantem. Fides, ut quidam Pater ait, *magnarum viget est mentium*; & hæc una sensus adeo sublimes potest immittere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Humanus respectus qui prohibet ne pro Deo nostro fortiter pugnemus, infensissimus est Religionis persecutor.

Hæc postrema est Christianæ Religionis persecutio, quæ non quidem ita cruenta fuit, ut cæteræ, sed quæ nihilo secius timenda est, neque minus duratura, quandoquidem cum ipso Christianismo ducit originem, & ad temporum finem est permansura. Hic autem Tyrannus est humanus respectus, perpetuus pietatis inimicus, qui irreconciliabile illi bellum indicit, & qui hodierna luce facit, quod totus suppliciorum apparatus in cruentissimis persecutionibus facere non potuit; hoc est ipsas etiam exteriores Religionis notas proscribit per infirmitatem spiritus, quam satis admirari non licet. Sed incomparabilis Catherina satis habuit fortitudinis, ut non solum de abscondito, & subdolo hoc tyranno, verum etiam de tyrannis veris, de tortoribus, suppliciisque triumpharet. *Idem.*

S. Catherina christianam fidem valenter profitetur.

Fortitudo spiritus Virginis nostræ, quæ effecerat, ut illa Christianæ Religionis veritatem cognosceret, effecit etiam, ut omnes hominum sermones contemneret, eamque palam profiteretur, & omnes humanas rationes conculcaret. Per fortitudinis hujus effectum gratia illi inspiravit, ut ipsum Cæsarem in aula sua conveniret, & usque ad aras, ubi solemni sacrificio innumbus diis thus adolebat, illi apertet, quænam ipsa esset, & ut illi edictorum suorum injustitiam exprobraret. Sermo illius cum eo firmitatis tono prolatus, quem persuasio nunciatæ veritatis inspirat, conjunctus cum lepore, & illiciis; quæ fingi possunt in persona loquentis, vero suffultus zelo, & sancta animatus audacia, quam Deus largitur in hujusmodi casibus, Imperatorem adeo fortiter percutit, ut obstupuerit, & immotus permanserit; ita ut satis ei fuerit indicare tempus, quo sibi vacaret iterum eandem de hoc argumento loquentem audire. *Idem.*

Hæc Cæsarem adit in Templum eique exprobrat indigni Deum cultus.

Versabatur tunc Princeps superba in æde, ubi solemni pompa diis sui sacrificabat. Circum illum aderat idololatrarum turba, uti passim accidit in summorum virorum comitatu. Hic illum adorta est, & ibi ausa est illi Deum, eumque crucifixum prædicare: ibi palam cum eloquentissimo zelo idolorum vanitatem ostendens omnem illis abrogavit fidem in animis plurimorum, qui aderant. Penes vos esto judicium, quonam stupore correptus fuerit Imperator videns sanctam audaciam Virginis nostræ. Ubi sese collegit, eam in Prætorium jussit auduci, ubi plura percontatus de illius genere, professione, audacia, respondit se ex Regali genere editam, se Rethoricæ artis, & Philosophiæ non ignaram profitetur, sed nonnisi, se christianam esse, & Filii Dei sponsam gloriatur. *Auctor recens.*

Imperator resistere acquit Spiritui Sancto, qui loquebatur, & Sanctæ, sed non ideo cedit.

Si magnitudo spiritus christianæ adolescentulæ enituit in fide publice profitenda, & extollenda semet super ea omnia, quæ alias deterrere solent: melius adhuc enituit per os cum successu magis admirabili in illa tuenda, ac sustinenda; hoc enim non contra solum Imperatorem illi faciendum fuit. Cum enim Cæsar illam per otium audivisset, rationibus illius respondere non potuit; non ideo tamen victas dedit manus, & si ob fortitudinem spiritus obstupuit, non minus formæ illius illecebris captus fuit. Fulgebat illa ea in luce, quam flos adolescentiæ afflare poterat perfectæ illius pulchritudini. Nobilis oris habitus, decorus simul & non sine quadam majestate venustus, quæ in toto corpore renidebat, exarmavit hominem sævissimum inter eos, qui Cæsarum solium obtinuerunt. Ratio illa, qua audacter quidem, non tamen sine quodam obsequio Sancta illum allocuta, venustas incomparabilis, qua quodlibet verbum comitabatur, suam ingeminans eloquentiam illum aeritet perculerunt: sed longe aliam ab ea, quam ipsa putabat impressionem pepererunt: Imperator enim tantum abfuit, ut sese dederet, quod immo in sua occaluit excitate, cumque insanus affectus animum illius pervasisset, decrevit vincere eam, a qua victus fuerat, & omnem movere lapidem ad flectendum eam, a qui in anteccessum victus fuerat ac superatus. Initium ducendum fuit a Spiritu, & cogenda fuit Virgo, ut fateretur potentiam Deorum quos execrabatur, & perborrebat. Hoc autem Maximino negotium facessere incepit, cumque se non satis fortem putaret ad resistendum illi, abjecta spe illam persuadendi, sibi curam dumtaxat reservavit animum ejus, postquam alii doctiores sensus ejusdem circa Religionem impugnassent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Imperator opponit Catherinæ omnes doctos viros quos in Imperio potuit invenire.

Cum Virginis nostræ illecebræ de Maximini corde victoriam jam retulissent; ille optavit eam in fidem suam pertrahere, antequam ad solium vocaret. Ad hunc igitur finem peritissimos imperii Theologos accersivit, ut Sanctæ mentem aliam immitterent, quandoquidem illam promissionibus suis corrumpere non valuerat. Tota civitas Alexandrina theatrum fuit celebertimæ hujus disputationis. Arbiter illius Cæsar fuit, Philosophi oppugnatores, & eximii Virgo propugnatrix. Hi acti supplicium metu, si vincerentur, & præmiorum spe, si victores e conflictu redirent, nihil prætermiserunt eorum, quæ malæ causæ, quam tuebantur, favere poterat. Neque cunctati sunt in tuendis numinibus, quæ cæcus populus adorabat, & scientes oculos ipsos satis esse ad eorum vanitatem damnandam, decreverunt probare Deorum cultum, qui cæteris præstare videbantur, & qui facilius poterant probari. Conati sunt probare divinitatem in Sole, dicentes, licet mundo eam non afferret utilitatem, quam adfert, solum ejus lumen sufficere, ut colatur. Recensuerunt omnes hujus syderis qualitates, quarum pleræque homines latent; sperantes se eruditis Sermonibus suis consecutos, ut quamprimum Catherina abdicaret Crucifixum, quem Deum esse fatebatur. *P. Senault Oratorio.*

S. Catherina aulam ingreditur, ubi habenda erat disputatio.

Ut ad incomparabilem Virginem redeamus, fingite vobis insignem disputationem hanc, in qua adeo gloriose apparuit, & ubi scientia, & sapientia illius prorsus divina tanta in luce coruscarent. In Spiritu ad hanc insignem Alexandriæ civitatem pergite, Cæsaris Prætorium ingredimini; ibique videbitis hinc quidem puellam hanc prorsus solam & sine subsidio, inde vero turbam Philosophorum, qui illi opponuntur. Ut certior de Virgine fieret victoria, illi opponit quidquid Doctorum virorum erat in Græcia, & Ægypto, quos celerius cogi volnit, & quos ingentibus promissionibus excitavit, si illam in sententiam suam redigere possent, & efficere, ut a propria discederet. Ad videndam igitur vim divini Spiritus in Catherina, & illustres triumphos quos retulit, fingite vobis celeberrimam disputationem, ad quam prodit illa accersita in conspectum totius Alexandrinæ civitatis, & plurimorum ex omnibus gentibus mortalium. Quin enim pugnam detrectet certaminis iniquitatem causata, ubi adversarii Judices erant futuri, & ubi solus numerus victoriam relaturus videbatur, licet illa omnium telis occurreret, generose in certamen descendit, & in Prætorii aulam se contulit. Hoc proculdubio spectaculum est, quod nostros oculos, atque animi attentionem exposcit videre hinc quidem Virginem solam sancta plenam fiducia, verecundam nescio quo majestatis habitu, qui intuentium oculos in se convertit, ingredientem, quæ cum Imperatori salutem dixisset, qui de hujus certaminis eventu timere non poterat, nihil ab eo petit nisi benignas aures, certa se cumulatissimam victoriam esse relaturam; inde vero quinquaginta tam Oratores, quam Philosophos, ex totius Imperii doctissimis viris delectos, singulos in professione sua consummatos, prima eorum temporum ingenia, flores Academiarum, & totius Orientis oracula; Philosophos quinquaginta adversus unicam puellam, qui nihil intentatum relinquunt, ut veritatem impugnent, ac mendacium tueantur. Sancta hæc, quæ jam norat omnem mundi scientiam inanem esse, cum nonnisi cæca præsumptione suffulta est, Deum sollicitat, ut ipse causam suam contra nominis sui inimicos velit propugnare. Tuum est, Domine, exclamavit illa, efficere, ut cognoscant te: tuum est in os meum ingerere verba vitæ, ut cæcis his lucem afferam, & his Doctoribus confusionem. *Auctor recens.*

Eludit captiosas Philosophorum quæstiones, everrit sophismata & eos cogit Deum invisibilem confiteri.

Virgo nostra cum ad Deum confugisset, cique etiam atque etiam certaminis exitum commendasset, vix præcibus finem fecit, cum Deus, qui illam exaudierat, tantum addidit robotis argumentis illius, tantum illecebrarum nativæ eloquentiæ, ut apud eos, qui nonnisi ex sensu Religionem suam metiebantur, haud ægre & sine multo labore veritatem existentiæ invisibilis Dei probaverit; & sensibilia idola, quæ illi sibi commenti fuerant, everterit. Alii, qui suis innitebantur præjudiciis, & Religionis suæ vetustati, nihilo melius suam causam tuentur. Momento obliterat impressiones, quas vetus error in eorum mentibus pepererat, eisque probat illos hactenus mendacio, & errori adhæsisse. Frustra illam impedire conantur multa interrogationum congerie; frustra satagunt illam captiosis irretire quæstionibus; frustra adnituntur illius solidas responsiones eludere vacuis acuminibus: omnes eorum conatus infringit, omnes sternit difficultates, sophismata evolvit, & vicissim illos tanta urget vi, ut erroris tenebras dissipet, & tantam lucem oculis eorum offundat, ut splendorem sustinere, & spiritui Dei per illius os loquentis minime resistere valeant. Ita illos vincit, & confundit, & fateri cogit, se in errore fuisse, qui sibi pollicti fuerant effecturos, ut Catherina suum cognosceret errorem, ac fidem ejuraret. *Idem.*

Consideratur spiritus fortitudo, quam Deus libertri huic Virgini asservarat.

Quænam vis est spiritus in Virgine, cum organum est Spiritus Dei? Errores ante tot sæcula constitutos dissipare, vincere pertinaciam tot Doctorum virorum, mordicus opinionibus suis adhærentium, & adeo validis præjudiciis præoccupatorum; videre homines tanta scientiæ, ac sapientiæ celebritate conspicuos, non erubescere confitentes se deceptos fuisse, & quod majus est, fidem, & religionem Christianam amplecti, quam tanto conatu evertere adnisi fuerant, & mox ignis subire supplicium ad eam sustinendam. Quodnam fortitudinis prodigium! Si mirum est quod puella evadere potuerit ex insidiis, atque dolis quinquaginta Philosophorum, quid igitur est illos confudisse, superasse, coegisse, ut fidem amplecterentur,

Digitized by Google

rentur, & mox vita sua, & sanguine illam mererentur? Ubinam gentium par spiritus fortitudo inveniri potest? Si miramur, illam tot eruditos homines vicisse, eosque coegisse, ut ipsam tamquam magistram omnibus in scientiis haberent, multo magis existimabimus illam admirabiliorem extitisse per victorias, quas de se reportavit, contemnens omnes terræ divitias, & honores, qui illi deferebantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Amor Maximini in iram furoremque convertitur.

Quodnam fese oculis nostris spectaculum objicit! Amor Tyranni in furorem convertitur adversus Catherinam, & videns omnem spem suam evanescere, omnesque conatus suos in irritum cedere, pudore suffusus, quod toties victus fuerat, & nihil cum Virgine profecisset, adoritur corpus, infirmissimam illius partem, & illi sævissima infligit supplicia. O superi! Possumus ne tantum tetrum hoc, & tragicum apparatum fingere, quin horreamus! Ecce carnificum minus in illam ruit, ad pœnam trahit, & sine ullo miserationis sensu corpus adeo tenerum, & delicatum rotis, & eculeis excruciat. Ecce tortores, qui manus suas puræ, ac innocuæ Virginis cruore imbuere festinant; quin timeant pœnam sceleri, quod patraturi sunt, parem. Sed contra impios non solum non succenset Catherina, intra se immo exultat gaudio, quia carnifices illi corporis ejusdem sacrificium facientes eam reddere debent Filio Dei Salvatori, ac Sponso suo quam simillimam. *Sermo Manuscriptus.*

Cæsar virginem omnibus bonis spoliat, & de nobilitatis gradu deturbat.

Frustra Catherinam deterrere adnititur Imperator; hæc minas ejus irridet, atque ut ejusdem importunitatibus se liberet, contemptum addit repulsæ. Barbarus ille, cujus impotentia a furore non longe distabat, pepercit tamen paulisper iracundiæ suæ pro hac vice, & spe illam moræ beneficio mulcendi, distulit extrema supplicia. Illam bonis patriis exuit, de avitæ nobilitatis gradu deturbat, detrudi jubet in horrentem carcerem, ita ut ad inopias redacta, sine ope, sine auxilio per otium recogitaret ea, quorum jacturam faciebat pertinaci renitentia, & quæ deinceps sibi erant expectanda ab ira Cæsaris neglecti, atque contempti. Cœlestibus procul dubio consolationibus egit, ut inter tot minas atque cruciatus fulciretur; qui tamen nonnisi longe crudeliorum tormentorum erant præludia. Beati spiritus illam visitarunt, & Salvator ipse contra sævissimas pœnas roboravit. *Recens Auctor.*

Augusta ipsa Catherinam invisens in carcere ut illa mollibus verbis flectaret, ab eadem vincitur.

Dum Imperator inanem adhuc fovebat spem S. Catherinam flectendi, Imperatrix miserta infortunium præclaræ puellæ tot calamitatibus involutæ, adnisa est illam delinire. Facta huic facultas fuit illam invisendi, ut de gradu eam moveret, & hortaretur ad Principis voluntatem faciendam, quam videtur audivisse tantum extrema quæque minitantem, non autem hanc sibi in uxorem assumere cogitantem; non enim fidei congruum videtur, illam consensisse, ut æquo animo ipsa de gradu decederet. Quomodocunque se habeat res, si Christiana Virgo labefieri potuisset, recens hæc tentatio magis valuisset, quam prior, fortitudo quidem adversus difficultates irritatur: cum miseratio, benevolentia, & amor, quam hujus dignitatis persona testatur, sensim, & sine sensu emollit cor, quod facilius hujusmodi oppugnationibus cedit; Sed hæc visitatio longe aliter cessit ab eo, quod Imperator cupiebat. Quæ putabat se Virginem ad Religionem ejurandam impellere posse, convicta fuit de suæ religionis vanitate, & errore; & quæ sperabat, se consecuturam, ut Catherina idolis suis thus adoleret, ipsa Sanctæ Virginis eloquentia victa fuit, ita ut Jesum Christum professa ad Martyrium præcesserit illi, ad quam accesserat, persuasura, ne pro Jesu Christi fide mortem subiret. *Idem.*

Cæsar omnem induit formam furentis, & amasii Catherinæ constantia invicta est.

Utrum casus adeo inopinatus, qualis erat Augustæ conversio novum esset furoris argumentum Maximino, vos penes esto judicium. Barbarus ipse in arena statim ad extremum crudelitatis excessum venisset, nisi amor, quo Virginem deperibat, effecisset, ut recens tentaret artem, quam melius processuram putabat. Igitur de carcere educitur Catherina ut iterum prodeat coram tyranno perdite illam amante, qui minis blanditias miscet, omnemque movet lapidem, ut illam mulceat. Credit Augustæ mortem, cui propter fidem jusserat obtruncari caput, posse quidem illam, hinc perterrefacere ostendendo illi, quid sibi expectandum sit, si in suscepto consilio permanserit; eamque inde religione liberando, quam virtus sua suggerere potuisset, ne nuberet Principi, qui aliam jam haberet uxorem, & ita cum nulla ipsi relinqueretur deliberatio, nisi inter solium, & eculeum, delicias atque tormenta, in electione faciendi non penderet animi. Tantam vim habet in se Cæsar, ut ingenii sui impetum cohibeat. Orat, jubet, promittit, minitatur; omnia mutuatur lineamenta, & corporis habitus earum cupiditatum, quibus agitabatur; facit quidquid amor, & rabies suggerunt illi; nec proficit nihilum; nec punctum quidem movet Christianæ Virginis constantiam, quonium hæc eadem firmitate promissiones, atque minas respicit, eumque tandem cogit, ut amantis personam abjiciat, quam adeo male gerebat, & quæ pessime decebat illum, ut aliam induat, magis suo ingenio conformem: feros enim oculos in eam contorquens, quo aspectu fortissimum quemque perterruisset, recessit non ultra nisi per Prætoriæ cohortis ducem illam allocuturus. *Idem.*

Dux hic frustra vias omnes tentat, ut sanctam deturbet. Sed hanc quoque Sancta convertit.

Prætorianorum militum Dux se domino suo ratus callidiorem, jussus ut videtur tentare Virginem, adhibere voluit, quidquid ars amandi periculosius habet, atque accommodatius ad eas, quæ sibi minus cavent decipiendas. Contigit vero, ut Catherina & hunc Deo lucraretur, & Martyrem fecerit; quæ res supplicium ejus festinavit, ne recentes adhuc referret victorias, quæ mortem illius gloriosiorem effecissent, ac tyrannum pudore, & confusione magis, magisque cumulassent. Fidei consonum non est, Sanctam Virginem cum omni sapientia, & eloquentia sua tantum profecturam fuisse; neque tot tantaque conversionum miracula fuisse edituram, nisi ejus fortitudo, & invicta constantia vim minime addidisset sermonibus suis, & nisi sanguis, ad quem effundendum præsto erat, robur adjecisset verbis illius. *Idem.*

Circumstantiæ, quæ gloriosam efficiunt S. Catherinæ mortem. Præludia mortis Sanctæ nostræ alium quemlibet deterruissent.

Sanctæ hujus mors præclarum fuit argumentum sermonum illius ignitorum per quos tot tantasque conversiones operata est; sed mors præ cæteris gloriosa, quæ non solum nullam habuit speciem imbecillitatis, sed quæ prodigium animi, & fortitudinis ostendit. Sanctæ hujus nostræ mors insigne fuit monumentum veritatis sermonum, qui præcesserunt. Gloriosa fuit propter plures circumstantias, quæ illam concomitatæ sunt, & asseri potest hoc fuisse fortitudinis, & constantiæ prodigium, quod illim omnino admirabilem fecit, scilicet duratio, varietas & crudelitas suppliciorum, quæ passa est. Duratio quidem nonnihil habet inhumanitatis, quæ innuit odium, & ultionem in summo gradu, varietas aliquid habet horroris; sed crudelitas ipsam superat barbariem. Supplicium ejus diuturnum fuit & per intervalla patratum, quod effecit, ut illa experiretur horrores mortis, quibus audacissimorum animus perterreri consuevit. Vidit flammis absumi Philosophos, erga quos prædicatoris munus exercuit, ut illos ad martyrium fortiter subeundum hortaretur. Vidit obtruncari capita Imperatricis, & Ducis cohortis Prætoriæ, qui ad eam fallendam missi fuerant. Ejus imaginatio nonnisi teterrimæ mortis imagines illi exhibebat, cum se tanquam publici furoris victimam consideraret; & satis intelligebat, quid illam maneret post mortem aliorum, quæ nonnisi suæ erat præludium. Sed illa hæc spectabat omnia animo obfirmato, quin oris speciem mutaret; & cum aliis animum ministrasset, ad perferenda cum generosa constantia supplicia, stans pede in uno suum opperiebatur. *Auctor Recens.*

De varietate, & diuturnitate supplicii illius.

Cum tandem mortis ejus tempus adveniisset, duarum horarum spatio carnifices tenerum corpus ejus dilaniarunt, quin illius animum labefactarent; produxerunt crudelitatem suam, quin fatigarent ejus constantiam, neque illi respirandi locum reliquerunt, nisi ut suas vires reficerent. Nemo unquam diutius pati visus est, quam videbatur ad solum supplicium aspectum expirare debere, quorum varietas non minus admirabilis fuit, quam duratio. Flagella, & cruciatus, ignes, & eculei, pectines ferrei; omnia usurpata sunt, & nihil horum eam perterrefacere potuit. Doloris mutatio quædam solatii species videbatur expertis, ipsam voluptatem in tormentum converti, cum diu nimis illa producitur; sed cum ab extremo fit gradus ad alterum; & supplicium alteri locum facit violentiori; tunc opus est divino subsidio, ut tot tentationibus resistatur. Hoc Sanctæ Virginis nostræ constantiam inter glorioſissimos martyres insignivit. Facere nequeo, quo minus perhorrescam tot vobis, ac tam terribilia exhibens tormenta: carnifices ipsi fremebant, & magis, quam illa, pertimescebant; & odium, quo populus illius Religionem insectabatur, prohibere non potuit lacrymas, quas miseratio doloribus ejus negare non poterat. *Idem.*

Terribilis fuit supplicium, quæ sustinuit, crudelitas.

Hoc novum fuit admirationis argumentum, crudelitas magis quam barbara suppliciorum, quæ Sancta Catherina perpessi est. Dæmon imperatori, vel tortoribus tradidit novæ molis inventum ad tenerum illud corpus in sexcenta frusta scindendum. Rota erat ferreis aculeis, acutisque novaculis præfixa, quæ secretis machinamentis, & lento motu, efficere debebat, ut simul in omnibus corporis sui membris pateretur. Videtur ipsa barbaries excogitasse hoc instrumentum, & hoc a rabie fuisse movendum. Mortales omnes horruerunt illud, & oculos in Sanctam Virginem conjecerunt, ut illius constantiam, ac fortitudinem intuerentur. Sed ostendit Deus visibilem suæ potentiæ effectum conterens, atque confringens molem hanc formidabilem, & hoc pacto ingeminans tyranni confusionem, qui tandem de omni spe dejectus fuit quidquam profitendi ac fatigatus videndo prout furor, & rabies sua augebatur, Sanctæ gloriam augeri, jussit tandem caput illius obtruncari, eamque in immortalis coronæ possessionem immisit. *Recens Auctor.*

In Vita & morte Sanctæ Catherinæ omnia sunt portentis similia.

Omnia in incomparabilis Catherinæ vita miraculosa fuerunt; & si diversa, quæ sustinet supplicia, si eorum duratio fuerunt sævitiæ portenta, triumphus illius mors novum est prodigium, & prodigium procul dubio jucundissimum omnibus illis, qui deinceps apud Deum opem illius essent imploraturi. Statim ac lictor caput ejus abscidit, effudit lac cum sanguine ad innuendum profecto

puri-

puritatem illius non minus illuſtrem fuiſſe, quam martyrium, eamque non minus illi acceptam fuiſſe, quam fidem, quandoquidem utramque pari conſtantia, & eventu propugnaverat. Cæleſtes ſpiritus, qui præliorum ejus, atque triumphi ſpectatores, ac teſtes fuerant illi parentarunt, ſanctumque illius corpus abſtulerunt, ne impuris manibus attrectaretur, & in gloriæ cumulum concentibus ſuis honorarunt. O Deus! quam admirabilis eſt potentia tua in Creaturarum tuarum infirmitate! Quod enim admiratione dignius prodigium eſt, quam videre Virginem, corpore infirmo, infirmiſque viribus, ſed tuo animatam ſpiritu, ſuffultam, munitamque gratia tua, tuæque ſapientiæ lumine repletam omnes tyrannorum conatus ſuperare! liberam permanere inter vincula, invulnerabilem inter rotas, in dolorum exceſſu invictam, ad mortis conſpectum imperterritam, ita ut hilari animo, & vultu recipiat; qui ſane cordis vim atque firmitatem oſtendit! Per hanc fortitudinem mentis, & cordis Sancta noſtra triumphavit de omnibus infernipoteſtatibus, per reſiſtentiam, qua Imperatori obluctata eſt, de omni mundi ſapientia per victoriam, quam retulit de Philoſophis, & Oratoribus jampridem ad hoc certamen præparatis; de omnibus Mundi divitiis, & honoribus, quos contempſit, deque tormentis omnibus, quæ inconcuſſa conſtantia ſuperavit. *Idem.*

Quomodo & in quo S. Catherinam imitari poſſimus?

Fortem mulierem, quam inventurus Sapiens tot ſe laboribus exercuit, tandem invenimus: utrum vero hæc imitatores ſit inventura, nullus ſcio. Dixi jam fortitudinem eſſe Chriſtianiſmi virtutem; nemo enim verus Chriſtianus eſt, qui paratus eſſe non debeat vitæ ſuæ impendendæ, & ſanguini effundendo pro fide, ac Religione tuenda. Heu! Quamplurimi ſe hoc facturos putant, & profitentur, immo vero cupere videntur hujus rei faciendæ occaſionem: ſed quidnam diſcriminis intereſt ſive mortem in imagine, ſive in re ipſa intuearis? ibi longe major contradictio eſt, quam videre, illos, qui ſibi ſatis eſſe virium putant ad martyrium ſubeundum, non ſatis habere, ut ſibi vel minimam inferant vim ad alia Chriſtianæ Religionis placita, aliaſque exercendas virtutes, quæ non minus homini Chriſtiano ſunt neceſſariæ, quam fides, & ſine quibus fides ipſa non erit niſi damnationis argumentum. Heu! quomodonam perferemus tyranni minas, qui neſcimus vorare verbum, quo lædimur, injuriam dimittere, contemptum ſuſtinere? Nos, qui vel minimam quidem crucem ferre poſſumus; ut inevitabilia religionis officia obeamus? Gratiam Deo habeamus, quod nulli ſunt amplius Tyranni, qui fidem perſequantur. Tot minis opus non eſſet, neque tanto ſuppliciorum apparatu, ut illam ejuraremus: nam levis cupiditas, honoris ratio, modica voluptas efficit, ut prodamus conſcientiam noſtram, & Dei gloriam negligamus. *Auctor Recens.*

Nunc etiam occurrere poſſunt occaſiones imitandi illam.

Neque deſunt nobis occaſiones imitandi fortitudinem, animumque incomparabilis noſtræ Virginis. Utique nobis in dies ſingulos occurrunt; & honor, modeſtia, pudor qui nobis vitæ ipſi præferendus eſt etiam ſecundum Ethnicæ moralis præcepta in ipſo Chriſtianiſmo fere tot inimicos inveniunt, quot olim in tenebris infidelitatis invenerunt; ſed me confiteri pudet, hic fortaſſe æque modicum fortitudinis inveniri, quandoquidem adeo parum verecundiæ videtur, ſcandalorum autem, atque licentiæ tantumdem. Ad ſcientiam Sanctæ noſtræ acquirendam non equidem vos adigo: non omnes pari ſunt prædíti ingenio, ſed illi tantum, quibus Deus impertire dignatur. Neque in controverſiam vocabo, o Matronæ, vim ſpiritus, qua Sancta noſtra prædita fuit, ut hac in re viros præſtare velim; eſto etiam vobis non deſit animi magnitudo, quandoquidem fortiſſimis, quibuſcunque ineundis conſiliis pares eſtis, cum animus in virtutem fertur; ſed hæc ad S. Catherinæ exemplum vobis oſtendenda eſt in tuendo inæſtimabili puritatis theſauro, in quo procul dubio hominibus præſtatis, licet illi non minus teneantur Chriſtianiſmi legibus; & in hoc potiori jure Sanctæ noſtræ virtutem imitari poteſtis. *Idem.*

S. Catherina fuit incomparabile omnium virtutum exemplar, ſed paucis illam imitantur.

Inſignis Sancta noſtra tres magnos invenit obices in ſuæ puritatis cuſtodia, quos ſtrenue ſuperavit; juventutem, pulchritudinem, promiſſiones. Hi tres ſunt ſcopuli vobis evitandi ad illius exemplum, ac inimici tres, a vobis, mulieres, vincendi: Juventus feſtivitatem inſpirat laſcivientem, & nugacem cum propenſione quadam in ſolatia, & voluptates: Pulchritudo mollitiem ſuadet, vanitatem, & quemdam ſuimet ipſius cultum: Promiſſiones autem extremam admovent manum corruptioni cordis, quod jam a reliquis duabus cœpit labefactari. Verum ſi confertis Sanctæ noſtræ juventutem adeo Chriſtiane peractam, & in pietatis operibus exercitam cum ea licentia, quam in tot feminis intuemur; nonne fatebimini non deeſſe vobis abſolutiſſimum Sanctæ hujus Virginis exemplar, cujus tamen paucas fideles imagines intuemini? Si animum advertitis ad illecebras, quas illi offuderat natura, omni culpa caruerunt, neque adhibitæ fuerunt, niſi in Dei ſervitium, & ad animas Deo lucrandas. cum interim illæ in temporum noſtrorum adoleſcentulis totidem ſint laquei ad eas perdendas, eumque natura parum benigna illis has veneres negaverit, ad artem ob eundem finem confugiunt. Ubi vero conſidero tandem Sanctam noſtram tot promiſſionibus, atque mox tot minis tentatam, & intueor tot puellas quæ vim non habent procacis alicujus adoleſcentis promiſſionibus, aut ſollicitationibus reſiſtendi, qui nonniſi dedecus, ac infamiam ipſis inferre poteſt: tunc ajo, fortitudine, & conſtantia opus eſſe ad virtutem hanc tuendam, æque ac ad fidem, ac Religionem ſuſtinendam: quæ ſi deſint, affirmo nullas eſſe amplius Virgines non ſecus ac nullæ amplius ſunt Martyres. Fortitudo hanc ſervat innocentiam, omnes virtutes acquirit, ac tandem cælum aperit, & gloriam meretur immortalem. *Idem.*

Finis Tomi Tertii Panegyricorum.

TABU-

Digitized by Google

TABULA ARGUMENTORUM,

Quæ hic Tomus complectitur.

PRo Panegyrico S. Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli. pag. 3

Pro Panegyrico S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi. 18

Pro Panegyrico S. Genovefæ Virginis. 29

Pro Panegyrico S. Antonii Abbatis. 39

Pro Panegyrico S. Agnetis Virginis & Martyris. 49

Pro Panegyrico SS. Vincentii, & Laurentii Martyrum. 58

Pro Panegyrico S. Thomæ Aquinatis. 70

Pro Panegyrico S. Monicæ Matris S. Auguſtini. 82

Pro Panegyrico S. Bonaventuræ. 91

Pro Panegyrico S. Ludovici Galliarum Regis. 102

Pro Panegyrico S. Angeli Cuſtodis, necnon S. Michaelis, & Angelorum generatim. 123

Pro Panegyrico S. Caroli Borromæi Mediolanenſis Archiepiſcopi. 136

Pro Panegyrico S. Martini Epiſcopi Turonenſis. 149

Pro Panegyrico S. Catherinæ Virginis & Martyris. 159

Digitized by Google